VERS. IN LING. ANTICHE
161
A
78.
BIB.NAZ.NAPOLI

161
A
78

Digitized by Google

Digitized by Google

PROPHETAE MAJORES

EX

RECENSIONE

TEXTUS HEBRAEI

ET

VERSIONUM ANTIQUARUM

LATINE VERSI

NOTISQUE PHILOLOGICIS

ET CRITICIS

ILLUSTRATI

A

JOANNE AUGUSTO DATHIO

S. THEOL. DOCT. ET PROF. LINGUAE HEBR. ORD

IN ACAD. LIPSIENSI

EDITIO ALTERA EMENDATIOR

HALAE

SUMTIBUS ORPHANOTROPHEI

MDCCLXXXV

Digitized by Google

PRAEFATIO

Cum prophetarum minorum verſio latina, quam ante ſex annos primum edidi, praeter ſpem atque opinionem meam plurimorum benigna judicia experta eſſet, facile me adduci paſſus ſum, ut et majorum, qui vocantur, prophetarum verſionem aggrederer. Etenim hujusmodi translationem, quae ſenſum verborum genio linguae, qua interpres utitur, conve-

nienter reddat, ad intelligendum et ad explicandum aliis multo magis prodeſſe, quam prolixum commentarium, ex quo non niſi multo labore et temporis jactura ſenſus verborum eruitur: cum ipſe dudum noveram, tum alios quoque uſu libelli mei intellexiſſe vehementer gaudeo. Et profecto non difficile eſt intellectu, alterius generis verſiones librorum ſacrorum, quae verba hebraea totidem latinis reddunt, nullam prorſus ad intelligendum utilitatem habere. Quoniam enim linguae hebraeae idiotiſmos omnes transferunt in linguam latinam, a qua tamen plerique prorſus alieni ſunt, idem fere eſt, ac ſi hebraea latinis literis ſcripſiſſes. Igitur ex commentario ſenſus verborum hebraeorum ſive verſionis cognoſcendus eſt, ſaepe tam parum perſpicue et concinne propoſitus, ut lectori in eo inveſtigando non minus laboran-

dum

dum ſit, quam antea, cum in hebraeis haereret. Sed non opus eſt, ut hunc errorem pluribus refutemus, cum haec ſit temporum noſtrorum felicitas, ut pia illa ſuperſtitio paucorum tantum animos adhuc habeat faſcinatos, qua olim exiſtimabant, irreverenter tractari ſacras literas, niſi ſingulae voces latinae ſingulis hebraeis reſponderent. Omnes qui de arte interpretandi recte poſſunt judicare, praecipiunt ſenſum in verſione inprimis ſpectandum eſſe, non ſignificationes ſingulorum verborum, atque has cum illo ſaepe eſſe permutandas. *) Idem igitur fieri debet in vertenda Scriptura ſacra, quod in verſione cujusque libri. In qua nemo muneri ſuo ſatis

*) vid. *Mori* Viri Celeb. proluſio, *de diſcrimine ſenſus et ſignificationis in interpretando*, in qua cum de neceſſitate, tum de modo et ratione, qua illa permutatio fieri debeat, erudite admodum et ſubtiliter diſſeruit.

tisfeciſſe putatur, ſi verbum verbo reddat, nec ſenſum ſcriptoris clare indicet, hoc eſt, ei linguae convenienter, qua in vertendo utitur. At enim vero non levis objicitur difficultas, ſi dicendum ſit, quousque liceat interpreti permutare formulas dicendi hebraeas cum aliis clarioribus. Video enim vel eos, qui illam meliorem vertendi rationem caeterum non improbant, tamen nolle adeo accommodari ſcriptores hebraeos genio linguae latinae, ut nihil de genere dicendi eis proprio ſuperſit, ſed characterem, ſic vocant, cujusque ſcriptoris ita eſſe ſervandum, ut quoque ex verſione poſſit cognoſci. Quanquam vero hoc recte ab eis praecipitur, tamen uſus atque experientia quemque docebit, ſic nondum rem ſatis definiri, ſaepeque eſſe ambiguum, quid ad characterem ſcriptoris, quid ad genium linguae ſit referendum.

Equi-

Equidem omnino perquam difficile arbitror limites ſatis accurate et diſtincte determinare, intra quos ſeſe Veteris Teſtamenti interpres continere debeat in permutando ſenſu verborum cum eorum ſignificationibus. Ex ſenſu quodam perſpicuitatis maxime putem aeſtimandum, quid lectori ſervata dictione hebraea obſcurum eſſe poſſit, quid minus. De idiotiſmis vero linguae quibusdam nimis a genio linguae latinae aut germanicae alienis, ab interprete propterea neceſſario vitandis, dixi in praefatione ad verſionem prophetarum minorum, quae nolo hoc loco repetere. — — Ex his igitur regulis atque ex illo perſpicuitatis ſenſu, de quo modo dixi, verti hos libros ſacros. In quo ſi nonnunquam erravero, veniam dabunt, qui meminerint, ſenſum facilitatis admodum eſſe di-

verſum, ſaepeque alteri difficile videri, in quo alter minime haereat.

Non reprehendetur, uti ſpero, quod Jeſaiam denuo verterim, quanquam S. R. *Doederlein* verſionem hujus prophetae dederit elegantiſſimam notisque eruditiſſimis illuſtratam, neque ipſe Vir Summe Reverendus mihique amiciſſimus aegre feret, denuo a me ſuſceptum eſſe laborem, quo ipſe tam egregie eſſet defunctus. In volumine prophetarum a me jam latine verſo deeſſe non poterat prophetarum princeps. Neque fieri potuit, quin in interpretatione libri adeo difficilis nonnunquam diſſentiremus, quanquam in regulis interpretandi vel maxime conſentiamus. Equidem vehementer laudo et probo verſionem Viri Summe Reverendi, eamque magno mihi uſui fuiſſe profiteor. Sed ut Ho-

merus

merus graecorum poëtarum princeps complures naĉtus eſt interpretes, ſic Jeſaias hebraeorum poëtarum praeſtantiſſimus multo magis dignus eſt, in quo vertendo, qui poſſint, laborent. — Neque minus diligenter conſului verſiones hujus prophetae germanicas S. R. *Struenſee* et Clariſſ. *Waltheri* et quae eis deberem laudavi. Illuſtris *Michaëlis* verſio germanica Jeremiae prodiit, cum meam jam abſolviſſem. Paucas igitur tantum ex multis egregiis ejus obſervationibus ad meos uſus transferre potui.

In Ezechiele vertendo operam dedi, ut genus dicendi ei proprium ſalva perſpicuitate ſervarem. Quam diverſum illud ſit ab reliquorum prophetarum dicendi genere in imaginibus poëticis tum uſurpandis tum effingendis, in verborum copia et abundantia,

ſciunt omnes, qui eum vel leviter inſpexerint. Quantae vero difficultates ex eo oriantur interpreti, qui illum prophetae characterem non negligere, ſed in verſione ſimul exhibere velit; intelligent qui periculum ejus rei facere voluerint.

Danielis liber cum magna ex parte hiſtoricus ſit, minus habet quoad dicendi genus difficultatis. In vaticiniorum explicatione ſecutus ſum interpretes non contemnendos, mitiorem propterea reprehenſionem fortaſſe experturus, ſi erraſſe quibusdam viſus fuero, quod inprimis mihi verendum eſt in explicatione loci difficillimi capite nono. In tanto interpretum circa hunc locum diſſenſu ſententia eligenda videbatur aliisque praeferenda, quae, quantum ego quidem intelligo, difficultatibus, quibus aliae vulgariores pre-

premuntur, caret et nihil habet in quo reprehendatur niſi novitatem, propter quam vero mihi quidem non repudianda videbatur.

Quod attinet ad notas philologicas verſioni ſubjectas, deſiderio quorundam ſatisfeci et paullo plures addidi, quam ad prophetas minores, in quo tamen modum ſervandum eſſe exiſtimavi, cum nollem ſcribere commentarium, et qui linguarum non nimis ſint imperiti, ex verſione poſſint intelligere, quid mihi de ſenſu verborum hebraeorum videatur. Caeterum uti jucundum mihi fuit profiteri, a quibus didicerim, ita modeſte abſtinui a refutandis aliis. Mihi quidem ſufficit, dummodo mea recte probarim viris doctis. Quodſi interdum, quod tamen raro factum eſt, indicavi a quibus diſſentirem,

nolui

nolui videri temere diſſentire a viris quorum doctrinam et eruditionem ſuſpicio.

In lectione textus hebraei conſtituenda ſecutus ſum easdem regulas, quas in praefatione ad prophetas minores expoſui pag. XIV. ſeqq. hoc loco igitur non repetendas. Sejunxi criticas obſervationes, quae rationem reddunt, cur in quibusdam locis a recepta lectione diſceſſerim, a philologicis, ne textus verſionis nimia notarum mole oneraretur, excepto Daniele, in cujus capite nono critica a philologicis non commode poterant ſeparari. Aſteriſci ſignum * ablegat lectores ad illas notas criticas in unum faſciculum collectas poſt verſionem.

Caeterum cum labor in vertendis prophetis minoribus ſuſceptus non displicuerit viris

viris doctis linguarum peritis; idemque ſacrarum literarum ſtudioſis utilis fuerit ad genium linguae hebraeae cognoſcendum et ad partem difficiliorem ſcripturae ſacrae intelligendam: utrumque laboris mei praemium, mihi certe jucundiſſimum, ſperare quoque licet ex hac majorum prophetarum verſione, quippe quae non minori ſtudio et diligentia, addo etiam fide et religione, eſt confecta. In quo ſi me ſpes mea non fefellerit, ordiar Bibliorum ſacrorum verſionem, media eorum parte inſigniori et fere difficiliori abſoluta, a prima eorum parte, *Pentateucho.* Faxit Deus O. M. ut verbi ſui ſtudium in dies creſcat et augeatur. Quod fiet, ſi ejus praeſtantia, adhibitis legitimae interpretationis ſubſidiis, recte cognoſcatur. Scripſi in Academia Lipſica menſe Febr. A. R. S. MDCCLXXIX.

A. D.

ADMONITIO
DE HAC
SECUNDA EDITIONE

Paucis indicandum eſt Lectori Benevolo, quibus in locis haec altera hujus libri editio auctior prodeat et correctior priore. Maxime verſionis Eſaiae emendandae occaſionem dederunt, tum Lowthi *verſio hujus prophetae, quae poſt priorem hujus libri editionem demum a S. R.* Koppio *luculenter aucta prodiit; tum judicia virorum doctiſſimorum de labore hocce meo in vertendis prophetis majoribus conſumto; e quibus Duumviri mihi nominandi ſunt, doctrinae atque eruditionis laude celeberrimi, Perilluſtris* Michaëlis *et Summe Reverendus* Doederlein. *Ille quidem in Biblioth. Orient. et Exeget. P. XV. hic in Selecta Biblioth. Theol. P. I. nonnulla notarant, quae non poterant*

non

Digitized by Google

non aſſenſu meo comprobare. Hinc factae ſunt acceſſiones et mutationes bene multae in verſione Eſaiae, veluti Cap. VII, 14. pag. 25. Cap. VIII, 16. ſeqq. IX, 10. XV, 5. XVI, 1. ſeqq. XVII, 2. XVIII, 7. XXIX, 22. XXX, 31. 32. XXXII, 3. XXXIII, 1. XXXVII, 36. XLII, 20*. LIII, 8. In quorum locorum explicatione mutanda Cenſores mei me parum moroſum fuiſſe intelligent. Contra in aliis me nonnimis facilem deprehendent; in quibus nempe rationes, cur ſententiam meam deſererem, non ſatis graves reperiſſe mihi videbar.*

Hypotheſin de Threnis Jeremiae in mortem pii regis Joſiae ſcriptis, quam in priore editione defenderam, in hac altera repudiavi. Argumenta, quibus ea refutari poteſt, adeo multa et gravia ſunt, ut ſuſpicioni pertinaciae merito obnoxius eſſem, ſi probabilitatem illi adhuc vindicare ſuſtinerem: quo nomine gratias ago Viris Doctiſſimis, qui dubitationibus ſuis contra illam hypotheſin mihi auctores

fue-

fuerunt ejus repudiandae. Verſio quoque hujus libelli duobus in locis mutata eſt, eique duae obſervationes acceſſerunt, Cap. II, 6. et IV, 9. quibus loca haec difficiliora melius explicata videntur.

In Ezechiele et Daniele non factae ſunt mutationes niſi leviores quaedam paſſim in verbis. Equidem minime mihi perſuadeo, me in his prophetis ubique ſenſum verum vidiſſe et reddidiſſe. Sed locorum difficiliorum et dubiorum aliam non legere memini explicationem, ea, quam ipſe dederam, probabiliorem.

Caeterum vehementer opto, ut haec quoque libri editio ſacrarum literarum ſtudioſis proſit, ad praeſtantiſſima illa antiquae poëſeos hebraicae monumenta recte intelligenda et explicanda.

Scripſi in Acad. Lipſ. Cal. April. A. R. S. MDCCLXXXV.

JE-

JESAIAS

LIBER PRIMUS

SECTIO I. CAPUT I.

Haec ſunt vaticinia, quae Jeſaias Amoſi filius de Judaea et Hieroſolyma protulit, regnantibus Uſia, Jothamo, Achaſo, Hiskia in Judaea. — — 2. *a*) Audi o coelum! attende

o ter-

a) Diſſentiunt interpretes, ad quaenam tempora hic prophetae ſermo, qui primo loco poſitus eſt, ſit referendus. Uſiae quidem temporibus non ſatis videtur convenire. Etenim ſtatus reipublicae Judaicae, qui in hoc capite deſcribitur ut afflictiſſimus et miſerrimus, ſub Uſia felix fuit et florens. Igitur alii eum ad Achaſi tempora referunt, quibus poſt Rezini et Pekachi irruptionem ſtatus ille triſtis reipublicae Judaicae cum civilis tum eccleſiaſticus, qui in hoc ſermone a propheta deſcribitur, bene convenire videtur. Alii ad ultima Hiskiae tempora eum referre malunt, a quibus querelae prophetae de ſumma vaſtatione terrae illata morumque corruptione

A die-

o terra! nam Jova loquitur. Liberos educavi et alui, ſed a me defecerunt. 3. Novit bos herum ſuum, et aſinus praeſepe domini ſui: Iſraël non novit, populus meus non intelligit. 4. Heu gentem peccatricem, populum peccatis onuſtum, progeniem maleficam, natos perditos! Deſeruerunt Jovam, et ſpreto Iſraëlitarum numine retroceſſerunt. 5. Quare amplius caſtigemini? tamen peccare pergitis. Totum caput aegrotum eſt. Totum cor languet. 6. A planta pedis ad caput usque nil ſani ſupereſt. Vulnera, vibices, plagae recentes, non compreſſae, non obligatae, non oleo delinitae. 7. Terra veſtra vaſtata eſt, urbes combuſtae, agros veſtros vobis videntibus peregrini abſumunt. Vaſtata eſt, tanquam ab aquarum inundatione. 8. Sion reſtat ut tugurium in vinea, ut caſa in *b*) horto

alienae non videntur. Sancheribi quidem irruptio non levem terrae deſtructionem intulerat. Atque conatus pii regis populum ſuum a morum pravitate et idololatria ad virtutem et veri Dei cultum revocandi, tam parum felices videntur ſucceſſus habuiſſe, quam abnepotis ſui Joſiae idem molientis. Quibus non obſtat, hac hypotheſi admiſſa ordinem temporis non ſervari, quoniam ex multis exemplis in Jeremia inprimis obviis ſatis conſtat, eum ordinem in colligendis prophetarum ſermonibus ſaepe eſſe neglectum.

b) מִקְשָׁה Vocabulum in hac ſignificatione tantum h. l. obvium. Sed omnes interpretes antiquiores conſentiunt, hor-

to cucumerum, ut urbs obſidione cincta. 9. Niſi Jova omnipotens nobis reliquias feciſſet admodum paucas, Sodomae et Gomorrhae eſſemus ſimiles. — 10. Audite id, quod Jova dicit, principes Sodomae; attende ad Dei noſtri voluntatem, gens Gomorrhaea. 11. Quid mihi iſta ſacrificiorum veſtrorum copia? inquit Jova; Satiatus ſum holocauſtis arietum et adipe c) bubalorum, ſanguine taurorum, agnorum et hircorum non delector. 12. Venitis quidem ad me adorandum, ſed quis juſſit vos atria mea terere? 13. Ne mihi amplius offerte oblationes inutiles, ſuffitum abominor, novilunia, ſabbata, indictionem conventuum, ferre non poſſum dies feſtos iniquos. 14. Novilunia veſtra, diesque feſtos ſtatutos ex animo odi, moleſti mihi ſunt, iis-

hortum eſſe *cucumeribus* conſitum. οἱ ὁ vertunt σικυήρατον *cucumerarium*, et ſic etiam reliqui. Litera ה hoc loco cum א permutata eſt, nam Num. XI, 5. ſcribitur קִשֻּׁאִים. Cucumeres vero in deliciis Orientis eſſe, non ſolum ex loco citato diſcimus, ſed etiam ex teſtimoniis peregrinantium recentioribus. *Arvioſius* quidem in Relationibus ſuis paſſim Aegypti et Syriae cucumeres (Waſſer-Melonen) ob ſaporis praeſtantiam laudat, aliisque e. g. eis qui in Italia gignuntur longe praeferendos eſſe confirmat. Hinc nemo mirabitur hortos in Palaeſtina integros hoc terrae fructu eſſe conſitos.

c) מְרִיא non quodvis animal ſaginatum aut pingue eſſe, ſed in ſpecie *bubalum*, copioſe probavit *Bochartus* in Hieroz. Part. I. Lib. II. Cap. XVIII. pag. 282.

iisque ferendis fere feſſus ſum. 15. Quando manus veſtras expanditis, averto oculos meos; quin ſi preces multiplicatis, non audio. Manus veſtrae ſanguine madent. 16. Lavamini, mundamini, removete e conſpectu meo pravitatem morum veſtrorum, abſtinete a malo. 17. Diſcite benefacere, ſtudete aequitati, emendate quod corruptum eſt, defendite pupillum, cauſam agite viduarum. 18. Et tum quidem diſceptemus inter nos, inquit Jova. Etiamſi *d*) peccata veſtra inſtar coccini fuerint, ut nix albeſcent; ſi rubuerint inſtar muricis, ut lana fient. 19. Si obtemperare volueritis, terrae bonis fruemini. 20. Quodſi renueritis et contumaces fueritis, peribitis gladio, Deus eſt qui hoc minatur — — 21. O quantopere urbs fidem, quam olim mihi praeſtabat, jam quidem violat! quae plena erat aequitatis, in qua juſtitia ſedem ſuam fixerat, jam vero homicidae. 22. *e*) Argentum tuum re-

pro-

d) *Peccata veſtra* ſc. ante acta, a quibus abſtinere debebant, ſecundum verſ. 16 et 17. Qua conditione impleta promittitur gratia et peccatorum remiſſio.

e) Tropice haec dicuntur, in ſequenti verſu explicantur verbis propriis. Sub argento et vino puro ſ. mero duces et principes populi intelliguntur, qui propter vitia et corruptionem moralem comparantur cum ſcoriis argenti et vino aqua mixto. Nam מהול *ἅπαξ λεγόμενον* idem eſt, quod מול *ſecare*. *Vinum aqua ſecare* eſt phraſis orientalis, vinum aqua miſcere indicans. cf. *Schultenſius* in Animadv. philol. ad h. l. et Geneſ. XL, 11.

probum factum eſt, vinum tuum aqua mixtum.
23. Principes tui refractarii furumque ſocii, omnes
munera appetunt, et mercedibus inhiant, defenſionem
pupilli non ſuſcipiunt, nec cauſam agunt viduarum.
24. Propterea, inquit Dominus Jova omnipotens, he-
ros Iſraëlis, heu! ex poena adverſariis meis inflicta me
conſolabor, ultionem ſumam ab hoſtibus meis. 25. Ti-
bi vero *f*) benignitate mea ab omnibus ſcoriis perpur-
gatae atque omni ſtanno ablato 26. reddam judices
quales olim habuiſti, et conſiliarios quales ab initio,
atque ita demum civitas juſta, urbs fida eris.
27. *g*) Sion propter probitatem ſuam, et reduces ejus

f) Phraſis hebraea אָשִׁיבָה יָדִי עָלַיִךְ in utramque partem dicitur, quod ex contextu judicandum eſt. In ſequentibus promittitur purgatio a ſcoriis, et ſtanni ablatio (quibus manifeſte reſpicitur ad comparationem in verſu 22.) h. e. emendatio populi, quae non niſi pro ſummo Dei beneficio haberi potuit. Similem phraſin vid. Cap. XI, 11.

g) Senſus eſt: Iſraëlitas in exilio et captivitate emendatos gratiam Dei iterum eſſe conſecuturos. Utique enim mihi hic locus de exilio et reditu ex eo agere videtur, quanquam alii interpretes aliter ſentiant. Etenim non poterit tempus oſtendi aliud, quo partim comminatio, partim promiſſio h. l. impleta ſit, niſi reditus ex captivitate babylonica, de quo cum in noſtro propheta, tum in aliis ſimilia multa occurrunt. οἱ ό et Syrus pro

propter juſtitiae ſtudium redimentur. 28. Poena vero peccatorum hominumque contumacium una erit. Omnes qui Deum deſerunt, peribunt. 29. Quippe pudefient propter terebinthos, quas tantopere appetierunt, atque ignominia afficientur propter hortos quibus delectabantur. 30. Eritis enim ut terebinthus marceſcens foliis, et ut hortus nulla aqua irriguus. 31. Potens erit ut ſtupa et opus ejus ut ſcintilla, comburentur ambo una, extinguente nemine.

SECTIO II. CAPUT II—IV

1. *a*) Oraculum quod edidit Jeſaias filius Amoſi de Judaea et Hieroſolyma. 2. *b*) Futurum eſt aliquando, ut

וְשָׁבֶיהָ legerunt שִׁבְיָהּ *ἡ αἰχμαλωσία αὐτῆς* וְשָׁבִיתָהּ *captivitas ejus*, Lectio non contemnenda, ſenſus idem.

a) Hic prophetae ſermo ab interpretibus ad tempora Uſiae ſatis probabiliter refertur, quod ſtatus reipublicae Judaicae ut felix et florens deſcribitur Cap. II, 7. III, 16 ſeqq. ſimul vero valde corruptus. Reprehendit igitur propheta ſuorum temporum vitia, quibus poenas divinas minatur, additis in fine promiſſionibus, de felicioribus poſt illa Dei judicia temporibus.

b) Incipit propheta a deſcriptione magnae celebritatis, quam aliquando templum Hieroſolymitanum ſit conſecuturum: omnes gentes Deum Iſraëlitarum pro vero Deo eſſe agnituras et cum Judaeis in ſocietatem ejus colendi coituras. Quae tempora non poſſunt eſſe alia, niſi quae redi-

ut mons domus Dei aliis montibus et collibus excellentior et celebrior habeatur, et omnes nationes ad eum confluant. 3. Immo multae gentes convenient et dicent: Agite aſcendamus ad montem Jovae, ad templum Dei Jacobitarum, ut nos ſuam voluntatem doceat, ad quam vitam noſtram inſtituamus: ex Sione enim lex praeſtantiſſima egredietur, et Dei voluntas ex Hieroſolyma. 4. Ille enim tum gentium rex erit, multosque populos ſua diſciplina inſtituet. Tum cudent ex gladiis vomeres, et ex haſtis falces. Gentes non amplius armis inter ſe pugnabunt, nec bellum diſcent. — — 5. O Jacobitae, agite *c*) vitam noſtram ſecundum Jovae voluntatem inſtituamus. — — 6. At enim vero rejicies *d*) populum tuum Jacobitas. Nam

 c) ar-

reditum ex captivitate Babylonica exceperunt, a quibus notitia Dei Iſraëlitarum ad alias gentes pervenit. cf. locum noſtro ſimillimum Zach. VIII, 20 - 23.

c) Hebr. *incedamus in luce Jovae.* Propheta loquitur atque popularibus ſuis demonſtrat, indignum eſſe eos illum Deum contemnere et negligere, ad quem colendum gentiles, dummodo ejus notitiam conſecuti eſſent, ſummo cum ſtudio confluxuri ſint.

d) Sic explico verba hebraea כִּי נָטַשְׁתָּה עַמְּךָ ut ſint apoſtrophe ad Deum, in quam propheta erumpit, cum ſummam populi corruptionem videret. Verbum autem praeteriti temporis ex genio linguae pro tempore paullo poſt futuro dicitur. — — Sed non nego paullo difficiliorem

c) artem divinandi jactant magis quam Syri. Praeſtigiis

liorem eſſe hanc connexionem. Neque ignoro diſſenſum aliquem eſſe apud interpretes antiquiores. Chaldaeus quidem videtur in ſecunda perſona legiſſe: *reliquiſtis colendum et fortem*, quam etiam verba proxime praecedentia requirere videntur. Sed quia ex lectione recepta ſequentia faciiius cohaerent, eam non putavi deſerendam eſſe.

e) Explicationem hanc loci difficilioris debeo *Vitringae*, qui obſervat verbum מלא h. l. eſſe in ſignificatione peculiari ex ipſa arte divinandi petita. Quam qui profitebantur, jactabant ſe obſideri ab daemone eumque portare. Hinc מלא *plenum eſſe* h. l. ſignificat *artem divinandi jactare*. Deinde קֶדֶם *Vitringa* quidem intelligit de Oriente in genere, patria, ut ita dicam, artis divinatoriae. Sed affert ibidem *Abenefrae* ſententiam, qui קדם h. l. in ſpecie de Syris explicet, ex loco quodam noſtri prophetae, in quo diſerte Syri מִקֶּדֶם *ab oriente* et Philiſtaei מֵאָחוֹר *ab occidente* ſibi opponuntur, Cap. IX, 11. Quam ſententiam priori praeferendam neque indulgendum putavi conjecturae criticae *Hubigantii* aliorumque circa hanc vocem qui מִקֶּדֶם in מִקְּסָם mutatum volunt. Omnes interpretes antiquiores in lectione conſentiunt, quanquam diverſi ſunt in explicatione. Tandem יַלְדֵי נָכְרִים ſunt diſciplinae ſ. ſuperſtitiones peregrinorum, eodem ſenſu, quo Hoſ. V, 7. Judaei *peregrinos filios* generaſſe dicuntur, h. e. eos, qui ſtatim a prima juventute peregrinorum ſuperſtitioni aſſuefierent. —

שַׂפִּק

giis dediti ſunt, ut Philiſtaei, et gentilium ſuperſtitione delectantur. 7. Ut argento et auro terra eorum referta eſt, (immenſos enim habent theſauros) ut equis abundant: (nec modus eſt eorum curruum) 8. ita et idolis terra eorum plena eſt. Coram opere manuum ſuarum ſeſe proſternunt, quod eorum digiti fecerunt. — — 9. Cum infimi, tum ſummi deprimentur et humiliabuntur, nulli eorum ignoſces. 10. Ingredere in rupem, abſconde te ſub terra ob Jovae timorem, ob majeſtatem ejus excelſam. 11. Supercilia enim hominum elata humiliabuntur, et faſtus mortalium deprimetur, Jova ſolus eo tempore eminebit. 12. Tempus enim judicii Jovae omnipotentis inſtat in omnem, qui eſt animo elato, faſtuoſo et ſuperbo, ut humilietur. 13. *f*) In omnes cedros Libani in altum elatas et in omnes quercus Baſanis. 14. In omnes montes ſublimes, in omnes colles elatos. 15. In omnes turres peraltas et urbes munitas. 16. In omnes naves Tarteſſenſes et imagines artificioſe iis inſculptas. 17. Sic deprimetur faſtus hominum, et humiliabitur ſuperbia mortalium, Jova eo tempore ſolus eminebit. 18. Idola vero penitus auferentur. 19. Tum intrabunt ſpeluncas petrarum et terrae cavernas, propter Jovae formidi-

שָׂפַק eſt *complodere* ſ. gaudere de eo quod quis obtinuit. cf. *Schultenſius* ad Job. XX, 22. pag. 530.

f) In hoc μερισμῷ non eſt argutandum. Nihil aliud quam deſtructio terrae totalis indicatur.

midinem et majeſtatem ejus reverendam, quando apparebit ad terram concutiendam. 20. Illo tempore projiciet homo idola ſua argentea et aurea, quae ſibi fecerat ut ea adoraret, ad talpas et veſpertiliones. 21. Subibunt petrarum cavernas et rupium fiſſuras, prae Jovae timore, prae majeſtate ejus verenda, quando apparebit ad terram concutiendam. 22. Deſinite igitur in homine inflato ſpem veſtram ponere: quanti enim ille faciendus eſt? CAPUT III, 1. Etenim dominus Jova omnipotens auferet ex Hieroſolyma et Judaea *a*) omnia vitae ſuſtentandae neceſſaria, cibum et potum, 2. Virum fortem et belli peritum, judicem, prophetam, *b*) virum prudentem et ſenem. 3. Pentecontarchum, virum gravem, conſiliarium, peritum artificem et diſertum. 4. Dabo eis pueros principes, infantes iis dominabuntur. 5. Violenter aget omnis

a) In textu maſculinum et foemininum ejusdem nominis conjunguntur, ex idiotiſmo linguae quo multitudo aut univerſalitas ejus rei indicatur. vid. *Glaſſii* Philologia S. pag. 52. novae edit.

b) קֹסֵם h. l. in bonam partem accipitur ut Prov. XVI, 20. et ſic etiam in ſequenti verſu נְבוֹן לַחַשׁ *eloquentiae peritum.* οἱ ό, συνετὸν ἀκροατήν. Videntur לחשׁ deteriorem in partem accepiſſe, pro oratione ſeductrice, quae animum hominis incantat, unde hebraea explicant per eum, qui ejusmodi ſermone imponi non patitur. Syrus et Chaldaeus habent: *prudentem in conſilio.*

omnis populus, alter alterum atque adeo amicum ſuum opprimet; puer contra ſenem inſolenter ſe geret et ignobilis virum gravem contemtim tractabit. 6. Hinc fiet, ut alter alterum ſuae cognationis hominem ita compellet: Veſtem habes, ſis princeps noſter, ſuccurre ruinis patriae. 7. Ille vero hoc vehementer negabit: Non poſſum, inquiet, res veſtras curare, domi meae neque panis eſt, neque veſtis. Nolite me principem populi conſtituere. — — 8. Atque ita corruet Hieroſolyma et cadet Judaea, quia ſermonibus et vita ſua id tantum agunt, ut rebellent contra Jovam ejusque majeſtatem. 9. Perfricta eorum frons teſtatur contra ipſos; peccata ſua aperte profitentur ut Sodomitae, non celant ea; Vae illis! ipſi ſibi horum malorum ſunt auctores. 10. Beatum praedicate pium, nam mercede laborum ſuorum fruetur. 11. Vae contra praefracte impio, nam is quoque laborum ſuorum fructum percipiet. 12. Populi mei exactores ſunt pueri et mulieres dominantur ei. Popule mi, qui te ducunt, ſeducunt te, et viam qua tibi eundum eſt corrumpunt. — — 13. Adeſt Jova ad litem intendendam, apparet ut in jus vocet populum. 14. Jova in judicium venit cum ſenioribus populi ſui ejusque principibus. Vos enim depaſti eſtis hanc vineam, pauperumque rapina eſt in aedibus veſtris. 15. Quid vos populum meum conteritis et inopes opprimitis? dicit Dominus Deus omnipotens.

ſens. — — 16. *c*) Porro dicit Jova: propterea quod mulieres Sionis ſuperbiunt et incedunt collo in altum erecto, oculis nictantes et paſſibus ad menſuram ordinatis gradiuntur et in pedibus compedes geſtant, 17. ſcabie afficiet verticem mulierum Sioniticarum et pudenda earum reteget. 18. Illo tempore auferet dominus ornamentum compedum, imagines ſolares et lunulas, 19. inaures, armillas, pepla tremula, 20. tutulos, armillas, cingula, olfactoriola, amuleta, 21. annulos digi-

c) Hanc pericopam inde ab hoc verſu usque ad verſum 24 ob vocabula rariora perquam difficilem data opera explicavit Vir Celeb. *Nic. Guil. Schroederus* in Commentario eruditiſſimo de *veſtitu mulierum hebraearum.* Quanquam enim de nonnullis praeter rationes ex originatione ſumtas aliae afferri non potuerunt, tamen nec hae prorſus contemnendae ſunt, aliis certioribus non ſuppetentibus. De נִזְמֵי הָאַף verſ. 21. nuper egit doctiſſime, uti ſolet, Vir Celeb. *Sebald. Ravius* in Diſſertatione philologica ad varia Vet. Teſt. loca pag. 32 et contra Celeb. *Schroederum* plane probavit, ea non eſſe frontis quoddam ornamentum, nempe lineas margaritarum vel gemmarum in fronte ſuper naſum ſuſpenſas, quod ille defenderat l. c. ſed annulos, quos mulieres orientales in naribus geſtare ſoleant. Cui ſententiae non ſolum originatio favet, nam נזם apud Arabes eſt *figere*, *transfigere*, *fibulare*, ſed etiam teſtimonia peregrinatorum, qui hoc ornamentum etiamnum a mulieribus orientalibus uſurpari confirmant. e. c. *Arvioſius* in Relatt. P. III. verſ. germ. pag. 252 et *Niebuhr* in Deſcript. Arab. pag. 65.

digitorum et naſi, 22. chlamydes plumatas et ſtolas, pallas et loculos, 23. veſtes pellucidas, interulas, vittas, palliola. 24. Loco aromatis tabes erit, in locum cincturae capitis ſuccedet cruenta capitis contuſio; pro coma bene pexa calvities, loco zonae erit cinctura ſacci; et deformata facies in locum conſummatae pulchritudinis. 25. Viri tui gladio interficientur et fortiſſimi bello peribunt. 26. Luctus et planctus in portis ejus audietur *d*) et urbs deſolata ſolo aequabitur.

CAPUT IV, 1. Tum apprehendent ſeptem mulieres virum unum et dicent: Pane noſtro veſcemur, et veſtibus noſtris amiciemur, modo dicamur tuae uxores et auferas a nobis opprobrium noſtrum. — — 2. Poſt illa vero tempora exiſtet *e*) germen Jovae ſumme decorum, et terrae fructus plane egregius; eorum nempe qui de Iſraëlitis evaſerint. 3. Etenim omnis qui reliquus

d) *Schultenſius* in Animadv. philol. ad h. l. probavit נקה ex uſu loquendi Arabico eſſe *depraedari*, *depopulari*, q. d. *mundum reddere*, et quod ſequitur, לָאָרֶץ תֵּשֵׁב eſſe *dirutum collabi*, *ſolo aequari*. Quo ſenſu Latini quoque ſedere et conſidere uſurpant.

e) Non putem h. l. ſub germine Jovae Meſſiam intelligi. Nam in altero membro vocatur fructus terrae, et in ſequenti verſu clare propheta ſeſe ipſe explicat: quinam ſint illud germen et fructus terrae, et in verſu 4 docet, quando illud germen extiturum ſit. Ex quo nexu obſervato ſequitur לִפְלֵיטַת יִשְׂרָאֵל eſſe genitivum.

quus eſt Sione et ſuperſtes Hieroſolymae ſanctus erit, nimirum omnes qui ibi in vita ſunt conſervati. 4. Poſtquam nempe eluerit dominus omnes ſordes mulierum Sioniticarum, et caedes ab Hieroſolymitanis patratas ab iis abſtulerit *f*) judicio ſevero eoque perdente. 5. Tum vero Jova parabit in omnibus locis montis Sionis et in omnibus ejus conventibus *g*) nubem ſpiſſam interdiu et ſplendorem ignis flammantis noctu, et ubique hanc ejus felicitatem tuebitur. 6. Tugurium erit, ſub quo umbra frui poteſt die propter aeſtum, et refugium et latibulum ab imbre et pluvia.

SECTIO III. CAPUT V

1. Carmen canam dilecto meo, carmen amico meo de vi-

f) Obſervent tirones h. l. uſum et ſignificationem vocabuli רוּחַ, quod minime ſemper *ſpiritum* aut *ventum* indicat, ſed ſaepe vim et effectum ſive praeſtantiam ejus rei, de qua ſermo eſt. cf. Cap. XXIX, 14. Sic h. l. ſi בְּרוּחַ מִשְׁפָּט וּבְרוּחַ בָּעֵר vertere velis, *vento judicii* et *vento incendii* ſ. *conſumtionis*, verba dares ſine ſenſu. Judicii magnitudo et ſeveritas indicatur, quo Deus Judaeos ſit puniturus. Dixi nonnulla de hoc vocabuli רוּחַ uſu ad Glaſſium pag. 819.

g) Alluſio eſt ad columnam nubis et ignis, quae Iſraëlitas ex Aegypto egreſſos praecedebat et defendebat. Similem curam et defenſionem promittit propheta reducibus ex captivitate Babylonica.

vinea ejus. [Vineam habebat amicus meus in loco ſublimi et pingui. 2. a) Fodit eam et lapidibus purgavit, conſevit eam vite praeſtantiſſimi generis, turrim in ea exſtruxit, torcular in ea exſcidit. Jam vero ſperavit, ut uvas ederet, at enim vero b) napellos protulit. 3. Jam vos, cives Hieroſolymitani, Judaeae incolae, arbitri eſtote inter me et vineam meam. 4. Quid amplius faciendum erat vineae meae, quod ego non feciſſem? Cur ergo, cum ſperarem eam uvas eſſe daturam, napellos protulit? 5. Atqui vobis indicabo, quid ei ſim facturus: auferam ejus ſepem ut vaſtetur, diruam ejus maceriem, ut conculcetur. 6. Efficiam ut ſit deſerta, non amputabitur, non paſtinabitur. Increſcent ſentes et vepres, et nubibus praecipiam ne demittant in eam pluviam — — 7. Atqui vos Iſraëlitae et Judaei eſtis haec vinea Jovae omnipotentis, fundus quo tantopere delectabatur. c) Expectavit aequitatis ſtudium, ſed

a) עזק *ἅπαξ λεγ.* ex lingua Arabica illuſtrandum, in qua عزق eſt *fodere*, in ſpecie *terram lapidoſam;* quod ſequenti *elapidavit* aptiſſimum eſt. cf. *Schultenſius* in Animadv. philol. ad h. l. et Illuſtris *Michaelis* Biblioth. orient. P. XI. pag. 171.

b) באשים non *labruſcas* eſſe (Heerlinge) ſed *napellos* (Eiſenhütlein, Wolfswurzel) probavit *Celſius* in Hierob. Part. II. pag. 199.

c) Elegantia eſt h. l. in textu Ebraeo, quae in verſione expri-

ſed *videt* ſanguinis effuſionem; juſtitiam, ſed *audit* clamorem *oppreſſorum.* 8. Vae! his qui domum domo jungunt, fundum fundo augent, ita ut locus non ſuperſit et tandem iſti ſoli terram inhabitent. 9. Non me latent haec omnia, inquit Jova omnipotens. Profecto multae iſtae domus deſolatae erunt, amplas iſtas et pulcras nemo inhabitabit. 10. Quippe decem jugera vineae facient bathum unum, et ſemen chomeri dabit Epham. — — 11. Vae! qui mane ſurgunt, ut potationi indulgeant, et qui tempus ad ſerum crepuſculum trahunt, ut vino incaleſcant. 12. Qui convivia citharis, nablis, tympanis, tibiis, vino celebrant, Jovae vero facta non curant, ejusque opera non conſiderant. — — 13. Propterea populus meus imprudens in exilium abibit, nobiliores ejus fame peribunt, et plebeji ſiti. 14. Tum orcus dilatabit os ſuum, diſtendet fauces ſuas in immenſum et deſcendent nobiles aeque ac plebeji, ſtrepentes et exultantes in eo. 15. Et ſic infimi pariter atque ſummi deprimentur, et humiliabuntur ſuperborum ſupercilia. 16. Jova vero omnipotens exaltabitur per illud judicium, et Deus ſanctus, ſanctus cognoſcetur per juſtitiam. 17. Tum paſcent agni quo ducentur, et loca illa pinguiſſima jam deſerta peregrini abſument: — —

18.

primi non poteſt. Paronomaſia, qua ſcriptores hebraei elegantiores inprimis delectantur in vocibus ſimiliter deſinentibus: *Miſchpath* et *Miſpach*, *Sedakah* et *Seakah*. cf. Glaſſius pag. 1335.

18. *d*) Vae! his qui poenam quaſi funibus, et ut plauſtri loris judicia Dei attrahunt, 19. qui dicunt: acceleret, propere adducat opus ſuum ut videamus. -- -- 20. Vae! his qui dicunt malum bonum, et bonum malum, qui tenebras in lucem, & lucem in tenebras convertunt, qui mutant amarum in dulce et dulce in amarum. — — 21. Vae! his qui ſibi admodum prudentes et ſapientes videntur. — 22. Vae! his qui heroes ſunt in compotationibus, qui indefeſſi ſunt ad miſcendam ſiceram, 23. *e*) qui impium propter munus abſolvunt et juſtos jure ſuo defraudant. — — 24. Quapropter ut lambens ignis ſtipulam conſumit, et a flamma ſtupa diſſolvitur: ſic radix eorum ut putridum

d) *Iniquitas* et *peccatum* h. l. metonymice effectum h. e. poenas et judicia divina indicant. *Funibus* igitur *eas ad ſe trahere* dicuntur profani iſti homines, qui prophetae minas contemnebant et judicia divina provocabant, quaſi eorum videndorum deſiderio tenerentur. Sic propheta ſeſe ipſe explicat in ſequenti verſu.

e) Cum propheta ſingulorum criminum reprehenſionibus exclamationem הוי praemiſerit, videri poſſet haec particula ſcribarum vitio hoc loco excidiſſe, quod diverſum a praecedenti crimen reprehenditur, injuſtitia nempe judicum. Sed nullus interpretum antiquorum illud הוי repetit; Syrus et Arabs tantum copulam Vau praemittunt. Sed *οἱ ό* Vulg. et Chald. ſine ea legerunt uti eſt in textu.

tridum quiddam erit et flos eorum ut pulvis evaneſcet; nam legem Jovae omnipotentis ſpreverunt et dicta Dei Iſraëlis contemſerunt. 25. Hinc etiam ira ejus exarſit in populum ſuum, extendet manum ſuam et tam graviter eum percutiet, ut montes contremiſcant. Cadavera eorum ut ſtercus in plateis abjecta jacebunt: et ne ſic quidem ira ejus remittit, manus ejus adhuc eſt extenſa. 26. Vexillum eriget gentibus remotis, advocabit eas ab extremis regionibus et en! cito et velociter adſunt. 27. Nullus eſt in eis feſſus, nullus qui offendat, nullus qui dormiat aut ſomno indulgeat: nullus qui balteum diſcingat aut calceorum corrigias ſolvat. 28. Sagittas habent acutas, arcus intentos, equorum ungulae ſilici aequant, rotae turbini. 29. Rugiunt ut leones, ut catuli leonum rugiunt, fremunt, praedam prehendunt et evadunt nemine eripiente. 30. Aeſtuabunt contra eum ut mare aeſtuat. Ille vero (ſc. populus) terram intuebitur, ſed vbique tenebrae *f*) et calamitates imminent atque adeo * lux ipſa coeleſtis obſcurabitur.

SECTIO IV. CAPUT VI

1. Anno quo mortuus erat rex Uſias, vidi * Dominum ſedentem ſuper throno alto et elato, laciniae *chla-*

f) Male h. l. a Maſorethis ſigna diſtinctionis poſita ſunt. חֹשֶׁךְ צַר jungenda ſunt, quanquam ἀσυνδέτως a propheta in affectu eleganter ſunt enunciata.

chlamydis ejus implebant templum. 2. *a*) Angeli ei adſtabant ſenis alis inſtructi, binis vultum tegebant, binis pedes, binis volabant. 3. Et alternatim ſibi acclamabant: Sanctus, ſanctus, ſanctus Jova omnipotens. Totus terrarum orbis teſtatur de ejus majeſtate. 4. Quo clamore liminum poſtes commotae ſunt. Aedes vero denſa nube repleta eſt. 5. Tum ego, heu mihi! inquiebam, pereo; qui cum impuris labiis ſim, habitemque inter homines impuros, regem Jovam omnipotentem praeſentem videam. 6. Tum unus de Seraphis ad me advolavit, manu tenens lapidem ignitum, quem forcipe de altari ſumſerat. 7. Atque ori meo eum admovens dixit: en hoc labiorum tuorum tactu omnis iniquitas tua ſublata eſt et peccatum expiatum. 8. Deinde audivi vocem domini dicentis: quem mittam? quis noſter erit nuntius? en adſum, inquiebam, mitte me. 9. Tum ille: I nuntiatum huic populo *b*) futurum eſſe ut audiant, nec intel-

a) שְׂרָפִים *Angelos* eſſe non igneae quaſi naturae, ut nonnulli ex Etymologia argutantur, ſed potius *magnates*, nobilitate claros, collato Arab. شرف recte conjicit S. R. *Doederlein* approbante Illuſtri *Michaele* in Bibl. Or. P. XI. pag. 173.

b) Verba activa, quae in hoc et ſequenti verſu leguntur, ex genio linguae hebraeae per id quod futurum ſit explicanda eſſe, jam dudum eſt obſervatum a multis inter-

intelligant, ut videant, nec cognoſcant. 10. Oſtende huic populo mente eum eſſe prorſus ſtupida, aures gravedine, oculos hebetudine laborare; hinc eſſe ut nec oculis videat, nec auribus audiat, nec mente intelligat, nec iterum ſanatio ei obtingat. 11. Ego vero dixi: quo usque o Domine? Reſpondit: donec ita vaſtentur urbes, ut nemo eas incolat, et domus, ut nemo eas habitet et terra vaſtata deſoletur. 12. Jova enim procul removebit homines, ut tota terra ſit deſerta. 13. Quodſi etiam decima forſan pars in ea ſuperfuerit, haec tamen quoque depopulabitur. Sicut in terebintho aut quercu, *c*) quibus caeſis truncus tantum ſupereſt. Semen ſanctum erit ille truncus.

SECTIO V. CAPUT VII

1. Regnante Achaſo Jothami filio, nepote Uſiae, in Judaea, Rezin rex Syriae, et Pekachus Remaljae filius rex Iſraëlis, facta expeditione Hieroſolymam oppugnarunt, ſed non poterant eam capere. 2. Igitur cum

interpretibus. Quam paullo duriorem metonymiam cum adeo neque verſiones antiquae retinuerint, Graeca, Syriaca, Chaldaica, eo magis haec atque ſimilia ſecundum verum ſuum ſenſum genio linguarum occidentalium ſunt accommodanda.

c) בְּשַׁלֶּכֶת paſſive accipio pro arbore caeſa et proſtrata, cujus truncus tantum relictus eſt. Sic etiam Paullus ad h. l. alludens Rom. XI, 19.

cum indicatum eſſet Davidis, poſteris, Syros junxiſſe ſe Iſraëlitis, illi et omnis populus timore non aliter agitati ſunt, quam arbores ſolent vento agitari. 3. Tum Jova Jeſaiam juſſit obviam ire Achaſo, aſſumto filio ſuo Schearjaſchubo, ad aquaeductum piſcinae ſuperioris juxta viam campi fullonum: 4. eique dicere: Cura ut tranquillo ſis animo, neque metuas, nec ſpem omnem abjicias propter duas titiones iſtas *a*) in extremis ſuis tantum fumantes, *hoc eſt:* propter iram Rezini et Syrorum et propter filium Remaljae. 5. Etenim quanquam Syri mala adverſus te cudunt conſilia, nec non Ephraimitae et Remaljae filius, 6. ſe nempe Judaeam aggredi velle, obſidere, inter ſe partiri, et regem in ea conſtituere Tabealis filium; 7. tamen Dominus Jova declarat, vana atque irrita futura eſſe iſta conſilia. 8. Quippe regnum Syriae eiusque rex Rezin fines ſuos non egredietur aut dilatabit, atque * intra quinque et ſexaginta annos Ephraimitae ita frangentur, ut populus amplius non ſint. 9. Similiter Ephraimitae eorumque rex Remaljae filius regni ſui fines non promovebunt. Si non creditis, profecto parum eritis feli-

a) Metaphora haec illuſtranda eſt ex hiſtoria. A Joaſo ejusque filio Jerobeamo Syri aliquoties victi ſunt, viresque eorum valde debilitatae. 2 Reg. XIII, 17. XIV, 25. 28. Quo obſervato elegantia comparationis intelligitur.

ces *b*) — — 10. Porro Jova Achaſo dici juſſit: 11. Roga, ut Deus miraculum edat ſive in terra, ſive in coelo. 12. Reſpondit Achaſus, nolo rogare, ne tentare Jovam videar. 13. Ad haec Eſaias: Jam vero audite poſteri Davidis! num parum vobis videtur, dum hominibus veſtra reſiſtentia moleſti eſtis, Dei quoque conatibus reſiſtere? 14. Propterea ipſe Dominus dabit vobis ſignum: *c*) En virgo gravida facta

b) Verba hebraeis maxime parallela ſunt quae leguntur 2 Paral. XXIX, 20. ex quibus noſtrum locum putem explicandum. *Grotius* quidem ſic vertit: *An ideo non creditis, quia non confirmamini?* ſigno nempe aliquo conſpicuo: Sed ellipſis durior mihi videtur.

c) Longum foret atque etiam ab inſtituto meo alienum, enarrare multiplicem interpretum diſſenſum circa hunc locum, utrum nempe in ſenſu literali de Meſſia aliquando ex virgine naſcendo vaticinium exhibeat, an typico, an omnino de hac miraculoſa nativitate ſit explicandus. Otium mihi fecit in diverſis ſententiis recenſendis *Vitringa*, quem adeat qui ſcire velit, quam anxie laborarint interpretes in vindicando hoc vaticinio nativitati Jeſu Chriſti ex virgine Maria. Nec tamen ſilentio praeterire poſſum libellum, qui nuper admodum prodiit *Jo. Laurentii Iſenbiehlii*, Profeſſoris Moguntini, ſub titulo: *novum tentamen ſuper vaticinio de Emmanuele* (theotiſce ſcriptum, Johann Lorenz Iſenbiehl's neuer Verſuch über die Weiſſagung vom Emmanuel 1778.) in quo Vir doctiſſimus omni ſtudio id egit, ut primo probaret, nullo

facta pariet filium, quem Immanuel vocabit. 15. Lacte et melle nutrietur donec noverit ſpernere ma-

 lum

nullo modo hoc vaticinium agere de Meſſia ex virgine naſcendo; deinde allegationem ejus a Matthaeo eſſe puram putam accommodationem ſ. comparationem factorum ſimilium. Laudanda ſane eſt doctrina atque eruditio viri, qui in tota hac diſputatione animum oſtendit veri indagandi cupidiſſimum atque ab omni partium ſtudio alienum. Eo magis doleo duram ejus ſortem quam ſubiit (nam in vincula et carceres conjectus eſt) propter quaeſtionem exegeticam, et quod ſuo exemplo comprobarit, quam periculoſum ſit impugnare inveteratos errores ſive opiniones praejudicatas. — — Quod vero attinet ad ſententiam ab eo adſtructam, non poſſum ei aſſentiri. Etenim allegatio hujus vaticinii a Matthaeo, nequaquam mihi videtur eſſe accommodatio, ſive comparatio eventuum ſimilium. Formula citandi qua evangeliſta utitur Cap. I, 22. τοῦτο δὲ ὅλον γέγονεν, ἵνα πληρωθῇ τὸ ῥηθὲν, manifeſte eſt argumentantis, non comparantis, quae magnopere diverſa eſt ab alia ejusdem evangeliſtae et aliorum v. c. Cap. II, 17. τότε ἐπληρώθη τὸ ῥηθὲν, quam ut et ſimiles in accommodatione ſaepe adhiberi concedo. Sic enim ſentio, ut paucis dicam, de allegationibus locorum Vet. Teſt. in Novo: Quae a ſcriptoribus S. citantur argumentandi cauſa, ea etiam de eo, in cujus probationem afferuntur, agunt. Quod, ubi factum ſit, non tantum ex verbo πληροῦσθαι colligi poteſt, quod ſaepe in illuſtratione rei ex re ſimili adhibetur, ſed ex particulis conſecutivis ἵνα, ὅπως aut ſimilibus — — Sed ad hanc diver-

ſitatem

lum et eligere bonum. 16. Antequam vero puer ille ad iſtos diſcretionis annos pervenerit, regio duorum iſtorum

ſitatem in citandis locis V. T. non attendit *Iſenbieblius.* Ambiguam eſſe formulam dicit (l. c. pag. 291.), ex contextu tantum vaticiniorum et ex collatione cum N. T. colligendum eſſe, utrum locus tanquam vaticinium, an per accommodationem citetur. Quod nullo modo concedi poteſt. Etenim ſi haec regula admittatur, nullibi cum ipſi certi eſſe poſſumus, tum refutare adverſarios, cum vix unum alterumque vaticinium extet, quod non temporibus, quibus editum eſt, poſſit ſatis probabiliter aptari. Allegatio per argumentationem unicum eſt criterium, ex quo vaticiniorum in Nov. Teſt. implementum probari poteſt. — — Quanquam vero hoc Jeſaiae vaticinium propter ejus allegationem a Matthaeo l. c. de nativitate Meſſiae ex virgine agere exiſtimem, tamen non literaliter ſed typice tantum hunc ſenſum verbis prophetae ineſſe puto. Qui in ſenſu literali verba prophetae explicant, perquam coacte hoc faciunt et toto contextu refragante. Quod bene docuit *Iſenbieblius* l. c. Clarum enim eſt prophetam promittere ſignum brevi exſtiturum, ex quo Achas brevi futuram liberationem debebat cognoſcere. Tale vero non erat promiſſio de Meſſia poſt ſeptingentos annos demum ex virgine naſcendo. Quas vero ad hanc objectionem removendam excogitarunt rationes, eae ſunt parum probabiles et verbis prophetae vim inferunt manifeſtam, quod ab *Iſenbieblio* l. l. aliisque abunde eſt demonſtratum. Igitur eis aſſentior, qui verba in ſenſu literali explicant. Scilicet prophetam virginem quan-

iſtorum regum, propter quos aegro tibi eſt, erit deſerta. — — 17. Adverſus te vero, tuum populum fa-

B 5 miliam-

quandam praeſentem, omnibusque notam indigitaſſe, quam praedixerit filium modo eſſe miraculoſo parituram in datao promiſſionis confirmationem, atque hoc miraculum tempora quidem prophetae proxime ſpectans, typum fuiſſe nativitatis Chriſti ex Maria virgine. Sic omnia optime cohaerent, neque verbis prophetae vis infertur, neque Matthaei allegatio ſuſpecta videri poteſt, quae non dicit literaliter illa eſſe impleta, ſed confert eventus ſimiles, atque priorem in poſteriori perfectum ſuum dicit habere implementum. Equidem non video, quid in hac conciliatione reprehendi poſſit, aut quo pacto ea erroris poſſit redargui. Nam cum crucifixionis Meſſiae ſerpens aeneus et triduae ſepulturae Jonas typi fuerint, quidni etiam Deo placuerit adumbrare nativitatem ejus ex virgine? Conferantur quae infra dicentur ad Cap. XLII, 1. de ſenſu typico ſ. myſtico locorum complurium. — — Neque prorſus nova eſt haec explicatio. *Hieronymus* jam eam commemoravit et *Pellicanus* defendit, nec tamen ſatis clare et diſtincte. Pluribus eam adſtruxit *Faber* ad Harmarum P. I. p. 279 ſeqq. qui tamen nihil habet de conciliatione ejus cum Matthaeo. — — Nihil mutavi in his quae in priori hujus libri editione ſuper h. l. ſcripſeram. Non quidem propterea quod dubia a quibusdam viris doctis contra ea mota contemno, ſed quod ne nunc quidem aliam legi explicationem, quae omni dubitatione careat. Etenim ea quam Ill. *Michaelis* attulit et cui aſſentitur S. R. *Koppius*, genio poetae

miliamque paternam Jova tempora adducet, qualia non fuerunt, ex quo Ephraimitae a Judaeis ſunt ſeparati. Regem nempe Aſſyriae. 18. Tum Jova ſibilo evocabit *d*) muſcas, quae ſunt in littore fluminum Aegypti, et apes regionis Aſſyriacae. 19. Quae cum venerint, conſidebunt in vallibus locorum deſolatorum, in fiſſuris petrarum, in vepretis et locis irriguis. 20. Illo tempore abradet dominus novacula illa

poetae convenientiſſima quidem eſt et facillima, ſed dubium mihi in ea reſtat circa vocabulum אות, quod per contextum neceſſario videtur eodem ſenſu accipiendum, quo verſ. 11. a propheta dictum fuerat, nempe de miraculo aut eventu quodam extraordinario. At enim vero ſi propheta nihil aliud dicat, quam brevi tempore futuram eſſe liberationem, idque tempus breviſſimum comparet cum tempore conceptus et partus mulieris, tunc אות in ſenſu longe diverſo accipit quam quo in verſu 11 adhibuerat. Contextus neceſſario videtur requirere eventum rei vere exiſtentis, uti nomen Immanuel ſubiectum vere exiſtens indigitat. Quod ipſum dubium contra hanc explicationem movit quoque S. R. *Doederlein* in Biblioth. Theol. ſelecta P. I. p. 594.

d) Apte utitur propheta hac imagine, quod Aegyptus muſcarum aliarumque hujus generis inſectarum feraciſſima eſt. Indicatur igitur quam noxii et pernicioſi ſint futuri ingentes illi exercitus Aegyptiorum et Aſſyriorum terrae Iſraeliticae. Eadem etiam ratio eſt alterius metaphorae ab apibus ductae, quam propheta eleganter in ſequentibus hujus verſus membris continuat.

illa *e*) mercenaria, per transfluviales, per regem Aſſyriae caput et pilos pedum, atque *f*) adeo barbam tondebit. 21. Tum *g*) ſi quis bubulam aut duas oves nutriet, 22. tantam lactis accipiet copiam, ut cremore veſcatur, quin immo quicunque tunc in hac regione ſuperſtes fuerit, lactis cremore et melle fruetur. 23. Tum porro, ubicunque antea mille vites mille argenteis aeſtimatae fuerint, ſentes et vepres ſuccreſcent, 24. ita ut non niſi ſagittis et arcu inſtructus loca illa adire poſſis: tota enim terra iſta in ſenticeta et vepreta convertetur. 25. Atque montes iſti, qui tam diligenter coli et paſtinari ſolent, prae ſentium et veprium horrore erunt inacceſſi atque ab armento et pecore conculcabuntur.

SECTIO

e) Mercenaria vocatur haec novacula, quod Achas hujus regis auxilium tam anxie implorabat.

f) Barbam alere ſolent Orientales ut decus virorum, atque perquam ignominioſum habetur vim in ea experiri. vid. *Arvioſius* P. III. pag. 173. verſ. germ. et 2 Sam. X, 4. 5. Indicatur igitur ſumma contumelia, qua afficiendi eſſent Judaei ab Aſſyriis.

g) Conſequens vaſtationis terrae inducendae deſcribitur. Hominum nempe penuria et vaſta ſolitudo. Pauci ſuperſtites iique inopes, qui exiguo peculio large ſuo modo vivent, quod paſcua ubique patebunt ob hominum infrequentiam.

SECTIO VI. CAPUT VIII — IX, 6

1. *a*) Jova me juſſit membranae magnae inſcribere
ſcriptura vulgari haec verba: properat ad rapinam,
feſtinat ad praedam. 2. Igitur teſtes hujus rei adhibui
fide dignos Uriam ſacerdotem et Secharjam filium Je-
berchahu. 3. Conjux vero mea ex me gravida facta
peperit filium, quem Jova juſſit vocare *b*) Maher ſcha-
lal chaſch Bas; 4. Futurum enim eſſe, ut antequam
puer parentes ſuos vocare poſſet, opes Damaſci et
praeda Samariae ab Aſſyriae rege auferantur. — —
5. Porro Jova mihi dixit: 6. Propterea quod hic po-
pulus ſpernit aquas Siloae leniter fluentes, et laetatur
de Rezine et filio Remaljae; 7. En! ego adducam
contra eos aquas Euphratis rapidas et multas. Re-
gem nempe Aſſyriae ejusque potentiam. Tranſcen-
det omnes alveos ſuos et excedet omnes ripas ſuas.
8.

a) In hac Sectione propheta primo repetit promiſſionem de everſione regni Syriaci et Iſraëlitici per regem Aſſyriae verſ. 1-4. Deinde reprehendit Judaeos, quod Aſſyriis nimium fidebant, atque iterum minatur futuras calamitates eis inferendas ab Aſſyriis Cap. VIII, 5-22. Tandem in ſolatium piorum addit deſcriptionem felicitatis ſub rege Meſſia expectandae. Cap. VIII, 23-IX, 6.

b) Eadem verba, quae propheta verſ. 1. membranae debebat inſcribere. Sed hoc loco ea retinui in verſione, quod nomen proprium ſunt pueri prophetae nati.

8. *c*) Perrumpet etiam in Judaeam atque tantopere ſe effundet, ut ad collum usque pertingat, atque alae ejus extenſae terram tuam, quam late patet, repleant, o Immanuel! — — 9. Contremiſcite gentes et conſternamini, attendite omnes qui eſtis in regionibus remotiſſimis. Accingite vos, ſed proſternemini. 10. Conſilia inite, ſed diſſolventur, decernite rem, ſed irrita erit. Nam Deus nobiscum eſt. — — 11. Ita enim Jova me ſerio admonuit, mihique graviter interminavit, ne huius populi mores imitarer. Dixit enim: 12. Nolite cogitare de foedere ſecundum hujus populi morem, qui de nulla alia re quam de foedere cogitat; nolite aeque ac illi timere aut contremiſcere. 13. Jovam potius omnipotentem colite, hunc revereamini, hunc veneremini. 14. Et ſic aſylum vobis praebebit. E contrario lapis offendiculi et ſaxum illiſus erit duabus domibus Iſraëliticis, laqueus et tendicula civibus Hieroſolymae, 15. In quo multi

c) Loquitur propheta non de Achaſi, ſed de Hiskiae temporibus, atque reſpicit ſine dubio famoſam illam Sancheribi expeditionem, de qua in ſequentibus multa. In ea vero rex Aſſyriae totam Judaeam occuparat ſola Hieroſolyma excepta, quod propheta illis verbis videtur innuere, aquam usque ad collum perventuram. Dum vero propheta hanc tantam afflictionem praevidet, videt ſimul liberationem et per Apoſtrophen alloquitur primo Immanuelem, puerum illum teſtem malorum futurorum, deinde hoſtes, eorumque conatus irritos futuros eſſe praedicit.

multi offendent et lapſi frangentur et illaqueati capientur. 16. Colliga hoc effatum, obſigna hoc vaticinium, adhuc inexplicabile. *d*) 17. Ego vero Jovam expectabo gratiam ſuam Jacobitis ſubtrahentem eique confidam. 18. En me atque pueros, quos Jova mihi dedit, in ſignum et prodigium Iſraëlitis, a Jova omnipotente habitante in Sione. — 19. Igitur ſi vobis dixerint: conſulite pythones et hariolos, qui pipiunt et ſpiritum altum ducendo loquuntur, *reſpon-*

d) Verba videntur eſſe prophetae ad Achaſum directa, quem jubet oraculum illud modo pronunciatum et volumini inſcriptum (fortaſſe illi ipſi cuius mentio fit verſ. 1. hujus capitis) colligare, obſignare et ſervare usque ad tempus, quo impleatur; ſe quidem (verſ. 17.) de veritate ejus certiſſime eſſe perſuaſum, quia nomina illa ſymbolica filiis ſuis juſſu Dei impoſuiſſet Cap. VII, 14. VIII, 3. Hunc ſenſum verba textus admittunt excepto ultimo בְּלִמֻּדָי quod ex lectione recepta difficilem habet explicationem. Etenim quinam illi prophetae diſcipuli ſint, aut cui uſui eſſe debeant, non apparet. Interpres graecus habet: *τοῦ μὴ μαθεῖν*, et Chaldaeus: לָא צָבָן דִּילְפוּן בַּהּ *non volunt diſcere eam.* Uterque cum negatione vocem legiſſe videtur בְּלִי לָמוֹד Quae lectio contextui eſt aptiſſima. Nam למד *diſcere* pro *capere* ſive *intelligere* dictum quoque eſſe, ab analogia linguae non alienum videtur. Sic S. R. *Koppe* ad *Lowthi* Jeſaiam et S. R. *Doederlein*, qui tamen lectionem בְּלִמֻּדָי retinuit et vertit. *per diſcipulos meos.*

ſpondete, an non populus Deum ſuum conſulet? an pro vivis mortuos adibit? 20. Illud effatum, illud vaticinium conſulite. Quod qui negligit, in quo nulla eſt faſcinatio, *e*) 21. is terram peragrabit animi angoribus preſſus *f*) et timidus. Atque in hoc timore ſuo iratus maledicet regi et Deo ſuo, oculis in altum ſublatis. 22. Terram ſi intuetur, en anguſtiae, denſiſſimae tenebrae, urgens malum, caligo palpabilis. — — 23. *g*) Sed iſta caligo non erit iis qui antea

e) Poſui in verſione explicationem hujus loci primo, quod ſciam, allatam a *Vriemoet* ad Dicta Claſſica Vet. Teſtam. Tom. I. p. 110. et in Obſervatt. miſcell. Cap. 10. §. 16. 17. 18. denuo deinde illuſtratam et probatam a *Schellingio* in libello de uſu L. Arab. germ. ſcripto 1771. quam in priore hujus libri editione verſſ. 22. et 23. non ſatis aptam judicavi. Nam ſignificatio *τοῦ* אשר pro *certe*, *utique*, et metaphorica ſignificatio vocis שַׁחַר *aurora* pro *laetitia* et *felicitate* ex locis antea citatis parum tuto probatur, Sed שחר *faſcinatio*, *incantatio*, in lingua Arabica frequenter obvium. Sic quoque dicitur Eſ. XLVII, 11.

f) רעב h. l. eſt *timere*, ex ſignificatione Arab. cf. notam Illuſtris *Michaelis* ad Lowthum 44. pag. 176.

g) Tranſit propheta ab illo triſti ſuperſtitionis effectu ad felicitatem melioris cognitionis impertiendae terrae Iſraëliticae per Meſſiam. Nam clare admodum deſcribit eas regiones, quas Jeſus maxime ſua doctrina atque miraculis illuſtravit. Propterea etiam Matthaeus Cap. IV, 13. haec

antea in anguſtia verſati ſunt. Tempore quidem priore neglectius habuit terram Sebuloniticam et Naphtaliticam, ſed tempore poſteriore eam honorabit, viam maris trans Jordanum, Galilaeam gentium. CAPUT IX, 1. Populus qui in tenebris incedit, vidit lucem magnam; qui terram caliginoſam inhabitant, iis lux orta eſt. 2. Amplificaſti hanc gentem, magnam ei feciſti laetitiam. Laetantur coram te, quemadmodum fieri ſolet tempore meſſis. Quemadmodum exultare ſolent, dum ſpolia dividunt. 3. Nam jugum quod bajulavit, et baculum humeris ejus impoſitum, virgam exactorum fregiſti ut die Midianitico, 4. a) cum quisque trepidans alligabat caligam, et amiculum nocturnum in ſanguine volutabatur, ignis incendio conſumendum. 5. Quia infans naſcetur, filius nobis dabitur,

haec in Jeſu impleta eſſe docet. — Dicitur vero terra Sebulonitarum et Naphtalitarum olim neglectius habita, quia haec in bellis cum Syris inprimis hoſtium incurſionibus expoſita erat.

a) Debeo hanc loci difficillimi interpretationem *Godof. Bened. Funkio* Viro LL. OO. peritiſſimo, qui in Symbolarum ad Interpret. S. Codicis Particula I. pag. 29. vocabulum *ἅπαξ λεγ.* סאן quod interpretibus maxime negotium facessit, ex uſu ejus frequenter obvio in Linguis Chald. et Syr. de *calceamentis* explicavit, atque totum verſum cum antecedenti connectens de clade iſta inſigni expoſuit, qua Gideon Midianitas affecit. Cujus hiſtoria legitur Jud. VII, 1 ſqq.

tur, cui principatus eſt conceſſus. Atque is erit mirabilis, conſiliarius, Deus fortis, aeternus, pacificus *b*). 6. Ampliſſimi ejus principatus & pacis nullus finis erit. Throno Davidis inſidebit regnum ejus firmaturus et ſtabiliturus juſtitia exactiſſima ab hoc tempore usque in ſeculum. Amor Jovae omnipotentis iſta efficiet.

SECTIO VII. CAPUT IX, 7 — X, 4.

7. *c*) Minatur Dominus Jacobitis, imo ſententiam tulit in Iſraëlitas. 8. Cujus implementum videbunt omnes Ephraimitae et Samariae incolae, ſuperbe et elato animo dictitantes: 9. aedificia lateritia collapſa quidem ſunt, ſed lapidibus caeſis ea reſtaurabimus, ſyco-

b) אֲבִי עַד verti *aeternum* ex ſignificatione vocis אָב apud Arabes frequentiſſima, qua *patrem* alicujus rei vocant, qui eam poſſidet. Sic vulpes in fabula Locmani VI. *pater pulchritudinis* dicitur. Alii אב per *auctorem* explicant et Meſſiam volunt deſcribi ut *conditorem novi et aeterni ſeculi*, oeconomiae melioris N. T. Utro modo vertas, habes attributum Chriſto convenientiſſimum, vid. *Vriemoet* ad Dicta Claſſ. Vet. Teſt. P. II. p. 97.

c) In hac ſectione propheta Iſraëlitas reprehendit, qui ſe in perniciem regni Judaici junxerant Syris, atque dum ex hoc foedere magna commoda ſperabant, prophetae admonitiones, hoc foedus diſſuadentis, contemnebant. Redarguit igitur eorum crimina, atque iram Dei denunciat brevi erupturam cum reip. pernicie atque interitu.

ſycomori caeſae ſunt, quarum in locum cedri reponantur. 10. Atenimvero Jova excitabit principes *d*) Rezinis contra eos, eorumque hoſtes armabit. 11. Syros ab Oriente, Philiſtaeos ob Occidente, qui Iſraëlitas penitus perdent. Atque his omnibus ira ejus nondum eſt averſa, ſuperſunt aliae poenae quas minatur — — 12. Attamen populus hic ſe non convertit ad eum a quo caſtigatur, nec Jovam omnipotentem curant. 13. Propterea exſcindet Jova ex Iſraële caput et caudam, ramum et juncum uno die. 14. Senior et honoratus eſt caput, et propheta falſa docens eſt cauda. 15. Etenim duces hujus populi ſunt ſeductores, et ducti ejus ſunt perditi. 16. Propterea neque juvenibus eorum delectabitur dominus, neque pupillorum aut viduarum ejus miſerebitur, quia omnes hypocritae ſunt et malefici, atque omnes impie et flagitioſe loquuntur. Quibus omnibus ira ejus nondum pacata eſt, aliae poenae reſtant. 17. Quia improbitas exarſit tanquam ignis,

d) Pro צָרֵי quod in textu vulgari legitur, 36 Codd. *Kennicotti* habent שָׂרֵי, quae lectio difficultatem receptae fere inextricabilem facillime ſoluit. Quomodo enim hoſtes Rezinis h. e. Syrorum dici poſſunt Iſraelitas aggredi, cum Syri ipſi juncti Philiſtaeis in ſequenti verſu eis bellum dicantur inferre? — Sed illa lectione ſubſtituta propheta innuit perfidiam Syrorum, quibus Iſraelitae nimis fidebant. *Lowth* et *Doederlein* probant hanc lectionem, quam jam *Hubigantius* ex conjectura attulerat.

ignis, qui ſentes et vepres abſumit et ſilvam denſam incendit, fumo in altum ſeſe conglomerante. 18 Ab ira omnipotentis Dei obſcuratur terra et populus fit ut pabulum ignis, alter alteri non parcet. 19. *e*) Hic caedit ad dextram et eſurit, ille devorat ad ſiniſtram, nec ſatiatur. Omnes in propria ſua viſcera ſaeviunt. 20. Manaſſe Ephraimum, et Ephraim Manaſſen aggredietur, atque hi una Judam adorientur. Quibus tamen omnibus ira eius nondum remittit, manum minacem porro extendit. CAPUT X, 1. Vae his qui leges ferunt iniquas, et qui injuſte pronunciant, 2. ut tenuium cauſas invertant, et defraudentur jure ſuo pauperes mei populi, ut viduas diripiant et pupillos depraedentur. — 3. At quid facietis tempore poenae et calamitatis e longinquo appropinquantis? ad quem fugietis auxilii gratia? ubinam relinquetis dignitatem honoremque veſtrum, 4. ne ad mortem abripiamini et inter alios occiſos trucidemini? His omnibus ira ejus nondum placata eſt, manum minacem porro extendit.

C 2 SECTIO

e) Senſus eſt: Bellis internis ſeſe mutuo perdent, et res cognatorum vi raptas conſument. — Verba ultimi membri ſic habent: *quisque carnem brachii ſui comedet*, quae cum alia ſimili phraſi permutavi.

SECTIO VIII. CAPUT X, 5 — 34

5. a) Vae regi Aſſyriae, virgae irae meae, quem indignatio mea armavit. 6. Contra gentem profanam mittam eum, contra gentem, cui ego vehementer iraſcor, mandata ei dabo, ut ſpolia auferat et praedam diripiat, ut eam prorſus concùlcet, ut lutum platearum. 7. Sed haec non intelligit, neque de iis cogitat. Nil niſi perditionem et excidium gentium multarum in animo habet. 8. Dicit enim: nonne duces mei reges ſunt? 9. Annon idem evenit Calno, quod Charchemeſch? idem Chamatho, quod Arpado? idem Samariae, quod Damaſco? 10. b) Poſtquam tot regna occupavi, variis Diis conſecrata, qui tamen praeſtant diis Hieroſolymae et Samariae: 11. nonne idem, quod Samariae et idolis ejus feci, Hieroſolymae quoque et ſimulacris ejus faciam? — — 12. Sed poſtquam Deus opus ſuum in monte Sionis et Hieroſolymae perfecerit, animadvertet in arrogantiam et jactantiam regis Aſſyriae, 13. qui ita gloriari ſolet: Virtute mea et ſapientia, qua valeo, haec effeci. Etenim pro arbitrio terminos populorum muto, eorum-

a) Infelix Sancheribi adverſus Hiskiam expeditio.

b) Mirus eſt horum verborum, quibus propheta regem Aſſyriae loquentem inducit, cum verbis Sancheribi conſenſus, quibus regi Hiskiae deditionem ſuadet. cf. Cap. XXXVI, 19. et 2 Reg. XVIII, 34.

eorumque theſauros praedor, regesque multos regnis ſuis privo. 14. Ego per potentiam meam divitias populorum ut nidum, ut ova derelicta abſtuli, totam terram ego abſtuli, nec fuit qui alam motitaret, aut os aperiret, aut pipiret. — — 15. Num ſe jactare poteſt ſecuris contra eum qui ea caedit? num gloriari poteſt ſerra adverſum eum qui illam agitat? quaſi agitaret baculus tollentem ipſum? quaſi virga elevaret eum, *c*) qui nihil minus eſt quam lignum? 16. Propterea mittet dominus, dominus omnipotens in pinguia ejus maciem, et gloria ejus abſumetur ardenti igne. 17. Atqui lux Iſraëlis erit is ignis et Deus ejus verendus flamma, quae exardeſcet et conſumet vepres et ſentes ejus uno die. 18. Silvam ejus adeo celebrem et arva *d*) penitus conficiet. * Clades erit, tanquam ſi ſignifer metu corripitur. 19. Admodum exiguae erunt reliquiae arborum iſtius ſilvae, quas puer numerare poſſit. — — 20. Tunc vero reliquiae Iſraëlitarum et reſidui Jacobitarum non amplius

 niten-

c) Obſervent tirones linguae idiotiſmum, quo particula לֹא conſtruitur cum nomine ad rem eam exaggerandam et augendam: v. c. לֹא־אֱלֹהִים *non Deus*, h. e. in quo nihil minus eſt quam divini aliquid. Amos VI, 13. לֹא דָבָר *res nihili.* Sic h. l. *non lignum* dicitur is, qui nihil minus eſt quam lignum, h. e. homo.

d) Hebr. *ab anima usque ad carnem* eſt dictio proverbialis, quae totalem cladem exercitus Aſſyriaci indicat.

nitentur percuſſore ſuo, ſed ſpem ſuam animo ſincero et conſtanti ponent in Jova Iſraëlitarum Deo. 21. *e*) Reliquiae revertentur, reliquiae Jacobi ad Deum omnipotentem. 22. Si vel populus tuus, o Iſraël, fuerit ut arena maris, *f*) reliquiae tantum ex eo ſervabuntur. Totalis pernicies pro ſumma Dei juſtitia decreta eſt. 23. Immo *g*) graviſſimam vaſtationem Dominus Jova omnipotens huic terrae inferet. 24. Propterea idem ille Jova haec promittit: noli tibi timere, mi popule in Sione habitans, ab Aſſyriis, te quidem virga percutient, ſuumque baculum adverſus te, *h*) uti olim Aegyptii, tollent: 25. At enim vero pau-

e) שְׁאָר יָשׁוּב *reliquiae revertentur.* Alludit ad nomen filii ſui, cui hoc nomen erat. Cap. VII, 3.

f) Eſt ἀνακόλουθον, ita ſupplendum: *longe maxima pars peribit.*

g) נֶחֱרָצָה non eſt adjectivum ſive participium, ut multis videtur, ſed ſubſtantivum a חָרַץ *excidit.* Cum praecedenti ſubſtantivo כָּלָה per ו copulatur et utrumque conſtruitur cum verbo עָשָׂה. Sic etiam Vulg. Syrus et Chaldaeus verterunt. Conſumtio vero et excidium eſt Hendiadys in Subſtantivis: excidium conſumens ſ. maxima vaſtatio.

h) בְּדֶרֶךְ ſic dicitur Amos IV, 10. Sunt tamen, qui propriam ſignificationem h. l. retinendam putent, quod ex hiſtoria conſtat, Sancheribum inprimis adverſus Aegyptum hanc expeditionem ſuſcepiſſe. Praefero tamen priorem

paululum adhuc temporis ſupereſt, et ſeveritas iſta et indignatio mea (ſc. in populum meum) cum perditione eorum (Aſſyriorum) terminabitur. 26. Nam ſuſcitabo adverſus illos flagellum, quo ut olim Midianitae ad montem Orebum percutientur: extendam baculum ſuper mare, uti olim factum eſt cum Aegyptiis. 27. Tamen futurum eſt ut onus eorum ab humeris tuis auferatur, et jugum ejus a tuo collo; corrumpetur vero illud jugum propter * unctum oleo regem. — — 28. Venit Ajatham, tranſiit per Migronem, Michmaſae depoſuit ſua impedimenta. 29. Tranſierunt trajectum, Gebae * pernoctant, trepidat Rama, Gibea Sauli fugit. 30. Ejulate Gallimenſes! Attende Laiſcha! o miſeram Anathotam! 31. Migravit Madmena, Gebimenſes loca inacceſſa petunt. 32. Hodienum Nobam veniet, parat jam omnia ad oppugnandum Sionem collesque Hieroſolymitanos. —— 33. *i*) En dominus Jova omnipotens violenter amputabit

priorem explicationem propter verſ. 26. qui illum ſenſum aegre admittit, et quod prophetae noſtro inprimis frequentes ſunt alluſiones ad hiſtoriam populi ſui, uti in eodem verſu ad hiſtoriam Gideonis Jud. VII, 24. 25. et ſeq. Cap. verſ. 16.

i) Magna eſt hujus loci elegantia. Deſcripſerat inde a verſu 28. propheta iter Sancheribi adverſus Hieroſolymam, varias exercitus ſtationes nominarat, dixerat, omnia jam ab eo ad oppugnandam urbem parari. Et en!

tabit ramos, atque in altitudinem aſſurgentes exſcindentur et elati humiliabuntur. 34. Caedet denſiſſimam iſtam ſilvam, cadent cedri Libani per potentem.

SECTIO IX. CAPUT XI. et XII

1. *a*) Succreſcet virga ex ſtirpe Iſaei et ſurculus ex radi-

en! ſubita fit rerum cataſtrophe. Deus magnam terribilis huius exercitus partem miraculoſa clade proſternit. Deſcribit vero propheta hanc cladem eadem fere imagine adhibita, qua jam ante uſus fuerat verſu 18. 19. cum levi tamen mutatione. In illo loco dixerat ſilvam iſtam combuſtum iri paucis arboribus relictis. In hoc vero, eam cum arboribus altis et proceris a manu Dei omnipotentis caeſum iri. Qui horum verborum ſenſus adeo planus et propter contextum neceſſarius videtur, ut non ſatis mirari poſſim, recentiſſimos quosdam Jeſaiae interpretes ea de comminatione cladis inter Judaeos ab Aſſyriis intellexiſſe. *Noli timere*, dixerat propheta verſu 24, *mi populc habitans in Sione, ab Aſſyriis.* Hos Aſſyrios propheta deduxerat usque ad portas Sionis v. 32. Quid igitur? num dicere poteſt propheta Aſſyrios inſignem inter nobiliores incolas urbis ſtragem edituros? nonne pugnat hoc cum ipſa hiſtoria? Verum enim vero, niſi me omnia fallunt, fefellit viros doctiſſimos, qui ita ſentiunt, hypotheſis, ſequens caput cum his verſibus arctiſſime cohaerere: quam vero gratis ſumi, ſequenti obſervatione oſtendam.

a) Ab interpretibus tantum non omnibus connectitur hoc caput

radicibus ejus germinabit. 2. *b*) Is eximiis a Jova dotibus erit inſtructus, ſumma ſapientia et intelligentia ornatus, conſilio et virtute pollens, et cognitione religionis Jovae inſignis. 3. In hac Jovae religione homines dijudicabit ſumma cum perſpicacia, non ſecundum aſpectum judicabit, nec ſecundum famam exter-

caput cum praecedenti, quod propheta metaphoram ab arboribus caeſis ductam in primo verſu continuare videtur, dum ſurculum ex ſtirpe Iſaei oriturum promittit. Sed antea jam obſervavimus arbores iſtas non eſſe Judaeos, multo minus familiam Iſaei (quod tamen eſſe deberet, ſi propheta metaphoram continuaret) ſed Aſſyrios. Igitur mihi quidem haec pericopa non videtur cum praecedenti cohaerere, ſed novum eſſe vaticinium, quod promittat regem aliquem inſignem ex familia Davidis oriturum. Tantas vero virtutes tribuit propheta huic regi, tantam regni ejus felicitatem futuram eſſe dicit, quae non niſi Meſſiae conveniunt et in regno ejus dici poſſunt impleta. De Hiskia quidem fortaſſe non cogitaſſent interpretes, niſi praejudicata illa opinio nexus hujus vaticinii cum antecedenti eos feſelliſſet. Multo minus Serubabelem et tempora ei proxima propheta poteſt deſcribere, quae conſtat minime tam aurea fuiſſe, aut felicia, ſed triſtiſſima potius et turbulentiſſima. Ex copula praemiſſa nemo connexionem hujus capitis cum antecedente probet. Quis enim neſcit eam ſaepiſſime initium facere novi ſermonis?

b) De ſignificatione vocabuli רוח cf. obſervat. ad Cap. IV, 4. not. f.

externam redarguet. 4. Sed regem ſe exhibebit benignum humilibus, atque manſuetos recta docebit, contumaces vero acriter reprehendet, atque iis interitum annunciabit. 5. Omnino juſtitia proxime ei juncta erit, et fides ab eo indivulſa. — — 6. Tum cohabitabit lupus cum agno, et pardus cum hoedo cubabit, vitulus, leo, et bubalus ſimul erunt, ducti a puero parvo. 7. Juvenca et urſus una paſcent, una cubabunt eorum pulli, et leo cum bove gramine veſcetur. 8. Ludet lactens ad foramen aſpidis et in cavernam baſiliſci ablactatus manum immittet. 9. Nemo nocebit alteri, nemo damnum inferet in toto monte meo ſancto, totus terrarum orbis mei cognitione plenus erit, uti *profunda* maris aqua teguntur. — — 10. Tunc ad illum ex Iſaei poſteris oriundum, qui ſigni loco erit populis, confluent gentes, et ſedes ejus erit celeberrima. 11. c) Dominus vero iterum ſibi comparabit

c) Collectio Judaeorum ex tot regionibus, quae in hac pericopa promittitur, non poteſt de reditu eorum ex captivitate Babyl. intelligi, qui neque ex tot diverſiſſimis regionibus factus eſt, neque etiam temporibus illis convenit quae propheta deſcripſerat, temporibus nempe Meſſiae, quibus haec ipſa collectio fieri debuit. Ex eadem ratione converſionem Judaeorum univerſalem, quam nonnulli ex hoc loco probare volunt, promitti nego. Impleta ſunt quae propheta in hoc vaticinio praedixit, neque video quid obſtet, quominus hujus prophetiae imple-

rabit populi ſui reliquias ex Aſſyria, Aegypto, Thebaide et Aethiopia, ex Perſia, Sineare et Chamate, aliisque gentilium regionibus. 12. Signum eriget gentibus et congregabit ejectos Iſraëlitas, et diſperſos Judaeos colliget e quatuor terrae plagis. 13. Tunc ceſſabit aemulatio iſta Ephraimitarum, et perdentur Judaeorum adverſarii. Ephraimitae non amplius invidebunt Judaeis, nec Judaei infeſtabunt Ephraimitas. 14. Sed bellum inferent Philiſtaeis occidentalibus, & conjunctis viribus diripient Orientales. Edomitas quoque et Moabitas aggredientur, et Ammonitas ſibi ſubjicient. 15. Vaſtabit Jova ſinum maris Arabici, atque *d*) vehementi vento ita exſiccabit Euphratem, ut

plementum quaeramus in primis eccleſiae chriſtianae temporibus, quibus ingens Judaeorum multitudo inter omnes gentes diſperſorum, Jeſum tanquam Meſſiam agnovit, ſtatim poſt effuſionem Sp. S. feſto Pentecoſtis et deinceps cum Hieroſolymae, tum aliis in terris, non obſtante multorum incredulitate et pertinacia. Nec minor ſed potius longe major fuit numerus gentilium, qui fidem Chriſtianam amplectebantur, inprimis in regionibus a propheta nominatis, in quibus ex hiſtoria conſtat religionem chriſtianam primo omnium eſſe plantatam et propagatam.

d) Vocabulum ἅπαξ λεγ. עים putem eſſe ſubſtantivum, *vehementiam*, *impetum* indicans, partim ex auctoritate interpretum antiquorum, οἱ ό enim vertunt: πνεύματι βιαίῳ, Syrus

ut in ſeptem alveos diſciſſus calceati vada ejus tranſire poſſint. 16. et ſic reliqui de populo ſuo ex Aſſyria ſuperſtites viam ſtratam habebunt, quemadmodum olim factum eſt, cum Iſraëlitae ex Aegypto egrederentur.

CAPUT XII, 1. Tunc vero ita canes: Tibi o Jova gratias ago, qui cum iratus mihi fueris, ira tua averſa, me jam conſolaris. 2. Profecto, a Deo omnis mea felicitas venit, huic ſemper confidam, neque pavebo. Jovam utique conſtanter * celebrabo, auctor eſt meae ſalutis. — — 3. Igitur laeti ex fontibus ſalutis aquam haurietis, 4. et dicetis illo tempore: Jovem celebrate eumque invocate, praedicate inter gentes quid efficere poſſit, hominesque admonete, quanta ſit ejus ſuper omnia praeſtantia. 5. Laudate Jovam, arduum eſt quod fecit, per totum terrarum orbem commemorandum. 6. Canta et ova habitatrix Sionis, Deus enim Iſraëlitarum eximium ſe apud te exhibuit.

SECTIO

Syrus ܒܥܘܫܢܐ ܕܪܘܚܗ Vulg. *in fortitudine ſpiritus ſui*, partim ex collatione L. Arab. in qua عام idem ſignificat, vid. *Caſtelli* Lex. Hept. — In explicatione hujus vocabuli ab illuſtri *Michaele* P. V: Biblioth. Orient. p. 168. allata, עים eſſe tempeſtatem illam, quam nautae *Waſſerhoſe* vocant, ex itinerariis notam, id dubii mihi inprimis reſtat, quod effectus hujus עים h. l. debet eſſe diviſio et exſiccatio fluminis; quam non memini me legere eſſe effectum illius tempeſtatis, quam Vir Illuſtris h. l. indigitatam putat.

a) SECTIO X. CAPUT XIII — XIV, 27

Sententia dicta de Babylone, indicata Jeſaiae filio Amoſi. 2. In monte alto erigite ſignum, alta voce b) illis acclamate, manu ſignum date, ut invadant portas principum. 3. Ego praecepi eis, quos huic rei deſtinavi, vocavi heroas meos c) ſuperbe exultantes ad iram meam exequendam. — — 4. Auditur tumultus in montibus, qualis ſolet eſſe magni populi, tumultus ſtrepentium regnorum, gentium coëuntium. Jova omnipotens luſtrat exercitum. 5. Veniunt ex remota terra, ab ultimo coelo, Jova et inſtrumenta irae ſuae ad totam hanc terram perdendam. — —

6. Eju-

a) Sequuntur vaticinia adverſus gentes, quarum res connexae erant cum rebus populi Judaici, ſequentibus capitibus undecim, nempe Cap. XIII — XXIV.

b) לָהֶם *illis.* Quinam? nam propheta nondum ſubjectum nominavit. In eo vero magna eſt elegantia, qua poetae ſacri ſaepe utuntur. Supponunt quaſi in aliis notitiam hujus rei, cuius ipſi animum plenum habent. — Medos et Perſas intelligit, quos verſu 17. demum nominat.

c) עַלִּיזֵי גַּאֲוָתִי Affixum primae perſonae referendum eſt ad vocem עליזי ex idiotiſmo linguae, quo in conſtructione nominum affixum jungi ſolet nomini poſteriori, quod tamen in verſione referendum eſt ad prius; ut הַר קָדְשִׁי *mons meus ſanctus.* Jeſ. LII, 10. זְרוֹעַ קָדְשׁוֹ *brachium ejus ſanctum* ſ. potentia ejus verenda. Manifeſte enim haec reſpondent praecedentibus גִּבּוֹרַי לְאַפִּי

6. Ejulate, nam inſtat illa Jovae dies, calamitas imminet a Deo omnipotente. 7. Propter ea etiam omnium manus remittunt, omnes animum deſpondent. 8. Conſternati, ſummo dolore correpti, inſtar parturientis dolebunt, alter alterum attonitus et facie inflammata intuebitur. — — 9. En adeſt Jovae dies, atrocitas et excandeſcentia et ira ardens, quae terram in vaſtitatem redigat et peccatores ejus ex ea exſcindat. 10. Stellae et planetae luce ſua non ſplendebunt, ſol in ortu ſuo obſcurabitur, et luna luce ſua non fulgebit. 11. Animadvertam enim in terrae hujus malitiam et in impiorum ſcelera, auferam ſuperborum excellentiam et faſtum violentorum dejiciam. 12. Efficiam ut homo auro puro auroque optimo ſit pretioſior. — — 13. Nimirum coelum faciam contremiſcere, et terra ſuo loco movebitur, per iram meam, me indignante. 14. Et erit quisque ut caprea propulſa, ut oves quas nemo colligit, quisque ad populum ſuum, quisque in terram ſuam fuga ſe recipiet. 15. Quicunque deprehenſus fuerit, confodietur, et qui aliis ſe junxerit, gladio peribit. 16. Infantes in conſpectu parentum proſternentur, diripientur eorum domus, mulieres violabuntur. — — 17. En ego excito contra eos Medos, qui argentum nihili aeſtimant, neque auro delectantur. 18. Arcus eorum pueros diffindent, infantum non miſerebuntur, neque adoleſcentibus parcent. 19. Sic Babylon, regnorum decus,

ſus, ornamentum potentiae Chaldaicae Sodomae et Gomorrhae ſimilis erit a Deo everſarum. 20. Nunquam habitabitur, nullo unquam tempore incoletur. Neque Arabs ibi tentorium figet, neque paſtores greges ſuos ibi recubare facient. 21. *d*) Quin cubabunt ibi feles ſylveſtres et implebunt domos Babyloniorum lugubri ejulatu. Habitabunt ibi ſtruthiones et ſatyri illic ſaltabunt. 22. Sibi mutuo reſpondebunt Thoes

d) Deſcriptio ſummae vaſtitatis, quae infra Cap. XXXIV, 11 ſeqq. plenior et ornatior extat: et ſimilis apud Zephanjam II, 14. — Quod omnino de nominibus animalium ſacri codicis valet, magnam eorum partem, ferarum inprimis, dubiae eſſe explicationis et incertae, id quoque in his locis fatendum eſt. Animalium nomina eſſe, feriſſimae naturae, non niſi vaſtas ſolitudines incolentium, ſcopus prophetae docet. Sed difficillimum eſt judicare, quae reſpondeant ex his ſpeciebus nobis quidem notis, eis a propheta nominatis. Maximus quoque eſt diſſenſus antiquorum interpretum (qui tamen certiorem habere poterant notitiam animalium ſuarum regionum quam nos, ab eis nimirum remoti) in harum vocum verſione. Omnium quidem optime de his egit *Bochartus* in Opere profundae doctrinae et eruditionis, in Hierozoico, ſed ſaepe praeter conjecturas ex originatione aut ſimilibus in aliis linguis nominibus nihil potuit afferre. Igitur hunc ducem ego quoque ſequar, non quidem per omnia tutum, uti ſuſpicor, ſed in rebus adeo incertis cum *Bocharto* errare turpe non eſt. cf. l. c. Parte I. Lib. III. Cap. 12. 14. et 15. Parte II. Lib. II. Cap. 14. et 53. Lib. VI. Cap. 7.

Thoes * in palatiis eorum et dracones in ſplendidis aedificiis: tempus judicii ejus proxime inſtat, nec dies ejus protrahentur. CAPUT XIV, 1. Nam miſerebitur Jova Jacobitarum et in poſterum quoque Iſraëlitas amabit, eosque in terra ſua collocabit, peregrini illis jungentur atque Jacobi poſteris aſſociabuntur. 2. Populi eos perquam amanter in eorum locum deducent, quibus deinde Iſraëlitae in terra Jovae ſacra ut ſervis et ancillis utentur. Atque ita captivos habebunt, quorum captivi fuerant, et imperabunt exactoribus ſuis. 3. Tum vero quando Jova tibi quietem concedet poſt anxiam illam calamitatem tuam, poſt duram cui ſubiectus fuiſti ſervitutem: 4. ejusmodi carmen de rege Babylonis dices: Qui fit ut ceſſet exactor * qui vi omnia abigebat? 5. Fregit Jova baculum improborum, ſceptrum dominantium, 6. quod gentibus dure et crudeliter omni tempore imperabat, quod ſevere populis dominabatur; * eum, qui a perſequendo cohiberi non poterat. 7. Jam vero quieta et pacata terra eſt, in jubilantes clamores omnia erumpunt. — — 8. Etiam abietes de te laetantur et cedri Libani. Ex quo decubuiſti non aſcendet, qui ſuccidat *a*) cacumina noſtra. 9. Infernus ſubterraneus commotus eſt tui cauſa, atque ad adventum tuum con-

a) עַל h. l. ſubſtantive dicitur pro *ſummo* rei, uti ſaepe. In arboribus igitur עַל eſt earum cacumen, ſ. vertex.

convocat fato functos, *b*) terrae principes e ſedibus ſuis excitat, gentiumque reges. 10. Qui omnes te in hunc modum alloquuntur: Ita tu quoque debilitatus es uti nos, nobisque ſimilis factus. 11. Detruſa eſt ad infernum majeſtas tua, ſtrepitus nabliorum tuorum, ſubter te ſternitur vermis, te lumbricus tegit. — — 12. Quomodo cecidiſti de coelo, lucifer, fili aurorae, excisus et dejectus es in terram; qui conficiebas gentium praefectos. 13. Tu quidem ita apud te cogitabas, conſcendam coelum, ſupra ſtellas Dei efferam ſolium meum, *c*) ſuper poli axe ad ſeptentrionem conſidebo; 14. aſcen-

b) Hebr. *capros terrae*, ſic principes et duces populorum etiam vocantur Zach. X, 3.

c) Plerique quidem interpretes ſub הַר מוֹעֵד *monte conventus* Sionem montem, in quo templum exſtructum erat, intelligunt, in quo rex Babylonis ſedem ſuam figere velit. At enim vero a viris doctis ſatis probatum eſt, Sionem montem eique adjunctum Moriam, in quo templum exſtructum erat, non in aquilonari Hieroſolymae regione, ſed in meridionali ſitum fuiſſe. Deinde hac explicatione admiſſa, magna perit carminis elegantia. Inducitur jactabundus rex Babylonis, qui ex loco alto in altiorem velit aſcendere: in coelo inter ſtellas ponit ſolium ſuum, inde *in monte conventus in regione ſeptentrionali*, quid? ſi mons conventus eſt *Sion*, deſcendendum ei iterum erat, ad inferiorem locum occupandum. Ut taceam יַרְכְּתֵי צָפוֹן *latera ſeptentrionis* non pleonaſtice di-

 ci,

14. aſcendam nubes altiſſimas Deo ſummo ſimilis. -- -- 15. At enim vero in infernum dejectus es, ad ima tartara. 16. Qui te vident, oculis intentis intuentur: Hiccine ille eſt, inquient, qui tremefaciebat terram, concutiebat regna, 17. orbem in ſolitudinem redigebat, urbes evertebat, neque vinctos domum dimittebat? 18. Omnes omnium reges cum honore ſepulti quieſcunt. 19. Tu vero projectus e ſepulcro, ſtirpis tuae dedecus, inter alios occiſos et gladio confoſſos jaces, qui lapidibus obruuntur ut cadaver conculcatum. 20. Non eandem cum iis habebis ſepulturam, qui terram tuam perdidiſti, ſubditos tuos jujulaſti. Nunquam ſtirpis adeo impiae memoria ſuperſit. 21. Quin filios ejus ob patris crimina mactate, ne terram occupent novique exiſtant orbis habitabilis adverſarii

ſarii

ci, ſed hoc ſubſtantivum, ſi alii jungitur, extremam et remotiſſimam ejus partem notare. Atque mons Sion, cum omnino verſus ſeptentrionem, uti jam obſervatum eſt, ſitus non eſſet, quomodo rex Babylonis ſedem ibi occupaturus dicere potuiſſet, ſe ad extremum Aquilonem velle eſcendere? Quae cum ita ſint, aſſentior S. R. *Doederlein*, qui montem conventus h. l. poetice putat dictum eſſe pro *axe polari*, quoniam in altiſſimo hoc loco, quaſi in centro, totum coelum cum ſtellis coire et conjungi videtur. Atque perquam apte citatur a Viro S. R. locus Jobi Cap. IX, 9. in quo *penetralia auſtri* חדרי תימן dicuntur pro partibus coeli auſtralibus; quoniam per majorem anni partem ſeſe abſcondunt.

ſarii ——— 22. Imo vero, inquit Jova omnipotens, exſcindam Babylone omne quod reliquum eſt, filium et nepotem. 23. Efficiam ut hiſtrices ſ. erinacei ibi habitent, ut ſtagna aquarum ibi ſint, immo demergam eam ad profundas voragines. Haec Jova omnipotens decrevit. 24. Ille ipſe Jova jurejurando confirmat: Non verax habear, niſi fiat, quod ſtatui, niſi eveniat, quod decrevi. 25. Nimirum perdam regem Aſſyriae in terra mea, & in montibus meis eum conculcabo. Tolletur ab eis (*Iſraëlitis*) jugum ejus et onus ab eorum humeris auferetur. 26. Ita decrevit Jova de tota hac terra, haec mala minatur gentibus iſtis omnibus. 27. Quodſi Jova decrevit; quis hoc irritum faciat? ſi manus ejus extenſa eſt; quis eam avertat?

SECTIO XI. CAPUT XIV, 28—32

28. Anno quo mortuus eſt Achaſus, ſequens vaticinium editum eſt: 29. Noli laetari, Palaeſtina; *d*) de fracto

d) Sub ſceptro fracto non Achaſus poteſt intelligi, uti videri poſſet, quod hoc vaticinium poſt mortem ejus dicitur prolatum, ille enim non Philiſtaeos, ſed hi eum clade affecerunt. 2 Paral. XXVIII, 18. Verum Uſias pater Achaſi eſt illa virga, quae Philiſtaeos percuſſit. 2 Paral. XXVI, 6. 7. Illam cladem Achaſi omittit, ut memoriae ejus parceret, et tranſit ſtatim ad nepotem Uſiae, Hiskiam, qui Philiſtaeis graves clades intulit, et terram Judaicam recuperavit. 2 Reg. XVIII, 8.

fracto ſceptro ejus qui te afflixit. Nam ex progenie iſtius ſerpentis prodibit baſiliſcus: et ex propagine ejus preſter volans. 30. Quando tenuiſſimi illi et pauperrimi ſecure paſcent et recubabunt, ego progeniem tuam fame perimam, et qui ex te ſuperſtites erunt, eos interficiam. 31. Ejulate portae! vociferamini urbes, omnia in te, o Palaeſtina, metu perculſa ſunt. Etenim ex ſeptentrione fumus aſcendit. *e*) Omnes conferto agmine incedent. 32. Quid vero reſpondebitur legatis gentis *f*) iſtius? Nempe Jovam fundaſſe Sionem et in ea omnes inopes tutos futuros eſſe.

SECTIO

e) Hebr. *non erit ſeparatus in coetibus ejus.* Quorum verborum ſenſum h. l. putavi indicandum, quoniam paullo obſcurius dicta videntur. Cauſam indicant, unde fumus ille aſcendat. Hoſtes, inquit propheta, non ſinguli veniunt, ſed denſis agminibus, quae pulverem tantopere excitant, ut aërem obſcurent. Affixum igitur בְּמוֹעָדָיו non referendum eſt ad עָשָׁן, ſed ad hoſtes non nominatos quidem, ſed ex contexto ſermone facile intelligendos. cf. Cap. XIII, 2.

f) Nempe Philiſtaeorum, qui finguntur a propheta miſiſſe legatos ad Hiſkiam, ut cum eo conſultarent, quomodo periculum illud hoſtis adventantis Sancheribi cum ingenti exercitu velint avertere. — Nihil timendum eſſe Judaeis, confirmat propheta, non opus futurum eſſe, ut Hiſkias ſeſe cum Philiſtaeis ad reprimendos Aſſyrios conjungat, Jova Sionem defendente.

a) SECTIO XII. CAPUT XV. et XVI.

Vaticinium de Moabitis. Profecto una nocte vaſtatur et deſtruitur Ar Moabitarum, profecto una nocte vaſtatur et deſtruitur Kir Moabitarum. 2. Baithitae et Dibonitae ſacella ſua petunt, ut ibi plorent. De Nebone et Medeba Moabitae ejulant, capitibus raſis, barba evulſa. 3. In publicum veſtitu lugubri induti procedunt: domi forisque omnes plorantes et ejulantes verſantur. 4. Hesbonitae et Elalaei adeo clamant, ut Jahaſae audiri poſſint. Quin Moabitarum milites vociferantur prae nimio, quo agitantur, terrore. 5. Doleo vicem Moabitarum. Fugitivi eorum usque ad Zoarem, Eglatam et Schelifchiiam vagantur b).

a) Vaticinium hoc contra Moabitas in nonnullis locis perquam difficile eſt, partim propter abruptum idque ſublime dicendi genus, partim propter defectum hiſtoriae, ex qua nobis aliquid de rebus Moabitarum conſtaret. Probabile tamen eſt, vaſtationem, quam propheta praedicit, illatam eſſe primum a Sancheribo, cf. Cap. XVI, 4. repetitam deinde et quaſi abſolutam a Nebucadnezare.

b) Pro לִבִּי οἱ ὁ legerunt לִבּוֹ ἡ καρδία τῆς Μωαβίτιδος βοᾷ. Sic quoque Chaldaeus. Quam lectionem *Lowth*, *Michaelis*, *Doederlein*, *Struenſee* ſecuti ſunt. Sed propter locum parallelum Jer. XLVIII, 36. in quo haec mutatio non poteſt admitti, in hoc quoque loco receptam lectionem puto praeferendam — Enallagen generis in בְּרִיחֶיהָ

Clivus Luchith cum fletu aſcenditur, in via verſus Horenaim clamor quam maxime anxius reſonat. 6. Quippe aquae Nimrim vaſtatae ſunt, gramen exareſcit, deficit herba, olus non ſuppetit. 7. *c*) Quin etiam opes, quas ſibi acquiſiverunt, in futuros uſus repoſitae, in vallem ſalicum auferentur. 8. Clamor enim ille terram Moabitarum totam circuibit, usque ad Eglaim, usque ad Beer Elim ejulatus eorum audietur. 9. Aquae Dimonis ſanguine tinctae erunt, immo efficiam ut Dimon ſanguine excreſcat. Profugos Moabitas et qui forte in terra ſuperſtites erunt, *d*) leoni tra-

(ſic enim legendum eſſe, non בריחה uti eſt in textu recepto, probant 42 Codd. *Kennicotti*) pro בריחין quoniam nomina gentium alias ut maſculina conſtruuntur, defendi poteſt multis hujus generis enallagis in lingua hebraea et cognatis frequenter obviis — עֶגְלַת שְׁלִשִׁיָּה jam non verti, uti in priori libri hujus editione: *clamant ut vitula trima*, ſed ut nomina propria oppidorum; de quorum ſitu prorſus incerto, nam praeter h. l. et parallelum Jer. XLVIII, 34. non occurrunt, cf. conjecturas *Michaelis* in Appendice ad P. XIV. Biblioth. Orient. et *Doederlein* in notis ad Jeſaiam. Unum addo: Codd. 23. et 72. *Kennicotti* pro עגלת habere עגלה.

c) עַל כֵּן יִתְרָה עָשָׂה וּפְקֻדָּתָם Mendum ſubeſſe ſuſpicor, ſed ex conjectura nihil audeo mutare. Verſiones antiquae verba dant ſine ſenſu. Verbum עשׂה verti per *acquirere, comparare*, ut Gen. XIII, 5. — — Vallis ſalicum

tradam. CAPUT XVI, 1. Mittite filium *a*) dominatoris terrae a Petra *b*) per deſertum ad montem Sionem.* (2. Ille enim uti avis vaga, Moabitae autem inſtar nidi excuſſi erunt ad vada Arnonis. *c*))

D 4 3. Aſ-

licum Babylon eſt, a qua arbore etiam Pſ. CXXXVII, 2. deſcribitur.

a) Lectionem receptam non commodam admittere explicationem, ſatis probavit *Michaelis* in Appendice ad P. XIV. Biblioth. Or. p. 7 ſeqq.: Igitur non dubitavi, ei quam in priori hujus libri editione ſecutus fueram, ſubſtituere lectionem Syri interpretis, qui pro כר *agnus*, legit בַּר *filius;* quam lectionem etiam Codex *Kennicotti* 403. et forte quoque 158. exhibent. Sed minus neceſſarium videtur mutare שלחו in אשלח quanquam *οἱ ό*, Vulgatus et Syrus ſic legerunt. Alloquitur propheta gentem Moabiticam, et ſuadet, ut miſſa ad Judaeos legatione horum auxilium et amicitiam imploret.

b) *Petra* Metropolis eſt Arabiae petraeae, ad quam princeps ille Moabitidis fugiſſe fingitur et hinc Hieroſolymam evaſiſſe. Quanquam hunc ſenſum in verſione expreſſi, non poſſum tamen quin quoque afferam ingenioſam S. R. *Koppii* explicationem, qui מסלע המדבל habet pro poetica deſcriptione regionis Moabiticae olim tutiſſimae, jam vaſtatae et deſolatae: *Mittite principem a petra deſerta ad montem Sionis.* Sic etiam סלע et הר ſibi ut oppoſita reſpondent.

c) Arnon fluvius terminos tempore Moſis conſtituebat terrae Moabiticae. Oppida igitur ad eum ſita a propheta ut deſolata deſcribuntur.

3. Affer conſilium *d*), praeſta auxilium, umbram praebe nócti ſimilem in ipſa meridie; abſconde propulſos, fugientes ne perdas. 4. Commorentur apud te Moabitae fugitivi *e*). Sis eis praeſidio ab hoſte. Nam deſiit oppreſſio, finem habet vaſtatio, ſublati ſunt e terra, qui omnia conculcabant *f*). 5. Stabilitur enim gratia et clementia thronus, ſedet in ſede regia Davidis judex verae pietatis et religionis ſtudioſus, qui jus curat et juſtitiam promte exequitur — — 6. Sed bene novi faſtum Moabi ingentem. Arrogantiam, ſuperbiam, iram ejus et *g*) futilia prophetarum ſuorum mendacia. 7. Id-

d) Verba ſunt legatorum Moabiticorum, quibus apud Iſraelitas utantur.

e) Aliis punctis ſubjectis *ú ó* et Syrus legerunt: נִדְּחֵי מוֹאָב quam lectionem etiam *Lowth*, *Michaelis*, *Doederlein* receperunt. Poſſe tamen vulgarem lectionem quoque defendi, acute vidit S. R. *Koppe*, nempe ſic ut verba ſint principis Moabitici legati: *excipite fugitivos meos Moabitas*.

f) Judaei ab hoſtibus, a quibus antea vexati fuerant, jam tuti et felices ſub Hiskia rege optimo, pio, juſto.

g) Hebr. לֹא כֵן *non rectum*, h. e. vanum, falſum. Nam לֹא emphaſin habet in tali conſtructione, ut ſupra jam obſervatum eſt ad Cap. X, 15. — בַּדִּים eſt a בָּדָא in LL. Syr. et Arab. obvium, *mendax fuit*, de quo בַּדִּים formatum eſt, pro בַּדְאִים *mendaces*, ſine dubio, vates Moabitarum

7. Idcirco ejulabit Moab. Tota terra Moab ejulabit. * Propter incolas Kirheres gemetis; occiſi ſunt. 8. Agri Hesbonis ſteriles jacent, vitem Sibmae contuderunt domini gentium, cujus palmites usque ad Jaſeram pertingunt, et per deſertum ſeſe extendunt, cujus propagines *h*) trans mare mittebantur. 9. Propterea defleo vitem Sibmenſem, quemadmodum Jaſerem lugeo, lacrymis meis te adſpergo Hesbon et Elal. * Nam in meſſem et vindemiam tuam vaſtatores irruperunt. 10. Sublatum eſt gaudium et exultatio ex agris, neque per vineas cantatur, neque clamatur, vinum in torcularibus non calcat calcator, effeci ut clamor jubilantium ceſſet. — — 11. Ideo viſcera mea propter Moabum tanquam cithara perſtrepunt et inteſtina mea propter Kirheres (commoventur). 12. Tum quidem Moabitae ad aras comparebunt et in eis delaſſabuntur et ſanctuaria ad preces ibi faciendas ingredientur, ſed nihil obtinebunt. 13. Hoc eſt id quod Deus jam pridem Moabitis minatus eſt. 14. Jam vero loquitur Jova in hunc modum: Intra tres annos *i*) praeciſe determinatos et definitos, adeo vileſcet gloria Moabitarum, ut ex omni tam numero-

bitarum aut alii mali conſultores. Cap. XLIV, 25. junguntur בַּדִּים τοῖς קֹסְמִים *bariolis.*

h) Lacus ad Jaeſer eſt intelligendus, quod apparet ex loco parallelo Jer. XLVIII, 32.

i) Hebr. ut ſunt anni mercenarii.

ſa multitudine perquam exiguae ſuperſint et infirmae reliquiae.

SECTIO XIII. CAPUT XVII. XVIII.

1. *a*) Sententia dicta in Damaſcum. Urbs Damaſcus vaſtabitur, quin in acervum ruinae redigetur. 2. Urbes erunt derelictae in perpetuum *b*), greges ibi recubabunt, nemine deterrente. 3. Et ſic privabitur Ephraim munitione et Damaſcus regno, et reliquiae Syriae erunt ut potentia Iſraëlitarum, *c*) inquit

a) Partes hujus vaticinii poſſunt quatuor conſtitui. In prima praedicitur deſtructio regni Damaſceni verſſ. 1. 2. 3. coll. 2 Reg. XVI, 9. in ſecunda regni Iſraëlitici verſ. 4 - 11. quae utrique illata eſt ab Aſſyriis. Judaeis idem metuendum erat ab Sancheribo, ſed hujus inſignem cladem praedicit propheta verſſ. 12. 13. 14. quam et Aegyptiis annunciari jubet, qui ſibi non minus quam Judaei ab eodem illo Sancheribo metuebant. Cap. XVIII. tot.

b) In textu hebraeo eſt עָרֵי עֲרֹעֵר *oppida Aroeris.* At Aroeris oppidi ad Arnonem ſiti, olim tribus Gad, poſtea Moabitarum Num. XXXII, 34. Deut. II, 36. Jer. XLVIII, 19. minus commode h. l. mentio fit, ubi de Damaſci longe ab illo remoti vaſtatione ſermo eſt. *οἱ ό* legerunt עֲדֵי עַד vertunt enim *εἰς τὸν αἰῶνα in perpetuum.* Quorum lectionem in verſione expreſſi. Sic quoque *Lowthus.* Alii aliter.

c) h. e. valde debilitata, plurimis in captivitatem Aſſyriacam

quit Deus omnipotens, — — 4. Eodem illo tempore minuetur gloria Jacobi et pinguedo carnis ejus macreſcet. 5. Perinde erit ac ſi colligit meſſor ſegetem, brachio ſuo ſpicas demetens, aut qui meſſem facit in valle Rephaim. 6. Aut ſi quis oleam ſtringit, relictis racemis nonnullis, duas tresve baccas in vertice ſummi rami, quatuor aut quinque in ramis (arboris) frugiferae, inquit Jova Deus Iſraëlitarum — — 7. Tunc multi reſpicient *d*) ad conditorem ſuum, et numen Iſraëlitarum intuebuntur. 8. Non reſpicient ad altaria manuum ſuarum opera, non ad ea quae ipſi fabricarunt, neque ad lucos et ſtatuas ſolares — — 9. Illo tempore urbes eorum munitae deſertae erunt, * uti olim Chivaei et Amoraei ſuas urbes munitas deſeruerunt metu Iſraëlitarum, imo vaſtatae erunt. 10. Quia oblitus es Dei, a quo tamen omnis tua felicitas venit. Atque immemor ejus, qui ſolus te defendere poterat, *e*) plan-

ſam abductis. Accentus h. l. male verba dividunt. Atnachus poni debebat poſt מִדַּמֶּשֶׂק

d) Superſtites nempe in terra, relicta idololatria ad verum Deum ejusque cultum revertebantur. Sic enim legimus 2 Paral. XX, 11. veniſſe nonnullos ex Ephraimitis ab Hiskia ad paſcha celebrandum invitatos. Idem factum eſt ſub Joſia 2 Paral. XXXIV, 9.

e) Reprehenditur fiducia in Syris collocata, quorum amicitiam

plantaſti ſeminaria amoena, quae peregrinis arboribus conſita 11. deinde omni ſtudio colebas et florem eorum curabas. Sed meſſis erit calamitas et dolor valde affligens. — — 12. O tumultum populorum multorum, inſtar maris fluctus tumultuantium! o ſtrepitum nationum ut ſtrepitus aquarum vehementer ſtrepentium. 13. Nationes ſtrepunt ut ſolent aquae ingentes. Sed increpabit eas Deus, et procul aufugient, et fugabuntur ut gluma montana a vento, ut ſtipula a turbine. 14. Ad veſperam terror ingruet; ante matutinum tempus non erunt. Hic eſt exitus eorum, qui nos populantur, haec eſt ſors eorum, qui nos diripiunt. CAPUT XVIII, 1. *a*) Heu terra ab utroque latere obumbrata, quae eſt citra

citiam ſibi omni modo conciliare ſtudebant. Vanam futuram eſſe hanc ſpem, docet propheta, et multorum malorum cauſam foedera illa cum Syris inita.

a) In Characteribus, quibus propheta aenigmatice terram quandam deſignat, explicandis, diſſentiunt quidem interpretes, dum alii Aegypto, alii Aethiopiae ſigna illa diacritica convenire contendunt. Plerique tamen Aegyptum putant indigitari, quibus et ego aſſentior, quoniam nonnulli iſtorum characterum illi terrae ita proprii ſunt, ut de alia non poſſint niſi paullo coactius explicari. Dicitur vero Aegyptus terra ab utroque latere obumbrata, quoniam ab orientali et occidentali plaga montibus concluditur. Montium autem attributum umbra eſt. v. c. Jer.

tra flumina Aethiopiae! 2. Tu quae mittis per mare legatos et epiſtolas papyraceas per aquas. Ite nuncii celeres

Jer. XIII, 6. הרי נשף *montes crepuſculi* dicuntur. — Nili curſum, Aethiopiae fluvii in eum influentes eo vehementiorem efficiunt. — In tertio charactere multi interpretes putant prophetam alludere ad ſuperſtitioſum illum Adonidis cultum, quo ejus reditum in vitam Alexandrini Biblienſibus epiſtola vaſi incluſa et mari injecta nuntiaſſent. Sed cum omnino admodum incerta ſit haec traditio, parum profecto probabile, Eſaiam illam ceremoniam reſpexiſſe. Οἱ ό vero nihil habent de vaſis, ſed vertunt; *καὶ ἐπιστολὰς βιβλίνας ἐπάνω τοῦ ὕδατος.* Quae verſio optimum ſenſum fundit. Nimirum propheta excitat Aegyptios commercia cum finitimis gentibus navigatione ſuſtinentes, ut cladem iſtam inſignem Sancheribi per omnes regiones annuntiarent. Non inepta eſt conjectura *Fabri* ad Harmarum P. II. p. 125. illos interpretes pro בִּכְלֵי legiſſe כִּבְלִי quod ſit *conſutum*, *complicatum*, a כבל *vincire*. Conſtat enim papyrum ex hujus fruticis philyris compactis eſſe paratum — גוי מְמֻשָּׁךְ vocantur Aegyptii, quod terra eorum a Septentrione verſus Auſtrum juxta utramque Nili ripam in longum quaſi protracta et habitata eſt. — — Pilos corporis ſaepe ſolitos fuiſſe Aegyptios abradere, teſtatur *Herodotus* Lib. II, 47. itemque ceremoniarum apud eos fuiſſe infinitam multitudinem, propter quam propheta eos גוי קו קו vocat. — מְבוּסָה active accipio, *terra calcans*, quod Aegyptii ſolebant Nilo in alveos ſuos

celeres ad gentem in longum protenſam et raſam, ad gentem formidabilem inde ab antiquiſſimis temporibus; ad gentem obrutam caeremoniis et calcantem, cujus terram flumina inundant. — — 3. O! incolae, hujus terrae habitatores! *b*) cum videritis vexillum in montibus erectum, cum tubae ſonum audiveritis, attendite! 4. Haec enim mihi Jova dixit: Quieſcam et ex habitatione mea ſpectabo. *c*) Ut aeſtus ſerenus ſuper olus, ut nubes rore ſtillans tempore meſſis. 5. Quippe ante vindemiam perfecta germinatione; antequam flos fiet omphax matureſcens, reſcindam flagella

ſuos regreſſo; pecudes in agros ſeminatos agere ad ſemina conculcanda (*Herodotus* II, 13. et *Paulſen* de agricultura Oriental. p. 39.) Ἅπαξ λεγόμ. בָּזָא rectiſſime confertur cum Arab. بزا *ſubjecit* ſibi, *ſubjugavit*, quod ſane eleganter de inundatione Nili dicitur. *Faber* l. c. huic verbo ſignificationem *exaltandi* tribuit et verba explicat de exaltatione terrae, quae fiat limo per Nili inundationem inducto. Sed male verbo hanc ſignificationem ex ſubſtantivo eoque valde diſſimili affinxit. vid. *Golius* p. 270.

b) Judicia ſtragis inter Aſſyrios editae.

c) Senſus: Ut calor ſudi, aut nubes rore ſtillans fructus agrorum recreat, ita ego populum meum praeſtito auxilio. Pro בְּחֹם קָצִיר *in aeſtu meſſis* legendum videtur בְּיוֹם קָצִיר *tempore meſſis*. Sic quoque habent Cod. Reg. poſterior, *οἱ ό* et Syrus.

gella falcibus et ſarmenta amputabo, 6. relinquenda avibus rapacibus et feris animalibus. Iſtae aetatem tranſigent in eis, atque hae ſuper eis hiemabunt. 7. Quo facto munera offerentur *mihi* Jovae omnipotenti ab hoc populo *d*) in longum protenſo et raſo, a populo iſto formidabili inde ab origine, praeceptorum multitudine obruto, conculcante, et cujus terram flumina inundant; ad locum in quo me adorant, ad montem Sionem *e*).

SECTIO XIV. CAPUT XIX

1. *a*) Sententia de Aegypto prolata. En Jova levi nube

d) In textu legitur עַם ſed legendum eſſe מֵעַם ex ſequenti membro apparet, in quo eſt מעם נורא. Sic quoque Chaldaeus, *οἱ ό* et Vulgatus legerunt. Similiter in ultimo membro, ubi reliqua attributa hujus populi repetuntur, legendum eſt מִגּוֹי. Sed hic non conſentiunt *οἱ ό*, tantum Vulgatus et fortaſſe Chaldaeus.

e) Antequam rex Aſſyriae conſilia ſua adverſus Judaeam et Aegyptum executus fuerit, Deus clade immiſſa ea omnia irrita faciet. Qua de re Aegyptii aliaeque gentes Jovae potentiam agnoſcent, eique munera ad templum ſuum offerent. cf. 2 Paral. XXXII, 23.

a) Interpretes in tempore, quod hoc vaticinium reſpiciat, definiendo magnopere diſſentiunt, quoniam antiquiſſima Aegypti hiſtoria, ſi qua alia, confuſa eſt et incerta. *Vitringa* quidem non auſus eſt aliquid determinare poſt lon-

be vectus venit contra Aegyptum, et commoventur idola Aegypti propter ejus adventum. Aegyptii ſummo timore ſunt perculſi. 2. Nimirum committam, inquit Deus, Aegyptios cum Aegyptiis, ut pugnet alter cum altero, propinquus cum propinquo, urbs contra urbem, regnum contra regnum. 3. Tum ignari erunt Aegyptii omnis prudentis conſilii, quin ego intercipiam omne eorum conſilium, et conſulent idola et muſſitatores et engaſtrimythos et ſciolos. 4. Tradam Aegyptum poteſtati duri domini, et rex ſeverus ei dominabitur, inquit dominus Jova omnipotens. 5. Tum putreſcet *b*) fluminis aqua, immo flumen ipſum exſic-

longam et operoſam omnium ſententiarum diſcuſſionem. Inclinat tamen ad eorum partes, qui Nebucadnezarem ejusque bella cum Aegyptiis praedici putant. *Grotius* tempora paullulum priora ſtatuit, Sancheribi nempe, quibus Aegyptiorum rex fuit *Sethon*, ſub quo regnum in duodecim minora regna diviſum eſt, quae omnia tandem ſibi iterum ſubjecit Pſammetichus, cujus ſucceſſor fuit Necho, qui Joſiae bellum intulit. Ita ſecundum *Herodotum*. Utique non breve tempus videtur hoc vaticinium reſpicere, ſed multorum annorum hiſtoriam continere: cf. Jer. XLIII. XLIV. XLVI.

b) Verbi נָשְׁתָה quod praeter h. l. infra Cap. XLI, 17. occurrit, propriam hanc eſſe ſignificationem, obſervavit *Lette* in Animadverſſ. S. p. 34. Arab. نشت quae huic loco eſt aptiſſima.

exſiccabitur atque exareſcet. 6. c) Ranceſcent flumina, imminuentur atque exareſcent canales Aegypti. Arundo et lotus marceſcent. 7. Herbae virentes d) juxta Nilum et in ejus ora et omnis Nili ſementis areſcet, corrumpetur, exſpirabit. — — 8. Igitur moerebunt piſcatores, lugebunt omnes qui hamum in flumen dejiciunt, et qui retia expandunt, lugebunt. 9. Spe ſua excident opifices lini eximii, et textores retium. 10. * Qui potum parant, vehementer erunt afflicti, et qui zythum conficiunt, dolebunt. 11. Stulti erunt principes Tanis, ſapientiſſimorum amicorum Pharaonis conſilia fatua erunt. Quomodo dicere poteſtis ad Pharaonem: Filius ego ſapientum ſum, natus ſum

c) הֶאֱזְנִיחוּ eſt forma Chaldaica vel Syriaca, Aleph characteriſtico conjug. Hiphil ſervato. vid. *Schultenſ.* in Inſtitt. L. Hebr. p. 272. — De verbo זנח *ſidere*, *ranceſcere*, cf. *Schroederum* in Obſervatt. ad Orig. hebr. p. 75. — סוּף non eſt *alga*, ſed *lotum*, de quo Herodotus Lib. II. Cap. 92.

d) עָרוֹת non eſt *papyrus*, ut vulgo explicatur, ſed *graminea*, ſ. *herbae virentes.* vid. *Celſius* in Hierobot. P. II. p. 229. — Ceterum haec Nili exſiccatio ejusque canalium, de quibus cf. *Faber* ad Harmarum pag. 327. P. II. non proprie ſed figurate eſt intelligenda. Nimirum Aegyptum per iſta bella civilia ad ſummam rerum omnium inopiam redactum iri. Ex Nili enim inundationibus Aegyptus omnem ſuam percipiebat fertilitatem.

ſum ex conſiliariis antiquiſſimorum temporum. 12. Ubinam illi? ubi ſunt ſapientes tui? Age indicent tibi et cognoſcant, quodnam conſilium ceperit Jova dominus omnipotens contra Aegyptum. 13. Stulte agunt principes Tanis, decepti ſunt principes Memphis. Fallunt Aegyptios primarii praefecturarum. 14. Jova immiſit in eos ſummam mentis alienationem; Decipientur Aegyptii quidquid ſuſcipiant, ut decipi poteſt ebrius dum vomit. 15. Neque erit in Aegypto vel inter ſuperiorum aut inferiorum ordinum homines aliquis *e*) qui ſciat prudens dare aut expedire conſilium. 16. Tum vero Aegyptii erunt ut mulieres, trepidabunt et pavebunt propter praeſentem Dei omnipotentis iram, qua ſe premi ſentient. 17. Sed terra Judae Aegyptiis *f*) refugium erit, ad quam ob magnam

e) Hebr. *caput* et *cauda*, *ramus* et *juncus*: dictio proverbialis. cf. Cap. IX, 13.

f) Vocabulum *ἅπαξ λεγ.* חָגָּא omnes interpretes antiquiores per *terrorem* ſ. *pavorem* explicant, *οἱ ὁ εἰς φόβητρον*, Aquila *γυρωσιν*, Chald. לְדַחֲלָא, Syrus לְסִירְדָּא, Vulg. *in pavorem*: Omnes, uti videtur, ſignificationem ex ſequenti פָּחַד divinarunt. Sed neque פחד eſt h. l. *trepidare*, ſed uti Latinis nonnunquam quoque dicitur, *feſtinare*, *accelerare*. Sic quoque Hoſ. III, 3. In lingua vero Arab. حجا חגא eſt *confugere* et מחגא *refugium*, *aſylum*. Sic veriſſime ſine dubio hoc vocabulum explicavit *Schultenſius* in Animadv. philol. ad h. l.

gnam celebritatem properabunt, perſpecto Dei conſilio quod contra eos cepit. — — 18. Poſt haec tempora erunt *g*) quinque civitates in Aegypto loquentes lingua Cananaea et jurantes per Jovam dominum omnipotentem, una earum appellabitur Leontopolis. 19. Tunc Jovae in Aegypto erit altare et monumentum exſtructum in ejus confinibus. 20. Quae ſigno ſint et teſtimonio Jovam Deum omnipotentem ab Aegyptiis invocatum miſiſſe eis defenſorem potentem, qui eos ab oppreſſoribus ſuis liberaret. — — 21. Tunc innoteſcet Jova Aegyptiis, atque eum cognitum colent ſacrificiis et oblationibus; vota Jovae facta etiam ſolvent.

g) Verba hujus verſus non proprie ſed figurate eſſe explicanda, per ſe patet. Prior tamen phraſis, Aegyptios lingua Cananaea uſuros eſſe, ex poſteriori, qua juraturi per Jovam dicuntur, recte, ut mihi quidem videtur, poteſt explicari. Haec enim, de quo nemo dubitat, profeſſionem verae religionis indicat. Atque etiam prior illuſtrari poteſt ex Zeph. III, 9. ubi *labium purum* שפה ברורה eodem ſenſu dicitur. — — Quae ſit עִיר הַהֶרֶס incertum non eſt, poſtquam *Ikenius* in Diſſ. philol. Diſſ. XVI. p. 258. plane demonſtravit eam eſſe *Leontopolin*. Origo nominis ſupereſt in lingua Arabica, in qua הרס leonem ſignificat ab هرس *vorax fuit*, (hinc Hebraeorum הרס *contundendo fregit*). Templum vero illud *Oniae* IV, de quo ſine dubio propheta loquitur, in Nomo Heliopolitano ad urbem Leontopolin exſtructum eſſe, *Joſephus* diſerte teſtatur Antiquitt. Lib. XIII. Cap. 3.

22. Ita enim Deus Aegyptios percutiet, ut iterum iis medeatur et ad ſe converſos exoratus, eos ſanet. 23. Poſt haec tempora erit via ſtrata ex Aegypto in Aſſyriam, et venient Aſſyrii in Aegyptum et Aegyptii in Aſſyriam, et colent *Deum* Aegyptii cum Aſſyriis. 24. Illo tempore Iſraëlitae tertii juncti erunt Aegyptiis et Aſſyriis, in illa totius terrae felicitate. 25. Quibus omnibus Jova favebit; Felix ſit, inquiens, populus meus Aegyptiacus, iſti mei Aſſyrii et peculium meum Iſraëlitae.

a) SECTIO XV. CAPUT XX.

1. Anno quo Tartan venit Aſchdodam, miſſus a Sargone rege Aſſyriae, eamque ex oppugnatione cepit, 2. illo, inquam, tempore Jova Jeſaiam filium Amoſi juſſit deponere veſtem lugubrem, qua indutus eſſet, calceosque extrahere. Fecit igitur hoc Jeſaias, atque nudus ſine veſtitu ſuperiore et diſcalceatus inceſſit.

3. Tum

a) Quanquam tempus editi hujus vaticinii traditur, tamen illud prorſus incertum eſt, cum non conſtet, quinam ſit ille rex Aſſyriae, qui h. l. peculiari nomine *Sargon* vocatur, cujus praeter h. l. mentio non fit. *Uſſerius* quidem Sancheribum illo nomine exiſtimavit indicari, *Vitringa* vero Salmanaſſarem patrem Sancheribi, qui poſtquam decem tribus in captivitatem abduxerat, Aegyptios et Cuſchaeos aggreſſus eſt, antea occupata Aſchdoda, urbe Palaeſtinae munita, et cum Aegyptiis bellum per triennium feliciter geſſit.

Digitized by Google

3. Tum Jova dixit: Quemadmodum Jeſaias miniſter meus nudus et diſcalceatus incedit (ſignum enim eſt et portentum ejus, quod poſt tres annos Aegyptiis et Cuſchaeis eveniet) 4. Sic abducet rex Aſſyriae Aegyptios captivos atque extorres Cuſchaeos, juvenes et ſenes, reteĉtis adeo in ſummum Aegyptiorum probrum eorum pudendis. 5. Tum conſternati erunt, et pudebit eos, ſc. Judaeos, Aethiopiae, in qua ſpem ſuam ponunt, et Aegypti, de qua gloriantur. 6. Dicentque incolae regionis hujus maritimae: cum ejusmodi ſit ſpes noſtra, quo auxilii cauſa adverſus regem Aſſyriae confugimus, quomodo nos evademus?

SECTIO XVI. CAPUT XXI

1. *a*) Sententia diĉta de planitie maritima — Ut turbines auſtrales magno impetu irruunt: *b*) ita Babylonii ex iſta planitie veniunt, e terra terribili. 2. Sed ſeverum oraculum mihi indicatum eſt. — — Peccator

a) In hoc capite a verſu 1—11. praedicitur expugnatio Babylonis a Perſis et Medis. Nam ſub מדבר ים Babylonem intelligendam eſſe, ex verſu 2. et 9. plane apparet. Videtur vero hoc nomine a propheta indigitari, quia in planitie perquam amoena ſita erat: quam Euphrates interfluebat, qui et alias *mare* vocatur. Jer. LI, 26.

b) Babylonii ut gens bellicoſa Habac. I, 6. 7. cum aliis gentibus tum inprimis Judaeis valde terribiles et timendi fuerunt.

peccat, vaſtator vaſtat. — — Invadite Perſae, obſidete Medi, efficiam ut ceſſet gemitus. — — 3. Propterea invaſit lumbos meos dolor vehemens, cruciatus me corripuerunt, quales ſunt cruciatus parturientis. Diſtorqueor, ut non audiam, conturbor ut non videam. 4. Palpitat cor, horror me percellit. *c*) Nox a me valde deſiderata vertitur in terrorem. 5. Inſtruitur menſa, ſpeculatur ſpeculator, editur, bibitur. *d*) Surgite principes, prehendite clypeos, * 6. *e*) Tum Deus me juſſit conſtituere ſpeculatorem, qui indicaret quae viderit. 7. Ille vero vidit currus, equos junctos ſ. copulatos, vecturam aſinorum, vecturam camelorum, attente omnia conſiderans. 8. Tum acclamavit mihi ſpeculator, * continuo domine, diu noctuque ago excubias. 9. Et en! Veniunt agmina hominum, venit equitatus. Et mox addit: Cecidit, cecidit Babel, et omnia Deorum ſuorum ſimulacra * confracta

c) Haec et ſequens verſus ex hiſtoria expugnationis urbis omnem quam deſiderant lucem accipiunt. Illa ipſa nocte, qua Babylon a Cyro capta eſt, oppidani feſtum celebrabant vigilibus tantum negligenter in muro diſpoſitis, et ſic inter medias comeſſationes et compotationes ab hoſte irrumpente ſunt oppreſſi. Idem Jeremias Cap. LI, 25 ſeqq. praedixit.

d) Verba ſunt vigilum hoſtium irruptionem annunciantium.

e) Fingit propheta Deum juſſiſſe, ut vigilem in loco excelſo ſiſtat, qui annunciet, quid eminus videat.

fracta humi dejiciuntur. — 10. Triturandi ſunt in area mea! *f*) Quod Jova omnipotens Iſraëlitarum Deus mihi revelavit, vobis annuncio. — — 11. Sententia de Duma. Eſt qui ad me clamet ex Seir: Cuſtos, ecquid nox profecit? quantum ejus praeteriit? 12. Reſpondit cuſtos: Dies quidem illuceſcit, ſed nox quoque perdurat adhuc. *g*) Si ſciſcitari vultis, licet, ſed alio tempore redeundum eſt. — — 13. Sententia dicta in Arabes. In locis incultis Arabiae pernoctabitis vos catervae viatorum Dedanitarum *h*). 14. Sitientibus ob-

f) Similis phraſis in ſimili argumento Jer. LI, 33. probat haec de Babylone dici. Atque etiam in aliis locis haec metaphora de judiciis divinis uſurpatur. Joel III, 14. Mich. IV, 12. Ultima tamen verba putem directa eſſe ad Judaeos in eorum conſolationem, cum tam graviter eſſent a Babyloniis affligendi.

g) Sic vertit locum obſcuriſſimum S. R. *Doederlein*, cui plane aſſentior. Propheta in eadem exſtaſi adhuc conſtitutus, in qua Babylonis everſionem viderat, videtur ſibi audire clamores ex Seire Idumaeorum ſciſcitantes, num nox calamitatum ſuarum praeteriiſſet. Reſpondet, lucem quidem ortam eſſe, ſed Judaeis tantum, non ipſis, noctem adhuc apud eos duraturam eſſe. Spem tamen facit remotam, dum alio tempore redire jubet.

h) Dedanitae, Abrahami ex Ketura poſteri, Gen. XXV, 3. mercatores, pecudum et camelorum inprimis magnos greges habebant Cap. LX, 7. cum Tyriis quoque commer-

obviam ferte aquam, incolae terrae Theman! nemj
reficite profugos, 15. qui gladios, qui ſtrictos enſe:
qui arcus tenſos, qui belli gravitatem fugiunt. 16. I
enim Dominus ad me locutus eſt: Anno exacto *i*)
ſunt anni mercenarii, peribit omnis gloria Kedaren
rum. 17. Atque ex fortiſſimis eorum militibus adm
dum pauci erunt ſuperſtites. Jova Deus Iſraëlitaru
haec dixit.

SECTIO XVII. CAPUT XXII

1. Vaticinium de valle prophetis inſigni *a*). Qu
e

mercia exercentes Ezech. XXVII, 21; quibus Jeremi quoque Cap. XLIX, 28. belli calamitates praedicit time das a Nebucadnezare. Num Eſaias easdem innuat, i certum videtur. — — —

i) cf. Cap. XVI, 14.

a) Hieroſolymam ſub valle viſionis intelligendam eſſe, (verſſ. 4. 8. 9. 10. plane intelligitur. Quod nomen fig ratum *Vitringa* probabiliter conjectat prophetam urbi d diſſe, quia ſcholae prophetarum fuerint in ea valle, qu proxime templo fuit ſubjecta. De tempore vero, qu(hic prophetae ſermo reſpiciat, interpretes diſſentiur Alii ultimam urbis deſtructionem a Nebucadnezare ill tam praedici arbitrantur. Alii contendunt prophetam l qui de oppugnatione urbis a Sancheribo tentata. Equ dem horum ſententiae accedo, quoniam verſ. 8—11 d ſcribitur apparatus ad urbis defenſionem inſtructus, q eſt idem ille, quem Hiskiam legimus 2 Chron. XXXI

2 ſeq

eſt quod omnes tecta aſcendant? 2. Urbs tumultuoſa ſtrepens et exultans! Occiſi tui gladio non ſunt interfecti, neque in praelio ceciderunt. 3. Omnes principes tui partim fugerunt, *b*) partim a ſagittariis capti ſunt: omnes incolae vel captivi ſunt abducti, vel procul aufugerunt. 4. Propterea rogo vos, ut me acerbo meo dolori lacrimisque meis indulgere ſinatis, neque me ob patriae meae vaſtationem ſolari tentetis. 5. Etenim dies perturbationis, vaſtationis et trepidationis adeſt a Domino Jova omnipotente in valle fatidica. *c*) Alii murum reparant, alii clamant: fugite ad montes. 6. Elamitae geſtant pharetras, cum curribus adſunt homines et equi-

2 ſeqq. eſſe molitum. Praeterea altera capitis pars inde a verſu 15, quae cum priori arcte cohaeret, non permittit ut de alio tempore cogitemus. Igitur totus hic ſermo non eſt argumenti prophetici, ſed epanorthotici, reprehendens profanitatem quorundam, qui in urbis defenſione ſuis viribus magis quam divinae potentiae fidebant.

b) Cf. *Schultenſius* in Animadv. philol. ad h. l. ubi docet אסר ex uſu linguae Arabicae eſſe *captivum ducere;* יחד vero explicat per *partim*, quae ſignificatio contextui inprimis apta eſt.

c) מְקַרְקַר קִר non eſt *ſcrutans murum*, ut Vulg. Syrus et Arabs vertunt, neque *deſtruens murum*, ut multi alii interpretes, ſed *firmans* ſ. *reparans*, ab Arab. קרר *quievit*, in II et IV conjugatione *firmavit*, *firmiter exſtruxit*. *Golius* p. 1873.

equites, Cyrenſes arma ſumſerunt. 7. Lectiſſimae valles tuae curribus ſunt refertae, et equites portas obſident. 8. Tunc omnibus urbibus munitis Judaeae expugnatis, reſpicitis armamenta domus ſilveſtris. 9. Videtis multas eſſe rupturas urbis Davidicae, aquas piſcinae inferioris colligitis. 10. Domos Hieroſolymae recenſetis, quasdam ex iis diruitis ad murum reſarciendum. 11. Lacum facitis inter duos muros recipiendis aquis piſcinae veteris. — — Sed non reſpicitis ad ejus auctorem, neque attenditis ad eum, qui haec inde a longinquo tempore praeparavit. 12. Jam enim Dominus Jova omnipotens vult ut lugeamus, ut plangamus, ut capite tonſo et veſtitu lugubri incedamus. 13. Sed ecce gaudium et laetitia. Mactantur boves, jugulantur oves, editur, bibitur. Edamus, *inquiunt*, et bibamus, nam cras moriemur. 14. Sed iſta non latent Jovam omnipotentem, qui huic tantae veſtrae impietati mortem minatur. — — 15. Tum idem ille Dominus Jova juſſit me abire ad theſaurarium *d*) Sebnam praefectum palatio, eique dicere: 16. Quid tibi hic? aut quem (tuorum) hic habes, quod excideris tibi hic ſepulcrum? Tu quidem in alto ſepulcrum excidiſti atque in rupe mauſolaeum praeparaſti. 17. Sed Jova te magna vi projiciet et te pudo-

re

d) De hoc Sebna, ut et de Eliakimo in ejus locum ſubſtituto, nihil amplius legitur, quam Cap. XXXVI, 3. utrumque miſſum eſſe ad Rabſacem ducem Sancheribi.

re et ignominia obruet. 18. Volvet te tanquam pilam in terram ſpatioſam: ibi morieris, et ibi erunt currus tui ſuperbi. O probrum domus domini tui! 19. Te de ſede tua detrudam et de ſtatione tua dejiciam. — — 20. Illo vero tempore vocabo ſervum meum Eliakimum filium Hilkiae, 21. Quem tunica tua induam et balteo tuo cingam, tuumque munus ei conferam. Is patris loco erit Hieroſolymae et toti Judaeae. 22. Ei curam et adminiſtrationem regni Davidici committam, quam ſumma cum auctoritate et omnium approbatione geret. 23. Pangam eum tanquam clavum in loco firmo, et regno et domui patriae inſigni erit ornamento. 24. *e*) Ab eo enim omnes de familia ſua magnos honores conſequentur, filii et nepotes, omnesque conſanguinei et propinqui, nobiles et ignobiles. 25. Ille vero clavus, inquit Jova omnipotens, loco firmo infixus evelletur, atque abſcindetur ſarcina ei appenſa: quod idem ille Jova edixit *f*).

SECTIO

e) In textu hebraeo haec per allegoriam ſunt enunciata. Continuat nempe propheta metaphoram a clavo ſumtam, cui Eliakimum ejusque dignitatem in verſu antecedenti comparaverat. In hoc clavo, inquit, ſuſpendentur omnes nobiles familiae ejus, propagines et poſteri, omnia vaſa parva, a vaſis craterum usque ad vaſa lagenarum — Pro quo tropo, cum a genio linguae latinae alienior videretur, verba propria putavi ſubſtituenda.

f) Quoniam Eliakimo conſtans et ſtabilis fortuna in munere

SECTIO XVIII. CAPUT XXIII

1. Vaticinium de Tyro. *a*) Ejulate naves Tarteſſi!
nam *b*) e terra Chittim annunciatur, Tyrum totamque
ejus regionem eſſe vaſtatam. 2. Obſtupeſcite incolae
regionum maritimarum, quas mercatores Sidonii mare
trajicientes frequentabant. 3. Quae lucrum ſuum ha-
bebant ex *c*) ſemine Sichoris, ex meſſe Aegyptii fluvii
divendenda gentibus. 4. Lugete Sidonii, *d*) nam ma-
re arceſque maritimae dicent: non parturivi nec ge-
nui,

nere ſuo promiſſa fuerat, non probabile videtur, de eodem in hoc verſu eſſe ſermonem. Sed videtur propheta denuo lapſum Sebnae praedicere et in eum transferre eundem tropum a clavo deſumtum, quo de Eliakimo fuerat uſus.

a) De vetere Tyro ſermo eſt, quae ſita fuit in terra continenti Phoeniciae, poſt tredecim annorum oppugnationem a Nebucadnezare deſtructa. cf. *Prideauſius* in Connex. Hiſt. T. I. p. 115.

b) Hebr. *quia vaſtata eſt*, ſc. Tyrus. Subjectum propheta infra demum verſ. 8. nominat מִבַּית מִבּוֹא *domi* et *ab introitu*, h. e. a regione circumjacente ſubjecta reip. Tyriorum.

c) Merces Aegypti, quae in Nilo transferebantur ad Tyrios et ab his ad alias gentes, eleganter vocantur *ſemen* et *meſſis* fluminis Aegyptii, ſumta metaphora a proventu agrorum.

d) Tyrus et multae aliae coloniae erant Sidoniorum. Hi igitur jubentur deplorare caſum hujus urbis. Qua everſa jam videri poſſet nullos filios aut filias educaſſe.

mui, nec educavi juvenes, nec extuli virgines. 5. Ut de Aegypti, ita non minus de Tyri fato lugebunt. 6. Trajicite Tarteſſum, *e*) ejulate habitatores orae maritimae. 7. Haeccine eſt civitas exultabunda, cujus antiquitas eſt a diebus vetuſtis, jam vero in remotiſſimis regionibus hoſpitium quaerere debet? — — 8. Quis hoc decrevit in Tyrum, urbem adeo celebrem, cujus mercatores principes, cujus negotiatores nobiliſſimi habebantur? 9. Id vero Jova omnipotens Dominus decrevit, ad foedandam tantae gloriae ſuperbiam, ad humiliandos nobiliſſimos illos totius terrarum orbis. 10. Migra e terra tua *f*) quam celerrime, filia Tarteſſi, omne decus et ornamentum tibi ablatum eſt. 11. Etenim Jova extendit manum ſuam ſuper mare, commovet regna, praecipit de Canaane, ut omnia ejus munimenta deſtruantur. 12. Noli amplius, inquit, exultare, o afflicta virgo, filia Sidonis; age fuge ad Chittaeos, verum ne ibi quidem tibi quies erit. 13. En *g*) Chaldaei! Po-

e) Alloquitur ipſos Tyrios, quibus urbe ſua vaſtata alio erat migrandum.

f) Hebr. כַּיְאֹר *ut fluvius.* cf. Jeſ. LIX, 19. *Filia Tarteſſi* vocatur Tyrus, quia, cum multi Tyrii eo confugiſſent, ſpectari poterat ut mater, quae foveret Tyrios — — *Non amplius* מֵזַח *cingulum* eſt; *vel* rex et proceres reip. omnes interfecti ſunt, *vel* omni decore et ornatu privata es, cui inſerviunt cingula in Oriente.

g) Verto locum difficillimum ex interpretatione *Perizonii*, qui

Populus olim ignobilis, quem deſerta pervagantem Aſſyrii fundarunt: exſtruent turres, effervefcent in palatia ejus (Tyri), redigent eam in ruinas. 14. Ejulate naves Tarteſſi! nam robur veſtrum ſublatum eſt. 15. Tum quidem oblivioni tradetur *h*) Tyros per ſeptuaginta annos. Tot enim annos regnum illud durabit. Quibus finitis cani poterit de Tyro tanquam *i*) de meretrice ejusmodi cantilena: 16. Sume citharam, circui

ur-

qui copioſe de eo egit in Origg. Babyl. Cap. VI. tot Characteres iſti diverſi Chaldaeorum ſunt in parentheſi, quae poſt Atnachum finienda videtur. Poſterius membrum loquitur de operibus, ab oppugnatoribus contra Tyrum exſtructis. — עוֹר dicitur etiam de impetu hoſtili, ut Zach. IX, 13. hinc et עָיר *hoſtis*, a primaria notione *effervefcere*, quo et Latini eo ſenſu utuntur.

h) Senſus eſt: Omnes qui Tyrum antea frequentarant, eam non amplius eſſe adituros. Septuaginta illi anni exacte conveniunt hiſtoriae. Tot enim annos duravit imperium Babylonicum, quod doctiſſimi Chronologi, *Petavius*, *Uſſerius*, demonſtrarunt. — — כִּימֵי מֶלֶךְ אֶחָד *unus rex* h. l. dicitur pro *uno regno*, ut in Daniele ſaepe, v. c. VII, 23. VIII, 20.

i) Allegoria genio linguae orientalis propria, qua emporia cum feminis impudicis comparant, quod plures quaſi amaſios admittunt, dum complurium gentium mercatores ea quaeſtus cauſa adeunt. Quam allegoriam propheta etiam in verſu 17 continuat, ubi vero propria verba ſubſtitui.

urbem, o meretrix oblivioni tradita! eleganter fidibus cane, multum cantilla, ut tui redeat memoria. — 17. Finitis igitur ſeptuaginta annis Jova Tyro ita providebit, ut redeat ad mercaturam et cum omnibus totius orbis regnis negotietur. 18. Cujus tamen negotiationis quaeſtus Jovae ſacer erit, non repoſitus condetur. Sed participabunt eum Jovae miniſtrantes, ita ut victus eis abunde ſuppetat et amictus elegans.

a) SECTIO XIX. CAPUT XXIV—XXVII

1. En Jova ita exhauriet terram et depopulabitur, atque

a) Per quatuor Capita XXIV—XXVII videtur eſſe ſermo continuus, in quo graviſſima calamitas terrae Judaicae inferenda praedicitur, addita tamen liberationis promiſſione; cui varia carmina interſeruntur propter miram illam defenſionem et liberationem a piis canenda. In tempore conſtituendo, quod hic prophetae ſermo reſpiciat, magnus eſt interpretum diſſenſus. *Grotius* quidem de vaſtatione per Salmanaſſarem regno Iſraëlitico illata locum explicat. *Vitringa* tempora remotiora Maccabaeorum reſpici putat; cui hypotheſi favere videntur loca hujus pericopae, in quibus perſecutiones ob religionem commemorantur, propter quas multi ſe abderent, multi ſupplicio afficerentur, quales a Salmanaſſare excitatas fuiſſe probabile non eſt. Mediam quaſi viam ingrediuntur, qui vaſtationem a Nebucadnezare terrae illatam, hanc ſubſecutam captivitatem Babylonicam et illa finita reditum in patriam deſcribi exiſtimant. Quae ſententia mihi

que ita eam invertet diſpergetque ejus incolas: 2. Ut nullum ſit inter plebejum et ſacerdotem, inter ſervum et dominum, inter ancillam et dominam, inter emtorem et venditorem, inter eum qui mutuum dat, et qui mutuum accipit, inter debitorem et creditorem diſcrimen. 3. Prorſus exhaurietur et diripietur terra, Jova eſt, qui haec ita pronunciat. 4. Luget, marcet terra, languet, marcet orbis, languent principes hujus populi. 5. Etenim foede polluta eſt haec terra a ſuis habitatoribus: quippe leges transgreſſi ſunt, mutarunt ſtatuta, violarunt foedus in aeternum duraturum. 6. Propterea maledictio eam abſumit, omnesque ejus incolae poenas luunt. Propterea igne quaſi occulto comburuntur, ita ut admodum pauci ſint ſuperſtites. 7. Luget muſtum, languet vitis, ingemiſcunt omnes antea hilares. 8. Ceſſat gaudium tympanorum, deſiit ſtrepitus exultantium, non auditur laetus citharae cantus. 9. Cum cantico non bibitur vinum, amara eſt ſicera potatoribus. 10. Fracta eſt urbs vacua, clauſae ſunt domus. 11. Ob vinum plorant in plateis, *b*) fugit omnis lae-

mihi quoque in quaeſtione perquam dubia probabilis videtur.

b) עָרְבָה כׇּל שִׂמְחָה οἱ ό vertunt *πέπαυται πᾶσα εὐφροσύνη.* Vulgatus: *deſerta eſt omnis laetitia.* Syrus: בְּטֵלַת *ceſſat omne gaudium.* Mihi quidem lectio recepta non ſuſpecta videtur, nec legendum putem עָבְרָה. Verſiones quidem

laetitia, exulat terrae hilaritas. 12. Nil niſi vaſtitas in urbe ſupereſt, portae vi ſunt fractae — — 13. At enim vero idem huic terrae, huic populo eveniet, quod fieri ſolet in ſtrictura oleae aut in racemis, cum finita eſt vindemia *c*) — —. 14. Illi ſublata voce celebrabunt Jovae excellentiam, *d*) magis quam mare ſtrepent. 15. Propterea * inter gentes laudate Jovam, in regionibus maritimis nomen Jovae Dei Iſraëlitarum. 16. Ab extrema terrae ora audimus cantica de piis felicibus, his verbis: *e*) o calamitatem meam! o gravo meum

dem allatae hanc lectionem non produnt, neque parallelismus ſequentis membri eam evincit. In lingua Samaritana ערב eſt *expellere*, quae ſignificatio h. l. perquam apta eſt.

c) Deeſt apodoſis: Relinquentur pauci, qui communi huic calamitati effugerint.

d) מִיָּם ſive *a mari*, ſive *ab occidente* vertas, difficilior videtur explicatio, atque diſſentiunt quoque interpretes in regione illa maritima definienda. Mihi quidem comparatio eſſe videtur laetitiae illius tumultuantis, quam propheta, phraſi quidem ſublimiori, ſed a dictione ejus minime aliena, ipſo maris ſtrepitu ſonantiorem eſſe dicat.

e) רָזִי ex ſignificatione verbi רזא in lingua Arab. *malo, aerumna affecit*, verti *calamitatem*, ſequens enim אוֹי לִי manifeſte ut ſynonymum ei reſpondet. In hac poſteriori hujus Capitis parte propheta regni Babylonici deſtructionem, ut in priori captivitatem Babylonicam, praedicit.

meum infortunium! Summa enim perfidia erga me
egerunt. 17. (Sed) pavor et fovea et laqueus vos ex-
pectat, o habitatores hujus terrae. 18. Qui fugiet a
pavore, cadet in foveam; qui eſcenderit e fovea, ca-
pietur laqueo, cataractae enim coeleſtes aperientur,
concutientur terrae fundamenta. 19. Immo contunde-
tur tota terra, funditus rumpetur, vehementer nuta-
bit. 20. Vacillabit inſtar ebrii, auferetur ut tugurium,
ſuis delictis gravata corruet, nec unquam reſurget.
21. Tum Jova animadvertet in populum iſtum adeo po-
tentem, et in reges hujus terrae: 22. Cogentur ut
vincti carceri includendi, et clauſi diuturnas poenas
luent. 23. Lunae vero et ſolis lumen obſcurum vide-
bitur, quando Jova omnipotens in Sione et Hieroſoly-
mae regnabit, et principes ejus ſumma erunt dignitate
conſpicui. CAPUT XXV, 1. Tu Jova es meus Deus,
te extollam, nomenque tuum celebrabo, qui mira fe-
ciſti tuaque decreta inde a longiſſimo tempore, ſumma
fide perfeciſti. 2. Quia * urbem (Babylonem) in tu-
mulum, oppidum munitum in ruinam redegiſti, ſe-
dem peregrinorum ne ſit urbs, nec unquam reſtaura-
bitur. 3. Propterea te celebrabunt nationes potentes,
urbes

cit. In ultimo verſu clare diſtinguit rempublicam Judaicam ab illa terra, quam concutiendam dixerat, et Judaeis promittit tempora feliciſſima. Sequens etiam carmen, quod cum hac pericopa cohaeret, non de terra Judaica agi docet, ſed Babylonica.

urbes gentium ferociſſimarum te reverebuntur. 4. Etenim munimentum fuiſti tenui, munimentum egeno, cum in anguſtiis verſaretur, perfugium ab imbre, umbra ab aeſtu. Ira enim violentorum hominum, eſt ut imber brumalis. 5. Tanquam aeſtus in loco arido, eſt tumultus hoſtium. *a*) Deprimes aeſtum umbra denſae nubis. Jubila tyrannorum turbabuntur. 6. Parabit Jova omnipotens omnibus gentibus in hoc monte *b*) convivium lautum, convivium vini meri, pinguium medullatorum, faecum percolatarum. 7. Auferet in hoc monte *c*) tegumentum, faciebus gentium obductum, et velamen impoſitum nationibus. 8. Subiget mortem in perpetuum, abſterget Dominus Jova lacrimas ab omnium faciebus, èt opprobrium populi ſui auferet in omni terra. Hoc Jova promittit: 9. Tum vero dicetur: En Deum noſtrum, hic eſt in quo ſperavimus et qui nos ſervavit, hic eſt Jova quem expectavimus, laetemur et gaudeamus de ſalute nobis praeſtita. 10. Immo potentiam ſuam Jova in hoc monte exſeret. Conculcabitur Moab ut conculcatur palea et

a) Accentus h. l. male poſiti ſunt. Atnachus debebat adſcribi τῳ זָרִ֑ים.

b) In deſcriptione mirae adeo liberationis convivia etiam commemoranda, quae pro beneficii magnitudine debent eſſe lautiſſima.

c) Omnis triſtitia mutabitur in laetitiam. In ſequenti verſu idem verbis magis propriis dicitur.

et in fimetum abjicitur. 11. Expandet manus ſuas ſuper eum quemadmodum is qui natat facere ſolet, deprimet faſtum ejus viribus manuum ſuarum. 12. Muros tuos *d*) munitos et altos dejiciet, proſternet, ſolo adaequabit. CAPUT XXVI, 1. Illo tempore hoc carmen canetur in Judaea: Urbem munitam habemus, defenſio quam Deus praeſtat inſtar muri eſt, et propugnaculi. 2. Aperite portas ut introeat gens juſta quae fidem ſervavit. 3. Quae certiſſime ſperat te pacem eſſe ſervaturum. Tu enim is es, cui confidi poteſt. 4. Confidite Jovae perpetuo. *a*) Deus enim eſt Jova atque perpetuum refugium praebet. 5. Quia depreſſit incolas celſitatis, urbis ſublimis, humiliabit eam, ad terram dejiciet, ſolo adaequabit. 6. Pedibus conculcabitur, pedibus inopum, greſſibus tenuium. —

7. *b*)

d) Apoſtrophe ad Moabum, qua idem aliis verbis declaratur.

a) Hebr. כִּי בְּיָהּ יְהוָה Fuerunt qui offenderent in litera Beth nomini יה praefixa. In his eſt *Hubigantius*, qui illud ביה mutatum vult in היה, quia non dici poſſit *in Deo eſt petra.* Recte. Neque hoc verba hebraea dicunt. Notetur modo idiotiſmus linguae in uſu praepoſitionis Beth, quo ſaepe pleonaſtice etiam nominativo praeponitur. Cf. *Glaſſius* in Philol. S. p. 586. edit. novae. Igitur recte quoque ab interpretibus antiquis Beth omiſſum eſt, non nomen ipſum יָהּ quod falſo dicitur ab *Hubigantio.* Quando vero dicitur, *Deus eſt Jova*, reſpicitur ſine dubio ad ſignificationem nominis Jovae originariam.

7. *b*) Quae probis eveniunt, ſunt juſtiſſima. Tu, o juſte! eorum fata decernis. 8. Tua etiam judicia *rectiſſima* ſunt. Te expectavimus, tui memoriam animus noſter ſtudioſe ſervabit. 9. Anima mea concupivi te noctu, quin et ſpiritu te mane ſtudioſe quaeſivi. Etenim quando judiciis tuis in terram aliquam animadvertis, incolae ejus ad religionem perducuntur. 10. Impius contra, vel ſi obtinet gratiam, eam contemnit, in terra ſancta perverſe agit, nec reveretur majeſtatem Jovae. 11. Jova, manus tua elata eſt, ſed non attendunt. Sed cogentur attendere, cum ſumma ſui confuſione, ad illam populi *tui* defenſionem, quando ut ignis hoſtes tuos conſumes. — — 12. Jova, pacem nobis concede, quippe quaecunque a nobis facta ſunt, tua potentia praeſtitit. 13. Jova, Deus noſter, alii domini praeter te nobis imperarunt. Jam vero in precibus noſtris te tantum celebrabimus. 14. Mortui iſti non reviviſcent, inferi non reſurgent. Etenim tu eos puniens perdidiſti, omnemque eorum memoriam deleviſti. 15. Vehementer auxiſti atque ornaſti hunc populum, et terrae ſuae terminos amplificaſti. — — 16. Jova tem-

b) Hunc et ſequentes verſus ego non intelligo de viis ipſius juſti, h. e. de vita ejus et morum probitate, ſed de viis Dei cum juſto, h. e. de ſumma Dei ſapientia, bonitate et juſtitia in omnibus quae piis eveniunt. Contextus valde favet, ni fallor, huic explicationi, atque verba eam admittere, nemo neget.

temporibus adverſis te reſpexerunt, clamarunt voce anxia, dum eos caſtigabas. 17. Ut praegnans, partui proxima, dolet, clamat in doloribus ſuis: ita nos fuimus propter iram tuam *c*). 18. Parturivimus, doluimus, erat ac ſi ventum pareremus. Perfecta ſalus terrae reddita non eſt, nec ea enixa eſt ſuos incolas. 19. Vivant mortui tui, * cadavera eorum ſurgant. Expergefacti cantent ſepulcri habitatores. Quia ros olerum eſt ros tuus, terra mortuos edet. — — 20. Abi, mi popule, *d*) intra penetralia tua, et clauſo poſt te oſtio per exiguum tempus latita, donec ira tranſierit. 21. Etenim Jova mox apparebit ad vindicandam iniquitatem incolarum hujus terrae. Quae indicabit caedes in ea commiſſas, neque amplius teget occiſos.

CAPUT XXVII, 1. *a*) Tum Jova gladio ſuo duro illo et

c) Elegantiſſima utitur Propheta allegoria, qua interitum reipublicae Judaicae cum morte, reſtitutionem ejus cum reditu in vitam et nativitate comparat. — — Verbum נפל v. 18. eſt in rariori ſignificatione pro *naſci*, quod recte obſervatum eſt a S. R. *Doederlein*, et apte illuſtratum ex loco Homeri Il. 19, 110.

d) Haec ſunt verba prophetae conſolantis populares ſuos, ut vaſtationem et deſtructionem patriae ſuae, quam cum ſepultura comparat, patienter ferrent et certo ſperarent fore ut Deus aliquando injuriam eis illatam in eorum hoſtibus ulciſcatur.

a) Num ſub Leviathane ſ. Crocodilo unus rex Aegypti, cujus

et magno et valido interficiet Leviathanem ſerpentem terribilem, Leviathanem ſerpentem ſinuoſum, occidet draconem marinum. 2. Illo tempore canite vineam illam adeo dilectam. * 3. *b*) Ego Jova eam cuſtodiam, abunde eam irrigabo, diu noctuque eam ab impetu hoſtili defendam. 4. *c*) Muro cinctus non ſum — — *. Utinam ſentibus et vepribus munitus eſſem! belli tempore *d*) eam ingrediar ejusque curam geram.

jus ille ſymbolum eſt, an plures populi Judaici hoſtes ſint intelligendi, quod vocabula ſynonymica innuere videntur, incertum eſt. Pro hypotheſium diverſitate, quae in hujus ſectionis explicatione ſupponuntur, de quibus ad initium ejus diximus, alii alios nominant, quibus verba prophetae accommodent.

b) Complures interpretes exiſtimant hoc carmen ad inſtar dialogi eſſe compoſitum, quo vinea et Deus tanquam perſonae colloquentes inducantur. Quam ſententiam ego quoque amplector, quae non ſolum ex contexta oratione, ſed etiam ex verbo ענה quod propheta de hoc carmine adhibuit, et quod in Piel ſaepe de alterno cantu ſive colloquio dicitur, probabilis videtur. Igitur in hoc verſu loquitur Deus,

c) Reſpondet vinea ſ. populus Judaicus — Sed verba ipſa ſunt valde difficilia. Ingenue fateor, meam verſionem mihi tam parum quam aliorum verſiones ſatisfacere.

d) Reſpondet Deus. Quae verba plerumque pro comminatione habentur, q. d. *ego aggrediar hanc vineam, eamque incendam.* Sed verbum *ἅπαξ λεγ.* פָּשַׂע *ingredi, incedere,* poteſt

5. *e*) O, utinam me confortet, det mihi pacem! det mihi pacem! — — 6. Sequentibus autem temporibus radices agent Jacobitae, germinabunt et florebunt Iſraëlitae, atque ſe in totum terrarum orbem diffundent. 7. Num eadem plaga, qua hoſtes eorum percuſſi ſunt? an eadem morte, quâ illi perierunt? 8. *f*) Moderate, cum dimitterentur, eos puniiſti. Cum contra illi vento violento, flante Euro auferentur. 9. Propterea hoc ipſo expiabitur iniquitas Jacobi, et hic erit fructus peccati ejus amoti, ut omnes ararum lapides tanquam calcis lapides diſjiciantur, nec amplius exiſtant luci et ſtatuae ſolares. — — 10. At enim vero urbs munita vaſtata erit, palatia ejus disjecta et derelicta inſtar deſerti. Paſcent ibi, ibique recubabunt vitu-

poteſt etiam in bono ſenſu accipi, et אֲצִיתֶנָּה rectius et analogiae grammaticae convenientius derivatur a צות quod in L. Syr. eſt: *attendere ad aliquid*, quam a יצת ſive נצת *accendit.*

e) Sunt iterum verba vineae — אוֹ eſt particula optandi, *o ſi!* quae in lingua Syriaca frequens eſt.

f) Hunc ſenſum fere poſtulat verſus praecedens, ad quem hic eſt reſponſio. Negatur Deum tam ſevero judicio populum ſuum puniiſſe, quo hoſtes ejus. Hi igitur ex oppoſitione ad poſterius membrum ſunt ſupplendi. מַכִּים ex verſu praeced.

g) Trans-

vituli. — — g) Rami ejus perdentur. 11. Arefacti confringentur. Mulieres iis igni incendendo utentur: Eſt enim populus imprudens. Propterea creator ejus nulla miſericordia, nec conditor clementia erga eum utetur. 12. Tum vero Jova excutiet flumen Euphratem usque ad amnem Aegypti, et vos omnes, o Iſraëlitae, una colligemini. 13. Atque eodem tempore clangetur buccina magna, venientque per Aſſyriam diſſipati et per Aegyptum diſperſi, atque adorabunt Jovam in monte ſancto Hieroſolymae.

g) Transfert propheta allegoriam vineae, quam ſupra de terra Judaica adhibuerat ad Babylonem. Rami vitium abſciſſi franguntur, arefacti igne comburuntur. Neque ſenſus allegoriae obſcurus eſt. Itaque minime argutandum eſt in explicandis ſingulis ejus membris. Non quaerendum eſt, quaenam ſint mulieres, quae ſarmenta iſta debent comburere. Quod miror factum eſſe a *Grotio*, qui Medos ſub mulieribus intelligit, *Vitringa* vero Arabes et ſub vitulis Judaeos. Sunt haec ornamenta deſcriptionis, in qua ſingularum partium non quaerenda eſt ſignificatio.

SECTIO XX. *a*) CAPUT XXVIII—XXXI

1. Vae *b*) coronae ſuperbae temulentorum Ephraimitarum, et flori, cujus venuſtas mox marceſcet, qui eſt in vertice vallis pinguiſſimae a vino oppreſſorum. 2. En! fortis et robuſtus a Domino miſſus, ut grandinis quaedam procella et turbo exitialis, ut imber aquarum validarum et inundantium, violenter terram occupabit. 3. Pedibus conculcabitur corona ſuperba ebriorum Ephraimitarum. 4. Flori illi emarcido, qui eſt in vertice vallis pinguiſſimae, idem eveniet quod ficui praecoci, *c*) quam qui viderit, vix manu prenſam avide devorat. — — 5. Illo vero tempore Jova Deus omnipotens elegans erit corona et inſigne diadema reliquis *d*) e populo ſuo. 6. Eumque qui jus dicit ſpiritu ſuo adjuvabit, et robur dabit bella proſequentibus.

a) Vaticinia capitis hujus et duorum ſequentium ad initia regni Hiskiae videntur referenda, non ita longe ante cladem Sancheribi. Tres vero partes hujus ſectionis poſſunt conſtitui. Prima pertinet ad Judaeos et Ephraimitas Cap. XXVIII. Secunda ad Hieroſolymitanos Cap. XXIX. Tertia utrosque reprehendit, quod Aegyptiorum auxilium tam cupide imploraverant, Cap. XXX.

b) Samaria in monte ſita, valle feraci et fertili ſubjacente.

c) בִּכּוּרָה Ficus, quae primo vere matureſcunt, in deliciis habebantur Jer. XXIV, 2. Hoſ. IX, 10. Vivida imago impetus, quo Aſſyrii Samariam eſſent aggreſſuri et vaſtaturi.

d) Regnum Judae ſub Hiskia florens et felix.

bus. — — 7. *e*) At iſti quoque vino falluntur et in ſicera titubant. Sacerdos et propheta vino falluntur, obrutique vino errant. Errant in viſione, impingunt in judicio. 8. Quippe omnes menſae repletae ſunt foedo vomitu, ita ut nullus locus vacet. 9. Quem igitur docerent ſcientiam? aut quem imbuerent intelligentia? iſti infantibus ſimiles et vixdum ab uberibus remoti. 10. Praeceptum praecepto addunt, regulam regulae, canonem canoni, parum hic, parum illic. 11. *f*) Barbaro ſermone, peregrina lingua uti videtur,

12.

e) Reprehenduntur ſacerdotes et doctores populi partim ob pravitatem morum, partim ob corruptionem religionis. *Vitringa* quidem vinolentiam, quam propheta redarguit, non propriam ſed metaphoricam intelligit, corruptam nempe religionis doctrinam. Aſt nullam video tropicae explicationis verſuum 7 et 8 neceſſitatem. Quin potius verborum conſtructio in hoc verſu et decimo contrarium ſuadent, in qua magna eſt elegantia, quae vero in verſione exprimi non poteſt. Statum hominum ebriorum propheta ingenioſe depingit, dum voces repetit, vario modo idem dicit, monoſyllaba cumulat, ad inſtar ebriorum balbutientium.

f) Vulgo hi verſus habentur pro comminatione poenae, quaſi *Deus* minetur ſe velle lingua irriſionis בַּלַעֲגֵי שָׂפָה loqui cum iſtis hominibus, hoc eſt, uti explicant, ſe velle permittere, ut in erroribus ſuis perſiſtant. Quod quomodo inſit verbis hebraicis, non ſatis intelligo. Ex mea

ver-

12. qui iſtis hominibus dicit: haec eſt *vera* quies, hanc monſtrate feſſo, haec eſt verae *g)* felicitatis ſedes. Nolunt audire. 13. Sed jactant ut verbum Dei iſtam praeceptorum et regularum multitudinem frequentesque additiones. Inde vero eveniet, ut retroacti ruant et frangantur et illaqueati capiantur. — — 14: *h)* Jam vos audite, quod Jova minatur vobis, o homines profani, et tyranni incolarum Hieroſolymae. 15. Qui dicitis: Nos cum morte foedus pepigimus et de inferno nobis

verſione omnia verba in ſua propria ſignificatione accipiuntur, neque opus ellipſi nominis *Dei*, ſed יְדַבֵּר impersonaliter dictum eſt, uti tertia perſona ſaepiſſime dicitur, et conſtruendum cum ſequenti אשר. Sed בלעגי שפה non verto *lingua irriſionis*, poſterius membrum docet eſſe ſynonymum τῷ לָשׁוֹן אַחֶרֶת. Sic etiam Paulus, qui h. l. ad rectum uſum doni linguarum transfert 1 Cor. XIV, 21. verba hebraea explicavit. Venit in mentem an pro לַעֲגֵי legendum ſit לֹעֵז ſive לֹעֲזֵי, quod ſemel extat Pſ. CXIV, 21. Sed in lingua Arabica لغز ejusdem eſt ſignificationis — — Igitur hi verſus ex mea ſententia ulteriorem continent deſcriptionem ſummae corruptionis horum hominum. Poenae vero comminatio eſt in ultimo membro verſus 13, nam לְמַעַן ſaepe de eventu dicitur.

g) De origine verbi רגע cf. obſervat. ad Jer. 6, 16.

h) Nova pericopa eſſe videtur directa adverſus proceres populi Hieroſolymitani.

nobis proſpeximus. Tempeſtas vel ſaeviſſima etſi irruerit, ad nos non pertinget. Eſt nobis in mendacio praeſidium, latitamus in falſitate. 16. Propterea ſic dicit Dominus Jova: En ego ponam *i*) in Sione lapidem probatum, angularem pretioſum, bene fundatum, cui qui confidit, is non trepide fugiet. 17. Judicium vero exercebo, quod juſtitiae exacte conveniat. Tum procella auferet mendacii illud praeſidium, et latibulum iſtud aquae inundabunt. 18. Tum abolebitur foedus veſtrum cum morte, et pactum veſtrum cum inferno non perſiſtet, irruens tempeſtas omnia inundans, vos opprimet. 19. Ubicunque irruet, vos auferet, quotidie ſine intermiſſione irruet: atque adeo ad rumorem ejus homines contremiſcent. 20. Tum brevius erit ſtratum, quam ut quis ſe extendere, et anguſtius tegumentum, quam ut quis eo ſe compre-

i) In primo ſenſu, ſive eo, quo homines Jeſaiae tempore viventes haec intelligere debebant, promittitur defenſio et ſecuritas, quam Hieroſolyma praeſtare deberet incolis ſuis omnibusque qui ſe eo a Sancheribo recepiſſent. Sed in ſenſu ſublimiori haec de Chriſto intelligenda eſſe docent Paulus Rom. IX, 33. et Petrus 1 Epiſt. II, 6. 7. 8. — Ad יִסַּד obſervo non opus eſſe ut in יֹסֵד mutetur, nam eſt conſtructio elliptica, pro: הִנֵּה אָנֹכִי הוּא אֲשֶׁר יִסַּד cf. Thren. III, 1.

prehendere poſſit. *k*) 21. Etenim ſicuti in monte *l*) Prazim ſurget Jova, tanquam in valle Gibeon motus excitabit, ut facinus patret prorſus inſuetum, ut opus perficiat prorſus inauditum. 22. Nolite igitur ridere has minas, ne vincula veſtra fortius adſtringantur. Ipſe enim Dominus Jova omnipotens mihi indicavit, iſta omnia certo eſſe eventura. — — 23. Diligenter attendite, auſcultate atque audite dicta mea. 24. Num agricola tantum praeparat ſementi agrum, arando, ſulcando, occando? 25. Nonne poſtquam ſolum ejus adaequavit, ſpargit nigellam *m*) aut ferit cuminum, aut triticum eximium, aut hordeum egregium, aut ſpeltam? 26. Et omnino praeparat eum, prouti a Deo eſt edoctus *n*). 27. Porro nigella non tri-

k) De verbo rariori שׂרע conferendo cum Arab. شرع *extendere*, vid. *Schultenſius* in Animadv. philol. ad h. l. Senſus allegoriae videtur eſſe: tum nullum quieti futurum eſſe locum, propter perpetuum ab hoſte timorem. Quemadmodum is, qui ſuper ſtrato breviori jacet, aut tegumentum habet anguſtius, cui ſe involvere non poteſt (qui mos eſt Orientalium) parum quiete dormit etc.

l) Alluditur ad 2 Sam. V, 20. et Joſ. X, 11. Uti olim Philiſtaeos et reges Cananitarum profligavit, ita jam Iſraëlitas ut hoſtes ſuos tractabit.

m) De his frumenti ſpeciebus vid. *Celſius* in Hierob. P. I. p. 517. P. II. p. 70. 98. 116. 240.

n) Deeſt applicatio parabolae, quam Grotius ſic facit: Si Deus agri-

trituratur tribula, nec rota plauſtri ſuper cuminum agitatur: ſed baculo excutitur nigella et cuminum virga. 28. Frumentum quidem triturando minuitur, ſed tamen triturae quoque modus eſt, et quanquam rota plauſtri illud conquaſſat, tamen ejus ſc. jumenti ungulis * non plane comminuitur. 29. Hoc quoque a Jova omnipotente venit, qui et conſilio admirabilis, et prudentia magnus eſt. o) CAPUT XXIX. a)
1. Heu Ariel! Ariel! urbs in qua ſedem fixerat David; Altero abhinc anno, mactatis pro more ſacrificiis feſtiva-

agricolam iſta docet, an ipſe in ſuis rebus non ſervabit ordinem modumque? Similis argumentatio Pſ. LXXIV,9.

o) Haec quoque eſt concluſio parabolae, uti verſ. 26, cujus applicatio ſic poteſt inſtitui. Similem in modum Deus in poenis infligendis modum ſervat, non nimis ſeverus eſt, et bonum finem ſemper intendit. De parabola ipſa cf. *Schoettgenii* Antiquitt. triturae p. 44. et *Paulſenii* relatt. de agricultura Orientalium p. 96. et 137.

a) Praedicit propheta primo periculum Hieroſolymae a Sancheribo timendum 1—4. deinde promittit liberationem—9. tertio reprehendit incredulitatem et profanitatem hominum ſuorum temporum—17. et tandem denuo promittit divinam defenſionem—24. In nomine Ariel, quod propheta Hieroſolymae tribuit, non eſt argutandum, cum ratio ejus non adeo difficilis ſit intellectu. *Ariel*, h. e. *leo fortis*, aptiſſimum nomen eſt Metropolis, quae ſola ſuperſtes fuit, nec ab hoſte, qui omnia reliqua oppida occuparat, potuit expugnari.

ſtivalibus, 2. Arielem ad tantas anguſtias redigam, ut ubique *b*) moeror et triſtitia conſpiciatur. Sed tamen erit invicta. 3. Te obſidione cingam, arctabo te machinis, exſtruam contra te munitiones. 4. Tum e terra loqueris humiliter, *c*) ex antris verba proferes pythonum more. Voce uteris ſubterranea, humi muſſitabis ſermones tuos. — — 5. Sed pulveris inſtar erit hoſtium tuorum multitudo, ut ſtipula abacta turba ferocium. Idque cito futurum eſt. 6. Jova enim omnipotens in eam animadvertet tonitru, terrae motu, ingenti ſonitu, turbine, tempeſtate et flamma ignis voracis. 7. Quod fieri ſolet in nocturno ſomnii viſo, idem eveniet multitudini gentium, quae militant contra Arielem, quae eam arcemque ejus obſident. 8. Quemadmodum enim ſomniat famelicus ſe edere, ſed experrectus ſentit ſtomachum vacuum: aut quemadmodum ſitiens ſomniat ſe bibere, ſed experrectus laſſus eſt et appetitu adhuc agitatur: ita quoque futurum eſt cum omnibus iſtis et multis gentibus, quae militant adverſus montem Sionem. — — 9. Vos increduli eſtis, ſed obſtupeſcetis, excaecati eſtis,

b) In textu eſt paronomaſia Jeremiae quoque uſitata, Thren. II, 5.

c) Comparatio eſt in voce humili et ſubmiſſa, quam pythones iſti affectabant. Sic quoque incolas urbis dicit propheta locuturos eſſe, ſed ex alia ratione, nempe prae metu ab hoſte.

eſtis, ſed exclamabitis. Ebrii eſtis, ſed non ex vino, titubatis, ſed non ſicera. 10. Nam Jova immiſit in vos profundum ſoporem, et obſtipavit oculos veſtros; prophetas et vates veſtros primarios obduxit caligine. 11. Hinc totum hoc vaticinium eſt vobis ut verba libri obſignati, qui ſi tradatur literarum perito, eique dicatur: lege, quaeſo, non poſſum, inquit, quia obſignatus eſt. 12. Vel detur hic liber alicui literas neſcienti, his verbis: lege, quaeſo, reſpondet, neſcio literas. 13. Ita igitur dicit Dominus: Propterea quod populus iſte ore quidem me accedit et labiis me honorat, ſed animum habet a me alienum, ejusque erga me religio tantum praeceptis humanae doctrinae continetur: 14. Propterea ego adeo mirifice, adeo mirabiliter agam cum iſto populo, ut pereat ſapientia ſapientium ejus, prudentumque prudentia nulla ſit. — — 15. Vae! his qui profunda ſimulatione ſe ſubtrahunt Jovae, ſuaque conſilia occultare ſtudent. Qui opera ſua in tenebris peragunt, qui dicunt: quis videt nos? aut quis nos cognoſcit? 16. O perverſam veſtram agendi rationem! Num figulus idem eſt quod lutum? Num opus neget ſe ab auctore ſuo factum eſſe, aut vas fictile figulum vocet imperitum? — — 17. *d)* Brevi

d) Comparatio videtur eſſe in eo, quod ſublime opponitur humili et depreſſo. Sublimes, quales erant Aſſyrii, dejicientur

vi futurum eſt, ut Libanus in Carmelum et Carmelus in ſilvam mutetur. 18. Tum ſurdi *e*) audient quae dicuntur, tum diſcuſſis tenebris denſiſſimis caeci videbunt. 19. Tum *f*) miſeri de Jova gaudebunt, atque egeni de numine Iſraëlitarum laetabuntur. 20. Quippe deſiit eſſe violentus, conſumtus eſt irriſor, exciſi ſunt ad ſcelera patranda intenti. 21. Qui alios ad peccandum ſeducere ſtudebant, arguenti eos palam inſidiabantur, et juſtum per calumnias opprimebant. 22. Propterea haec dicit Jova Deus *g*)

Jaco-

cientur. Agri plani attollentur in montium ſpeciem. Sic Judaei afflicti fient victores. Cf. Cap. XXXII, 15: et X, 34. ubi proceres Aſſyrii *ſylva* et *Libanus* vocantur.

e) Homines increduli, qui de veritate dictorum prophetae dubitabant, quos antea verſ. 9 ſeqq. reprehenderat.

f) Fideles, qui patienter divinum auxilium implorabant et expectabant.

g) Placet conjectura *Lowthi*, qui legit אֵל *Deus*, non אֶל *ad*, nam in ſequentibus ſermo non eſt ad Jacobitas directus. Niſi malimus אֶל mutare in עַל quod legiſſe videntur *οἱ ό*, Syrus, Chaldaeus et Arabs. Vulgatus tantum habet *ad*. — Redemtio Abrahami, ſi lectio verborum אֲשֶׁר פָּדָה אֶת־אַבְרָהָם ſana eſt, alia intelligi non poteſt quam prima ejus vocatio ex Ure Chaldaeorum. Sed *οἱ ό* habent: ὃν ſc. *Jacobum*, ἀφώρισεν ἐξ Ἀβραάμ, legentes fortaſſe אֲשֶׁר הִבְדִּיל מִן אַבְרָהָם. Sed haec longius recedunt a textu recepto, in quo acquieſcere poſſumus, modo legatur אֵל ſive עַל.

Jacobitarum, qui Abrahamum redemit: Non amplius pudeſient, non amplius eorum facies expalleſcent. 23. Sed quando poſteri eorum videbunt, quanta ego inter eos facta patravi, me celebrabunt, Numen Jacobitarum praedicabunt, Deum Iſraëlitarum reverebuntur. 24. Tum errantes diſcent prudentiam, et homines profani admittent diſciplinam. CAPUT XXX, 1. Vae filiis *a)* immorigeris, inquit Jova, qui conſilia ineunt, quae ego vehementer improbo, qui *b)*

 foe-

a) Hic prophetae ſermo, qui hoc et ſequenti Capite continetur, directus eſt non tam ad regnum Judae, quam potius ad regnum Iſraël. Scilicet ultimus ejus rex Hoſea miſit in Aegyptum legationem ad regem Soum ſ. Sevechum, qui eum defenderet a Salmanaſſare, a quo defecerat, cum de tributo annuo cum eo conveniſſet, quod diſerte legimus 2 Reg. XVII, 3. 4. Videntur tamen etiam Judaei ſub adventum regis Aſſyriae foedus ſuaſiſſe cum Aegyptiis, magnamque in eorum auxiliis fiduciam poſuiſſe, quos propheta propterea graviter reprehendit, contra ad ſpem in Jova tantum collocandam excitat cum promiſſione auxilii et defenſionis extraordinariae ab eo expectandae.

b) Phraſin נָסַךְ מַסֵּכָה *Lud. de Dieu* explicat per *agitare conſilia.* Ita fere etiam Chaldaeus ad inſtituendam deliberationem. Cappellus (in Opp. poſth.) *libare libationem* idem eſſe dicit, quod *facere foedus*, uti Graeci dicunt *σπένδειν σπονδάς.* quoniam conſtat foedera praeeunte ſacrificio et libatione inita eſſe. Sic etiam *οἱ ό: συνθήκας ἐποιήσατε.*

foedera pangunt, contra voluntatem meam, quo facto peccata peccatis augent. 2. Qui iter in Aegyptum ſuſcipiunt me non conſulto, ut robore Pharaonis firmentur, ſeque ſub umbram Aegypti recipiant. 3. Sed ſpes illa veſtra, quam de potentia Pharaonis concepiſtis, vana atque irrita futura eſt, atque defenſio, quam ab Aegyptiis expectatis, nulla vobis erit. 4. Fuerunt quidem ejus principes *c*) Tane, et legati Daphnen pervenerunt. 5. Sed ſpes eorum valde fruſtrata eſt in populo, qui eis nullo modo prodeſt, neque ad auxilium, neque ad ullam aliam utilitatem, imo opprobrio erit et ignominiae. 6. Quod attinet ad onus illud, quod jumentis *d*) auſtrum verſus fertur: In terram miſeriarum et afflictionum, ex qua leaenae et leones, vipera et baſiliſcus prodire ſolent, deportant in dorſis aſinorum opes ſuas et in camelo-

c) צֹעַן *Tanis* eſt. Sed חָנֵס quod h. l. tantum legitur, quae ſit, incertum videtur. Chaldaeus תַּחְפַּנְחֵס vocavit, quae eſt Daphne prope Peluſium in Jeremia Cap. XLIII, 7. 8. XLIV, 1. Ezech. XXX, 18. commemorata. Aliorum conjecturas attulit S. R. *Doederlein* in nota ad h. l.

d) Sermo eſt de legatione ab Hoſea in Aegyptum miſſa, de qua in nota a) dictum eſt. נֶגֶב pro לְנֶגֶב ſive נֶגְבָּה *verſus Auſtrum*, deſcribitur Aegyptus a ſitu ſuo reſpectu Palaeſtinae. Quae praeterea vocatur terra miſeriarum et afflictionum, quia Iſraëlitae olim in ea vehementer vexati et afflicti fuerant.

melorum gibbis theſauros ſuos ad populum nihil profuturum. 7. Quippe Aegyptii vane et inaniter auxiliabuntur, propterea dico de iis: * fugit, ſ. timet fiducia. 8. Age igitur, ſcribe illa verba in tabula et literis ea conſigna, in perpetuam ſequentium temporum memoriam. 9. Populus enim eſt rebellis, homines mendaces, qui recuſant obtemperare legi Jovae. 10. Qui dicunt prophetis: nolite edere oracula, et vatibus: nolite vaticinari quae vera ſunt, dicite nobis grata, quantumvis falſa: 11. Ne amplius nobiscum hac ratione agatis, aut numinis Iſraëlitarum mentionem injiciatis. — — 12. Propterea haec minatur illud Iſraëlitarum numen: quoniam vos ea quae vobis dicuntur ſpernitis, et fraudibus et nequitiae confiditis atque innitimini, 13. haec culpa vobis erit tanquam ruptura cadens, ut tumor in muro praealto, cujus repente atque improviſo fractura venit. 14. Cujus fractura eſt, ut contritio vaſis fictilis, irreparabilis; in cujus fragmentis ne teſta quidem invenitur, qua ignis de foco capi et aqua e puteo hauriri poſſit. — — 15. Dominus Jova Iſraëlitarum Deus vobis promiſerat, vos ſalvos futuros eſſe, ſi miſſo iſto conſilio quieti eſſetis; in tranquillitate et fiducia vos victores eſſe evaſuros. Sed noluiſtis. 16. Minime, dicere ſoletis, Immo equis fugiemus: itaque fugietis: celerrimis equis equitabimus, propterea celeres erunt, qui vos perſequuntur.

 17. Mille

17. Mille ad increpationem unius atque a quinque minitantibus omnes fugietis: donec relicti fueritis, uti *e*) arbor in vertice montis et ſicuti vexillum in colle.
18. Attamen Jova clementia et miſericordia erga vos uti cupit. Eſt enim Deus benignus. O felices! qui eum expectant. 19. Etenim non (ſemper) lugebitis, vos Sionis et Hieroſolymae incolae. Veſtrum miſerebitur, ſi clamatis. Simulac audierit, vobis reſpon-

e) תֹּרֶן *malum navis* ſignificare unanimi conſenſu affirmant οἱ ό, Vulgatus in tribus illis locis, in quibus hoc vocabulum occurrit, nempe praeter h. l. Cap. XXXIII, 23. et Ezech. XXVII, 5. Syrus quoque in hoc et Ezechielis, et Chaldaeus in duobus locis citatis. — οἱ ό habent ὡς ἱστὸς ἐπ᾽ ὄρει. Vulgatus: *quaſi malus navis in vertice montis*, et Syrus איך ערדא על ריש טורא et contextus quoque duorum locorum citatorum hanc ſignificationem non ſolum admittit, ſed etiam poſtulat. Sed cum malus male in vertice montis collocetur, in hoc quidem loco vel metaphorice pro quocunque ſigno erecto, quod e longinquo conſpici poſſit, תרן dictum videtur, vel metonymice pro arbore quacunque, quam ſignificationem vocabulo Syriaco ערדא tribuit *Caſtelli*, clavus ligneus, ſtipes. Chaldaeus h. l. habet כבערא *ſicuti fax in vertice montis*, ex ſenſu ſine dubio quem requirere videbatur praedicatum, nam Cap. XXXIII, 23. et Ezech. XXVII, 5. ipſum vocabulum תֹּרֶן retinuit.

ſpondebit. 20. Et quanquam Deus vos hactenus *f*) magnis gravibusque afflixit calamitatibus, tamen non amplius in obſcuro *g*) deliteſcent doctores veſtri, ſed vos eos perpetuo ob oculos habebitis. 21. Audietis eos vos admonentes, ſi vel ad dextram vel ad ſiniſtram deflectere velitis; haec eſt via, hac incedite. 22. Tum profanabitis ſimulacra veſtra argento obducta, et auro veſtita fuſilia abjicietis, ut rem impuram, ut rem foetidam ea habebitis. 23. Tum dabitur pluvia ſemini, quo agrum conſeviſtis; et cibum omnis generis terra proferet, eumque optimum et praeſtantiſſimum; tum paſcent greges veſtri in paſcuis amplis. 24. Boves atque aſini terram colentes pabulo recenti et acido veſcentur, vanno et ventilabro purgato. 25. In montibus altis et collibus elatis aquarum rivi fluent, die caedis iſtius magnae, quo turres corruent. 26. Luna ut ſol ſplendebit, et ſol ſeptem dierum ſplendorem adunaſſe videbitur, tunc quando Jova populi

 ſui

f) Hebr. eſt: *dedit vobis panem afflictionis, et aquam miſeriae.* Eadem phraſis extat quoque 1 Reg. XXII, 27.

g) Verbum כנף quod praeter h. l. non extat, conferri ſolet cum Arabico كنف *cuſtodivit, occultavit*, et ſic locus explicari poteſt de doctoribus populi per impietatem quorundam, quos propheta antea reprehendit, male habitis, ut audere non poſſent in publicum prodire. Sed diffiteri non poſſum lectionem ſuſpectam mihi videri. Diverſam longe ab recepta exhibent *οἱ ό* et Syrus, nolui tamen aliquid tentare.

ſui fracturam obligabit et vulnus ei inflictum ſanabit. --
27. En Jova venit e longinquo, ardet ira ejus grave
onus ferens, labia plena ſunt indignatione, et lingua
eſt ut ignis devorans. 28. Halitus ejus tanquam tor-
rens inundans, ad collum usque pertingit. Motus
excitat inter gentes, qui in vanum abibunt, fraenum
quo in devia ducentur maxillis populorum injicit. -- --
29. Carmen canetis ſicuti nocte feſto paſchatos ſacra,
laetabimini, ut illi qui cum tibiis ad montem Jovae,
ad rupem Iſraëlis ire pergunt. 30. Tum ſonabit Jova
voce ſua magnifica, et oſtendet potentiam ſuam ira
gravi et flamma ignis vorantis, diſſipatione, imbre et
grandine. 31. Tonitru enim Jovae Aſſur proſternetur,
baculo percutietur *h*). 32. Tunc in omnibus locis, in
quibus baculo illo Jovae graviter eſt caſtigatus tympa-
nis et citharis incedent. Atroci praelio adverſus
eum pugnabit *i*). 33. Commode accidit ut Topheth
jam

h) Pro יַכֶּה lego יֻכֶּה Sic quoque Syrus et praecedit paſſivum.

i) In verſu hoc difficillimo explicando interpretes diſſentiunt. Ego quidem paucis tantum verſionis meae rationem reddam. Primo בְּתֻפִּים וּבְכִנֹּרוֹת refero ad מַעֲבַר verbo ex ſubſtantivis ſubintellecto vel יַעֲבֹרוּ vel יְרֻנּוּ Deinde ſequentia מַטֵּה וג״ cohaerent, quorum ſenſum tantum clarius in verſione expreſſi. Subjectum eſſe אֲשֶׁר in praecedenti verſu nominatum nemo non videt.

jam dudum paratum ſit a rege *k*) ampliatum et dilatatum. Pyra materia ignea ligniſque multis exſtructa eſt, quam halitus Jovae inſtar torrentis ſulphurei accendet.

SECTIO XXI. *a*) CAPUT XXXI. XXXII.

1. Vae! his qui Aegyptum auxilii petendi cauſa abeunt, qui in equis ſpem ſuam ponunt, qui curruum multitudini et equitum virtuti confidunt, ſed Iſraëlitarum

videt. — Tironum gratia addo verſionem ad literam expreſſam, ut conſtructionem verborum hebraeorum eo melius intelligant: et erit omnis locus baculi fundati (ſive ex lectione duorum Codicum *Kennicotti* מוּסָרָה *caſtigationis*) quem Jova ſuper eo (ſc. Aſſure) quieſcere faciet, cum tympanis et citharis. Nam praeliis agitationis pugnat in eum.

k) Tophet in valle Hinnom, quae non ita procul ab Hieroſolyma aberat, locus erat, in quo reges Judaei turpiſſima ſacra inſtituerant in honorem Molochi hominibus atque adeo liberis ſuis immolandis Jer. VII, 31. Pius rex Hiskias, qui idololatriam ſuſtulerat 2 Paral. XXIV. ſine dubio etiam illum locum purgaverat. Jam fingit propheta ironia admotum acuta, regem curaſſe ut ſpatium ſit ſatis amplum et ſufficiens in illo loco, rogo parando et exſtruendo, in quo rex Aſſyriae poſſit comburi.

a) Novam ſectionem h. l. facio non propter argumenti diverſitatem, ſed quoniam res ipſa docet, alio tempore ferente ſic occaſione hoc ſermone prophetam denuo reprehendiſſe Judaeos, propter fiduciam in Aegyptiis poſitam, adjuncta promiſſione miraculoſae liberationis ab Aſſyriis.

rum numen negligunt, Jovam non conſulunt. 2. Atqui etiam is ſapiens eſt. Malum inducet, dicta ſua non mutabit, pugnabit aduerſus populum iſtum improbum et adverſus maleficorum auxilium. 3. Aegyptii enim homines ſunt, nil minus quam dii, *b*) eorum equi infirmi ſ. debiles ſunt, non invicti. Itaque Jova potentiam ſuam oſtendente impinget auxiliator et adjutus, ſimulque omnes conficientur. — — 4. Attamen Jova haec per me promittit: Quemadmodum ſtridet leo ſuper praedam ſuam, nec a clamoribus paſtorum contra eum congregatorum, aut eorum tumultu terretur: ſic Jova deſcendet omnipotens ad pugnandum pro monte Sione et pro colle ejus. 5. Ut aves pullos, ſic Jova omnipotens proteget Hieroſolymam, atque ita proteget, ut eam eripiat, liberet atque omne periculum evadere jubeat. — — 6. Reſipiſcite igitur, o Iſraëlitae, poſt tantam et tam gravem inobedientiam. 7. Tum vero quisque abjiciet idola ſua argentea et aurea, quae ipſe ſibi fabricaverat ut peccaret. 8. Aſſyrii enim cadent non virorum gladio, nec enſe humano conficientur. 9. Fugient, nec gladius eos urgebit, milites ejus metu diſſipabuntur. 10. Ne

b) Hebr. *Equi eorum caro ſunt, non ſpiritus.* Hic locus quaſi claſſicus eſt pro adſtruenda ſignificatione vocis רוּחַ de qua ſupra dictum eſt Cap. IV, 4. cum h. l. in oppoſitione dicatur ad בָּשָׂר *carnem*, de cujus ſignificatione tropica nemo dubitat.

10. Ne in arcibus quidem munitis ſe tutos exiſtimabunt, duces eorum conſpecto vexillo conſternabuntur. Haec dicit Jova, qui ignem ſuum Sione focumque Hieroſolymae habet. CAPUT XXXII, 1. Rex (Hiskias) juſte regnabit, atque etiam principes ex aequo imperabunt. 2. Quisque eorum veluti protectio erit adverſus ventum, confugium adverſus imbrem. Ut rivi aquarum in loco arido, ut umbra rupis praealtae in terra ſiticuloſa. 3. Non amplius illitos *bb*) habebunt oculos, illi qui videre debent, et aures praebebunt, qui audire debent. 4. Homines in judiciis ſuis nimis praecipites aut temerarii ſtudioſe omnia conſiderabunt, et incondite loquentes eleganter et diſerte loquentur. 5. Homo profanus non amplius homo erectioris ingenii vocabitur, nec avarus dicetur liberalis. 6. Agnoſcetur hominis profani profanitas, *c*) eum peſſime ſentire, ad ſtabiliendam

bb) In textu legitur תִּשְׁעֶינָה a שָׁעָה *adſpicere*, quod eſt a contextu alienum. Sed ſi aliis punctis ſubjectis legit תְּשַׁעְנָה a שָׁעַע *illinere*, *calce obducere*, in lingua Chaldaica et Syriaca frequenter obvium, ſenſus eſt ſequenti membro aptiſſimus. Sic quoque Syrus, Chaldaeus, Symmachus: *ὀυκ ἐμαυρωθήσονται ὀφθαλμοὶ ἀυτῶν.* Vulgatus; *non caligabunt oculi videntium.*

c) Verba activa hujus et ſequentis verſus *rei cognitionem* indicant, (Glaſſii Philolog. S. Can. XVII. de Verbo p. 225.) explicant enim verſum praecedentem.

dam profanitatem et ad errores de Deo diſſeminandos, ad praeripiendum eſurienti cibum et ad privandum potu ſitientem *d*). 7. Avari vero mores improbabuntur. Quippe qui ſcelerata tantum conſilia ineat, quomodo probos mendaciis circumveniat, dum pauperes recte ſentiunt. 8. Ingenuus vero ingenue etiam conſulet atque egregie facta defendet *e*). — — 9. Mulieres tranquillae *f*), agite, audite me! o vos ſecurae, adver-

d) Improprie haec dicta ſunt, et ſenſus eſt: profanos iſtos homines aliorum fidem in Deum ejusque providentiam labefactare piosque ſolatio ex illa percipiendo privare.

e) Innuit ſine dubio propheta diverſa judicia hominum ſuae aetatis de hoc bello, de cauſis ejus et eventu, aliis promiſſis Dei fidem habentibus, aliis de eo dubitantibus. Docet propheta plurimos ex illis errores ſuos eſſe agnituros, et qui recte de Deo et providentiae divinae viis judicarint, praemia pietatis ſuae eſſe conſecuturos.

f) Difficile eſt ad definiendum, utrum propheta pergat de eadem re, ſcilicet de irruptione Sancheribi loqui, an de deſtructione extrema a Nebucadnezare terrae inferenda. Illud quidem videntur verba indicare v. 10. ימים על שנה *annus ſuper annum*, quae non poſſunt aliter explicari, ac: *altero abhinc anno*. Sed talis praedicitur vaſtatio, qualis a Sancheribo terrae Judaicae illata non eſt. Ipſa enim urbs Hieroſolyma dicitur vaſtanda et in ſolitudinem redigenda, atque haec calamitas diu durare debet v. 14; quae omnia bello a Sancheribo ſub Hiskia rege illato non conveniunt. Promiſſio quoque his minis addita, tempora

advertite aures ad ea quae dicam. 10. Poſt biennium vos, quae adeo ſecurae eſtis, trepidabitis, nam vindemia intercepta eſt, meſſis nulla erit. 11. Trepidate tranquillae, commovemini ſecurae, exuite, nudate vos, veſtes lugubres induite. 12. Propter agros, g) … propter

pora indicat remotiora et v. 19. de nulla alia urbe, quam de Babylone poteſt intelligi. Quae cum ita ſint, videtur haec pericopa utique de ultima deſtructione explicanda, ad quam propheta ſubito tranſit, cum de priore calamitate breviter verſu decimo, fortaſſe quoque undecimo et duodecimo dixiſſet. Mulieres, quas alloquitur, non proprias, ſed figuratas intelligo, nempe urbes, quae non ſolum בתולות et בנות ſed et נשים dicuntur. Ezech. XVI, 41. Etenim propheta nihil dicit, quod ad mulieres in ſpecie pertineat, ut Cap. III, 16. earum luxum et mollitiem reprehendit. Loquitur in genere de vaſtatione terrae, quam viri aeque ac mulieres lugere debebant.

g) Conjectura recentiorum criticorum pro על שדים legendum eſſe שׂדים propter facilitatem ſuam commendabilis videtur, cum receptam lectionem non niſi difficilem et coactam explicationem dicant admittere. Attamen mirum eſt, nulli interpretum antiquorum hanc emendationem in mentem veniſſe, ſi in forma loquendi ipſa inſolitum aliquid deprehendiſſent. Sed fortaſſe rarior vocis uſus illuſtrari poteſt ex lingua graeca, in qua οὖθαρ etiam de agro fertili dicitur, quem ſenſum h. l. parallelismus membrorum poſtulat. Sic apud *Homerum* Iliad. 9, 140. extat οὖθαρ ἀρούρης, quod, ſi eſt, nulla eget locus noſter emendatione.

propter agros fertiliſſimos, propter vites frugiferas plorantes. 13. In agris popularium meorum ſentes creſcent et vepres, quin immo in omnibus domibus laetitia reſonantibus urbis exultantis. 14. Palatia erunt deſerta, urbs tumultuoſa derelicta, clivus et turris ſpeculatoria erunt ſpeluncae per plura ſecula, gaudium onagrorum, paſcua gregum. 15. Donec exorto ſuper nos vento; deſertum in arvum frugiferum et arvum frugiferum in ſilvam transmutetur *h*). 16. Tum juſtum judicium in illud deſertum exercebitur, in arvo vero frugifero benevolentia ſe exſeret. 17. Cujus effectus erunt pax et tranquillitas diutiſſime duratura. 18. Tum populus meus in aedibus ſuis pace fruetur, ſecurus in manſionibus, tranquillus in ſedibus ſuis. 19. Grando autem dejicietur in iſtam ſilvam, atque urbs iſta ad imum ſtatum redigetur. 20. O vos felices! qui in locis irriguis ſeminatis, bove et aſino libere ubique paſcente.

SECTIO XXII. *a*) CAPUT XXXIII

1. Vae! tibi qui vaſtas, neque ipſe vaſtaris, qui perfide

h) Cf. Cap. XXIX, 17. Videtur eſſe dictio proverbialis, qua ſubita eaque feliciſſima rerum mutatio indicatur.

a) Sermo directus eſt ad ipſum Sanecheribum, cui propheta poenam divinam ob crudelitatem ſuam annunciat 1 - 10. deinde beneficia hujus liberationis et quae eam ſecutura eſſent exponit.

fide agis, cum perfide tecum non egerint. Cum abſolveris vaſtationes tuas, et ipſe vaſtaberis; cum ſatis tibi ſit perfidiarum *aa*), tecum quoque perfide agent. — 2. O Jova eſto nobis propitius, te expectavimus quotidie, defende nos, praeſta nobis ſalutem tempore adverſo. — 3. A tonitru tuo fugerunt populi, a potentia tua diſſipatae ſunt gentes. 4. Tunc praedam veſtram *b*) colligent ut bruchi, ut ſolent locuſtae diſcurrere,

aa) Quanquam *Cappelli* conjectura, pro כַּנְּלֹתְךָ vocabulo per formam ſuam anomalicam merito ſuſpecto, legendum eſſe כְּכַלֹּתְךָ, propter facilitatem ſuam et parallelismum membrorum valde placet; tamen quoniam Chaldaeus, Symmachus et Vulgatus vertunt tanquam legiſſent כְּנִלְאֹתְךָ a לאה, ille enim habet כַּד תִּלְאֵי, hic: ὅταν κοπιάσει ἀθετῶν, et Vulgatus: *cum fatigatus deſieris contemnere*, ex regulis criticis auctoritas antiquorum interpretum videtur conjecturae praeferenda. Accedit quod 21 Codd. *Kennicotti* legant hanc vocem plene ſive cum Vau ſcriptam כנלותך et unus nempe 4. exhibeat Characterem infinitivi in Niphal uſitatiorem, He כהנלותך. In priori libri editione verti: *cum perfeceris perfidiam*, non quod *Cappelli* conjecturam probabam, ſed quod *Schultenſium* (in Animadverſſ. philol. ad h. l.) ſecutus verbum illuſtrandum putabam ex Arab. نال *perficere*. De quo tamen jam dubito, quoniam verba mediae Vau cum verbis tertiae He parum tuto conferuntur.

b) Apoſtrophe ad Aſſyrios: Iſraëlitae caſtra veſtra deſerta inva-

rere, ſic ſpolia hinc inde carpentur. 5. Celebrabitur
Jova caelum inhabitans, qui Sione juſtitiam et beni-
gnitatem manifeſtavit. — 6. Sapientia et prudentia,
immotum et firmiſſimum temporum tuorum praeſidium
erunt. Religio Jovae erit theſaurus tuus *c*). —
7. En viri fortes clamant in plateis, pacis legati amare
flent. *d*) 8. Deſolatae ſunt viae publicae. Nemo
iter ſuſcipit, irritum eſt foedus, nihili facit urbes, nul-
lius hominis rationem habet. 9. Luget, languet ter-
ra, pudet Libanum quod exaruit, Scharon redacta eſt
in ſolitudinem, Baſan et Carmel clamoribus reſo-
nant: — — 10. Nunc ſurgam, inquit Jova, nunc
exaltabor, nunc efferar. 11. Gravidi eſtis ex palea,
parietis ſtramen, iſta arrogantia veſtra ignis eſt, qui
vos conſumet. 12. Nationes erunt veluti in calcem
combuſtae, veluti ſpinae corraſae, quae igne combu-
rantur. 13. Audite longinqui, quod feci et propinqui
cognoſcite potentiam meam. 14. Timent in Sione
peccatores, tremor corripit profanos. Eequis noſtrum,
inquient,

invadent et praedam ex iis pro lubitu colligent, uti locu-
ſtae facere ſolent agros et hortos irruentes.

c) Apoſtrophe ad regem Hiskiam. Pro אוצרו Symmachus legit אוצרך *theſaurus tuus*, quam lectionem prius membrum confirmat. Syrus tamen, Chaldacus et Vulgatus habent receptam lectionem.

d) Innuit legationem Hiskiae ad regem Aſſyriae, de qua infra Cap. XXXVI, 11.

inquient, *e*) commoretur apud ignem conſumentem? quis noſtrum habitet apud focum aeternum? — — 15. Qui juſte vivit et recte loquitur, neque turpis lucri appetens eſt atque adeo illud vehementer averſatur. Qui obturat aurem, ne audiat conſilia ſanguinaria, oculosque obſtipat, ne malum videat. 16. Is alte habitabit, arces ſuper petris exſtructae eum recipient, panis ei non deerit, aqua ei ſemper ſcaturiet. — — 17. *f*) Regem in ornatu ſuo videbis, terram late patentem. 18. Recordaberis terroris illius *bellici*, quo tribuni, quaeſtores, architecti convocabantur. 19. Non amplius videbis populum atrocem *g*), populum ſermonis ignoti, linguae peregrinae, quam non intelligis. 20. Aſpice Sionem locum conventibus noſtris dicatum *h*); vide Hieroſolymam, manſionem tranquillam, ten-

e) Judicia divina peccatoribus adeo terrorem injicient. Quoad phraſin cf. Cap. XXXI, 9.

f) Beneficia hanc liberationem ſecutura. Jucunda rerum praeteritarum recordatio. — אֶרֶץ מַרְחַקִּים ex terra judaica, non amplius obſeſſa ab hoſtibus, ſed in omnibus finibus ſuis liberata.

g) Immunitas ab hoſtibus.

h) Securitas et tranquilla pacis fruitio. Phraſes in poſteriori membro ſumtae ſunt a Scenitis tentoria ſua ſaepe transferentibus. Verbum צען *ἅπαξ λεγ.* conferendum cum Arab. ظعن *transferri, moveri de loco in locum,* hinc proficiſci.

Digitized by Google

tentorium immotum; cujus paxilli non evelluntur, cujus funes non disrumpuntur. 21. Quin immo Jova magnificus ibi comparebit, flumina late ſe diffundent, quae non intrabunt remigantes naves, nec hoſtiles claſſes pervadent. *i*) 22. Sed Jova erit judex noſter, legislator, rex, is nos defendet. — 23. Tui vero, o hoſtis, funes laxati ſunt, non bene firmant malum ſuum, nec vela expandunt. Tunc tanta praedae copia dividetur, ut vel claudi eam participent. 24. Aegrotus morbi dolores non ſentiet. Omnis incolarum culpa erit ablata.

SECTIO XXIII. *a*) CAPUT XXXIV. XXXV

1. Accedite gentes ad audiendum, et nationes attendite!

i) Optime ſenſum hujus loci explicavit S. R. *Doederlein.* Nimirum totus locus eſt allegoricus: Hieroſolymam tam tutam fore, quam urbs eſſe ſolet mari undique cincta. Quodſi quando ei a navibus hoſtilibus periculum timendum ſit, Deum tamen proſpecturum, ne in hoc mare ulla navigia vehantur, ſive ubi huc delata fuerint, ſalva evadant. Quin potius ſicuti naves ruptis funibus nec nocere poſſunt, nec aufugere, ita futurum, ut exercitus Aſſyriorum, qui huic mari ſe committat, ruptis nervorum viribus plane debilitetur et praedae ſit Iſraëlitis.

a) Annunciantur graviſſima Dei judicia in Edomitas, ſtilo admodum ſublimi et poëtico deſcripta. Sed neque tempus, quo hae minae impletae ſunt, neque inſtrumentum,

que

dite! Audiat tellus cum ſuis incolis, orbis cum ſua propagine. 2. Iraſcitur Jova omnibus iſtis gentibus, ardet ira ejus adverſus eorum copias. Devovit eas, mactandas eas tradidit. 3. Abjecta caeſorum cadavera foetorem exhalabunt: montes adeo de ſanguine eorum liqueſcent. 4. Aſtra coeleſtia contabeſcent *b*), convolventur ut volumen, et decident, ut folium de vite aut ficu. 5. Etenim paratus iam eſt in coelo culter meus. En vertetur contra Edomitas, contra populum devotioni a me deſtinatum. 6. Culter Jovae cruore plenus, impinguatus ex adipe, ex ſanguine agnorum et hircorum, ex adipe renum arietum. *c*) Nam jugulat Jova Bozrae, magnum epulum parat in terra Idumaeorum. 7. Cogentur ferae, capreae, tauri cum juvencis, tota terra eorum ſanguine replebitur, et pulvis ex adipe eorum impinguabitur. 8. Hic enim dies eſt vindictae et annus retributionis, quo Jova vindicabit Sionem. — — 9. Tunc flumina in picem

 con-

quo Deus uſus eſt ad eas exequendas, certo poſſunt indicari. *Grotius* quidem ad eadem tempora liberationis ab Aſſyriis refert, uti ſequens caput ad felix Hiſkiae regnum.

b) Imago prophetis ſaepe uſurpata, qua poenarum divinarum gravitatem comparant cum tempeſtate terribili, qua ſol diſparet et ſidera in fulguribus caelo cadere videntur.

c) Alia imago, qua clades Edomitis inferenda comparatur cum epulo magno, quod paratur, et propter quod multa animalia mactantur huic convivio deſtinata.

convertentur et pulvis in ſulphur, quin tota terra erit pix ardens *d*). 10. Diu noctuque inextincta, cujus fumus perpetuo aſcendet. Perpetuo erit vaſtata, nemo unquam eo iter faciet. 11. Poſſidebunt eam pelicanus et ericius, bubo et corvus eam inhabitabunt. Ad regulam et menſuram inſtructa erit ejus vaſtatio. *e*) 12. Non erunt nobiles, qui regno praeficí poſſint, *f*) primores omnes erunt ſublati. 13. Succreſcent in palatiis eorum ſpinae, carduus et urtica in eorum arcibus, habitacula erunt draconum, atria ulularum. 14. Occurrent feles agreſtes thoibus, et ſatyrus ſocio ſuo acclamabit: quin tarda avis ſ. lamia amplam ſedem ibi nacta quieſcet. 15. Ibi nidulabitur acontia et enitetur, excluſosque pullos ſuos fovebit in locis umbroſis.

d) Continuatur eadem deſcriptio graviſſimarum poenarum ſub imagine horribilis devaſtationis et ſolitudinis, in quam terra Edomitarum redigenda ſit.

e) In textu hebr. eſt: *Extendet ſuper eam lineam inanitatis et perpendiculum vaſtitatis.* Apte transfert propheta metaphoram ab architecto ſumtam, qui ſingulas partes aedificii exſtruendi ad regulam et perpendiculum diligenter ſolet examinare, ad vaſtationem, quam Deus Edomitarum regioni inducturus ſit. Secundum omnes quaſi leges deſtructionis et vaſtationis fieri debet.

f) In textu hebraeo conſtructio eſt elliptica: Ad nobiles ejus quod attinet, non erunt ibi quos ad regnum evocent. Ellipſis *τοῦ* אשׁר et *τοῦ* ל. Quam explicationem poſterius membrum confirmat.

ſis. Vultures quoque ibi ſuos habebunt conventus. — — 16. Si quando haec vaticinia conſuletis, nullum iſtorum animalium deeſſe aut deſiderari intelligetis. Nam Jova ita juſſit *g*), ex voluntate ejus ibi convenient. 17. Has ſedes eis ſorte quaſi diſtribuit et menſura quaſi certa aſſignavit. In perpetuum eas poſſidebunt, per complures generationes eas inhabitabunt. CAPUT XXXV, 1. Laetabitur *a*) vero deſertum ſiticuloſum, gaudebit ſolitudo, florebit tanquam roſa. 2. Valde florebit atque exultabit jubilo et gaudio magno. Libani decus, ſplendorem Carmeli et Saronis nanciſcetur. Videbunt gloriam Jovae, majeſtatem Dei noſtri. — — 3. Firmate manus remiſſas et genua labantia roborate. 4. Dicite hominibus meticuloſis: fortes eſtote, nolite timere. Ecce Deus veſter, ultio venit, retributio Dei, ipſe venit, ſalvator. 5. Tunc aperientur oculi caecorum et aures ſurdorum reſerabuntur. 6. Tunc ſaliet claudus tanquam cervus,

g) Pro פִּי הוּא videri poſſet legendum eſſe פִּי יְהוָה uti οἱ ό vertunt: *ὁ κύριος ἐνετείλατο αὐτοῖς.* Sed fortaſſe הוּא poſitum eſt pro nomine Dei, cf. obſervat. ad ſequens Caput verſ. 8.

a) Affixum Mem in verbo יְשֻׂשׂוּם reſolvi quidem poteſt in affixum ſeparatum יְשֻׂשׂוּ בָם *gaudebunt propter illa*, neque tamen improbabile eſt, errore ſcribarum propter ſequens Mem illud bis ſcriptum eſſe. Nullus interpretum antiquiorum illud Mem expreſſit.

et lingua muti jubilabit. Nam erumpent in deſerto
fontes et flumina in ſolitudine. 7. Tum vapor arenae
apparens *b*) mutabitur in ſtagnum, et loca ſiticuloſa
in aquarum ſcaturigines. Ubi antea dracones cuba-
bant, gramen cum calamo et junco *creſcent*. 8. Exi-
ſtet ibi via aggerata, quae via ſancta vocabitur (pro-
fanus eam non ingredietur). Ipſe *c*) Jova eis in hac
via praecedet, qua nec ſimpliciſſimi errabunt. 9. Non
erit ibi leo, nec fera beſtia in ea pervadet aut conſpi-
cietur. Sed ibunt redemti. 10. Imo Jovae vindicati
revertentes Sionem venient; jubilantes et perpetua
perfuſi laetitia continua voluptate fruentur, procul fu-
giente moerore et triſtitia.

LIBER

b) שָׁרָב quod h. l. legitur, *Schultenſius* in Animadverſſ. philol. ad h. l. aliique a *Simonio* in Lexico citati conferunt cum Arabum سراب quod dicunt de vapore, qui tempore meridiano in locis deſertis eminus ſpeciem aquae habet, quem radii ſolis repercuſſi ex arena efficiunt. Qui propterea viatores ſaepe deludit, ut eum pro aqua ſtagni aut lacus habeant. Sic elegans eſt oppoſitio inter שרב et אגם.

c) Verſum difficilem, inprimis propter verba הוא לָמוֹ ad quae male Atnachus adſcriptus eſt, ita verto ut הוא non putem eſſe pronomen, ſed emphatice poſitum pro *nomine Dei*, *Ille*. Apud Arabes ſolemnis formula eſt: Non eſt niſi *Ille*, et in precibus Deum alloquuntur: *o Ille*. Vid. *Vriemoet* ad Dicta Claſſica Vet. Teſt. P. I. p. 119. et *Glaſſii* Philol. S. p. 153. edit. recent.

LIBER SECUNDUS. a)

CAPUT XXXVI

1. Anno quarto decimo regni Hiskiae Sancheribus rex Aſſyriae expeditionem ſuſcepit adverſus Judaeam, omnesque urbes munitas occupavit. 2. Tum ex Lachiſche Rabſacen Hieroſolymam miſit ad b) regem His-

a) Sequitur particula quaedam hiſtorica rerum notabilium ſub rege Hiskia ſpatium duorum aut trium annorum complectens. Primo hiſtoria expeditionis Sancheribi, Capp. XXXVI, et XXXVII. Deinde hiſtoria morbi lethalis Hiskiae, curatio ejus miraculoſa, et carmen euchariſticum pro recuperata valetudine, Cap. XXXVIII. Tandem narratio de legatis a rege Babylonis Hieroſolymam miſſis, qui Hiskiae reſtitutam valetudinem gratularentur, Cap. XXXIX. Quae omnia in hac Jeſaiae pericopa copioſius narrata leguntur, quam in libro regum poſteriori Capp. XVIII. et XIX. Nolim tamen propterea cum *Grotio* ſuſpicari, illa capita in libro regum ex his noſtris eſſe deſumta. *Vitringae* potius aſſentiar, qui hanc hiſtoriae particulam putat in hoc Jeſaiae libro aeque ac in libro regum ſumtam eſſe ex majori et ampliori opere, in quo res geſtae illorum temporum fortaſſe ab ipſo Jeſaia conſcriptae eſſent, quod in libris regum ſaepe Commentarii regum Judae et Iſraëlis vocatur.

b) Omittitur hoc loco, quod 2 Reg. XVIII, 15. 16. legitur, Hiskiam miſiſſe legatos, qui regem Aſſyriae muneribus placarent, ſed videtur illa reconciliatio non diu duraſſe —.

Rab-

Hiskiam cum magno exercitu. Ille cum ad aquae ductum piſcinae ſuperioris juxta aggerem campi fullonum conſediſſet: 3. Egreſſi ſunt ad eum Eliakimus filius Hilkiae, praefectus palatio, deinde Sebna, qui regi erat ab epiſtolis, tandem Joachus Aſaphi filius Cancellarius. 4. Quos Rabſaces ita eſt allocutus: Dicite Hiskiae nomine regis magni, regis Aſſyriae: Quaenam eſt iſta fiducia tua? 5. Jactas quidem verba iſta futilia, * non deeſſe tibi, neque prudentiam, neque vires ad bellum gerendum. At enim vero cui confidis, ut rebellare adverſus me audeas? 6. Novi quidem te confidere baculo iſti arundineo conquaſſato, nempe Aegypto, cui ſi quis innitatur, ei manum perforat. Talis enim eſt Pharao Aegypti rex omnibus, qui ei confidunt. 7. Quodſi dicis: In Jova Deo noſtro ſpem ponimus; — Nonne is eſt ille Deus, cujus ſacella et aras Hiskias deſtruxit, aliam Judaeis et Hieroſolymae incolis aram commonſtrans, coram qua adorare debeant? 8. Audesne ſpondere domino meo regi Aſſyriae, ſi tibi duo millia equorum dedero, te totidem equites ſiſtere poſſe? 9. Sive audebis reſiſtere vel uni praefecto ſ. duci domini mei minimo? Sed con-

Rabſaces nonnulli pro nomine appellativo habent, quod munus hominis indicet, qui *princeps potionis* ſive regi *a poculis* fuerit, qualem Pharao habuit Geneſ. XL, 2. 23. שַׂר הַמַּשְׁקִים.

confidis Aegyptiorum curribus et equitatu. 10. Praeterea noli exiſtimare me contra Jovae voluntatem venire ad hanc terram bello vaſtandam. Jova juſſit, ut hanc expeditionem ſuſciperem et hanc terram deſtruerem. 11. Tum Eliakimus, Sebna et Joachus rogarunt Rabſacem, ut Aramice loqueretur, ſe enim hanc linguam intelligere, non vero judaice, propter milites qui in muro eſſent. 12. Rabſaces vero reſpondit: Num putatis me a domino meo miſſum eſſe, ut cum domino veſtro et vobiscum his de rebus agerem, et non potius ad milites iſtos, qui murum tenent, et vobiscum merdam ſuam comedere et urinam bibere cogentur? 13. Quibus dictis magna voce judaice clamavit: Audite, quae rex magnus, rex Aſſyriae dicit: 14. Ne vos decipiat, inquit, Hiskias, non poteſt vos defendere. 15. Neque vobis perſuadeat, ut Jovae fidatis, quaſi ille vos ſit defenſurus, nec hanc urbem mihi traditurus. 16. Nolite his Hiskiae dictis fidem habere: Sed facite mecum pacem, inquit rex Aſſyriae, et tradite vos, tunc cuique vitis et ficus ſuae fructibus veſci et ex ciſterna ſua aquam bibere licebit. 17. Donec vos in terram veſtrae ſimilem transferam, in terram frumento et muſto, pane et vino abundantem. 18. Igitur ne vos decipi patiamini ab Hiskia, dum vobis a Jova liberationem promittit. Num dii gentium ſuas terras a mea potentia defendere potuerunt? 19. Ubi ſunt dii Chamatenſes et Arpatenſes? ubi Dii

Sepharvaeorum? Num Samariam ab armis meis defendere potuerunt? 20. Quinam iſtarum regionum omnium Deus ſuam terram contra me defendere valuit, et Jova illud pro Hieroſolyma praeſtabit? 21. Ad haec ſiluerunt et ne verbum quidem regeſſerunt, ſicuti etiam rex eis interdixerat. 22. Tunc redierunt Eliakimus filius Hilkiae praefectus palatio, Sebna qui erat a literis et Joachus Aſaphi filius cancellarius ad Hiskiam ſciſſis veſtibus, et retulerunt quae Rabſaces dixerat.

CAPUT XXXVII

1. Quibus auditis Hiskias ſciſſis veſtibus, et cilicio amictus templum Jovae adiit. 2. Eliakimum vero praefectum palatio, Sebnam qui ei erat ab epiſtolis, et ſeniores ex ſacerdotibus, omnes veſtitu lugubri indutos miſit ad Jeſaiam Amoſi filium prophetam, 3. qui ei ſuo nomine dicerent: Tempus hoc eſt valde afflictum, quo contumelia et ignominia afficimur. In ſummo periculo verſamur, nec vires nobis ſunt ad illud avertendum *a*). 4. Fortaſſe ulciſcatur Jova Deus tuus ſermones Rabſacis a rege Aſſyriae miſſi, perquam contumelioſos, quibus Deum immortalem laceſſivit,

a) In textu hebraeo dictio eſt proverbialis: *venerunt liberi usque ad matricem, nec vires ad pariendum,* cujus ſenſum ſtatim in verſione ponendum putavi.

ceſſivit, quos ille non ignorat. Intercede igitur precibus pro reliquis qui adhuc ſuperſunt. — — 5. Poſtquam aulici regis Hiskiae haec apud Jeſaiam expoſuerant, 6. hic eis hunc in modum reſpondit: Dicite domino veſtro: Jova jubet te omnem metum abjicere propter iſta convicia, quibus me proſcidiſſe regis Aſſyriae miniſtros audiviſti. 7. Ego enim efficiam, ut audito rumore quodam conſilium capiat redeundi in terram ſuam, ibique gladio interficiatur. — 8. Rabſaces autem reverſus regem Aſſyriae in oppugnanda Libna occupatum invenit. Nam eum caſtra ex Lachiſe moviſſe audiverat. 9. Tum ei annunciatum eſt Tirhakam Aethiopiae regem ei bellum intuliſſe. Quibus auditis denuo miſit legatos ad Hiskiam cum his mandatis: 10. Ne te decipi patiaris a Deo tuo, a quo ſperas impediri poſſe, quominus Hieroſolyma in meam veniat poteſtatem. 11. Noſti reges Aſſyriae omnes iſtas regiones evertiſſe, et tu evades? 12. Num dii gentium, quas majores mei perdiderunt, eas defendere potuerunt? Goſanenſes, Charanenſes, Rezephenſes, et Edenſes qui ſunt in Telaſſare. 13. Ubinam ſunt rex Chamati, rex Arphati? rex Sepharvaeorum, Henae et Ivae? 14. Cum vero Hiskias has literas a legatis accepiſſet et legiſſet, templum Jovae eſt ingreſſus, atque illis coram Deo explicatis, 15. hunc in modum precatus eſt: 16. O Jova omnipotens Iſraëlitarum Deus, qui ſedes ſuper Cherubis, qui ſolus omnium

omnium regnorum Deus es, qui caelum et terram condidiſti, 17. Aurem praebe, o Jova, et audi! aperi oculos, o Jova, et vide! audi quomodo Sancheribus per legatos ſuos tibi immortali Deo maledixit. 18. Verum quidem eſt, o Jova, perdiderunt Aſſyriae reges iſtas gentes *b*) omnes earumque terras. 19. Imo Deos earum in ignem abjecerunt. Sed non fuerunt dii, verum opera manuum humanarum, lignei, lapidei, hinc eos potuerunt deſtruere. 20. Tu vero, o Jova, ſerva nos ab eo, ut omnia terrarum orbis regna intelligant, te ſolum Jovam eſſe. — — 21. Tum Jeſaias Amoſi filius miſit nuntiatum Hiskiae: Haec dicit Jova Iſraëlitarum Deus: Ad preces, quas de Sancheribo Aſſyriae rege ad me feciſti, 22. Hoc habeas reſponſum: Spernit te, (Sancheribe) irridet te Sion, caput poſt te motitat Hieroſolyma. 23. Quem opprobrio afficis? cui maledicis? contra quem ſuperba voce clamas? Iſraëlitarum numen alto ſupercilio deſpicis. 24. Per tuos legatos conviciis proſcidiſti Dominum, quando dixiſti: Ego cum curruum meorum multitudine montium faſtigia occupavi, cacumina Libani,

b) Hebr. אֶת־כָּל־הָאֲרָצוֹת Metonymice *terra* pro terrae incolis dicitur, ſic Geneſ. VI, 11. 12. 1 Sam. XIV, 29. Quo obſervato omnes difficultates, quas interpretes in ſequenti וְאֶת־אַרְצָם invenerunt, diſparent, et ſic haec lectio facile cum ea quae eſt 2 Reg. XIX, 17. ubi legitur הַגּוֹיִם poteſt conciliari.

bani, proſtravi cedros ejus proceras, abietes ejus praeſtantiſſimas. Penetravi ad ſummam ejus altitudinem, ad ſilvam ejus amoeniſſimam. 25. Ego fodi et bibi aquas *c*). Jam exſiccabo progrediendo Aegypti flumina. — — 26. Tunc audiſti, me jam pridem haec decreviſſe, indeque a longo tempore praeparaſſe. Jam vero ea adduco. Nimirum ut tu urbes munitas in acervorum ruinas redigas *d*). 27. Ut earum incolae ſint imbelles, conſternati, pavidi, ut ſimiles ſint herbis agreſtibus,

c) Eſt dictio proverbialis, quam propter ſequentia hoc loco retinui. Senſus eſt: omnia mihi hactenus e voto ſucceſſerunt: deſideriorum meorum omnium compos factus ſum, quemadmodum is, qui aquam quaerit et puteum fodit, ſi aquam invenit, voti ſui particeps fit. — In ſequentibus מָצוֹר mihi quidem non videtur eſſe nomen appellativum *munitio*, ſed proprium *Aegypti*. Sic noſter Aegyptum ſupra vocavit Cap. XIX, 6. et Michae VII, 12. Senſus phraſeos non eſt obſcurus: totam Aegyptum mihi ſubjiciam. Alluditur in voce יְאֹרֵי ſine dubio ad canales, in quas Aegyptii ſolebant Nili aquas derivare.

d) Affixa in אוֹתָהּ, יְצַרְתִּיהָ et הֲבֵאתִיהָ non habent ſubſtantivum ad quod referantur. Mihi quidem illa affixa foeminini generis, loco generis neutrius, uti ſaepe, poſita videntur, et intelligenda de rebus geſtis Sancheribi diu ante a Deo praedictis. Ultima etiam verba manifeſte explicant praecedentia, et dicunt, quaenam ſint ea,

bus, ſtirpibus germinantibus, gramini in tectis, ut ſeges tacta uredine * antequam excreverit in culmum. 28. Sed novi ego tua conſilia tuosque conatus omnes tuamque adverſus me inſolentiam. 29. At enim vero cum tanta ſit tua adverſus me jactantia, iſtaque tua fiducia me non lateat, hamum naribus tuis injiciam, fraenumque labiis tuis, teque reducam eadem illa via, qua veniſti. — — 30. Haec vero tibi (Hiskiae) ſigni loco dicta ſint: Edite hoc anno ſponte natum, itemque ſequenti anno e) fruges arborum, tertio vero anno ſerite et metite, plantate vineas, earumque fructibus veſcimini. 31. Illi enim, qui ex vobis hanc calamitatem evaſerunt, conſtanti et perpetua felicitate fruentur. 32. Immo ex Hieroſolyma prodibunt, ex Sione eis exitus patebunt. Ego Jova omnipotens hoc pro impenſo meo erga vos amore praeſtabo. 33. Etenim promitto regem Aſſyriae hanc urbem non eſſe ingreſſurum, ne ſagittam quidem in eam eſſe jaculaturum, aut ſcutis aggreſſurum, aut aggerem obſtructurum. 34. Qua venit via, eadem revertetur, hanc urbem non ingre-

* ea, quae Deus jampridem fecerit et inſtruxerit, nempe ut rex Sancheribus urbes munitas in acervorum ruinas mutaret: quae in ſequenti verſu uberius explicantur.

e) שְׁחִיס quod in loco parallelo literis transpoſitis ſcribitur סָחִישׁ *Symmachus* vertit: *ἀπὸ δένδρων*, et Vulgatus: *pomis veſcere*, in lingua Arabica idem ſignificat.

ingredietur, inquit Jova. 35. Protegam enim et ſervabo eam propter me et propter Davidem mei cultorem. -- -- 36. Proſtravit vero angelus Jovae *f*) in caſtris Aſſyriorum

f) In libro regum additur, factum hoc eſſe *illa ipſa nocte*, ſcilicet poſtquam legati Sancheribi iterum ab Hiskia dimiſſi eſſent. — Quod attinet ad quaeſtionem ab interpretibus motam, utrum Deus ad cladem iſtam in exercitu Aſſyriaco edendam miniſterio angeli proprie ſic dicti uſus fuerit, an alia quadam cauſa naturali, quae hoc loco nomine *angeli Jovae* veniat: uſus hujus vocis inter Judaeos receptus a viris doctis ſatis probatus (vid. Illuſtris *Michaelis* paraphraſin Epiſt. ad Hebr. p. 91. ſqq.) pro tropica ſignificatione decernit. Sed quaenam iſta cauſa naturalis fuerit, difficilius eſt explicatu, atque in eo quoque interpretes maxime diſſentiunt. *Joſephus* quidem Antiqq. Lib. X. Cap. I. Sect. V. *νόσον λοιμικὴν*, *peſtem*, cauſam dicit. *Vitringa* tempeſtate horribili ab Angelo excitata tot hominum millia proſtrata eſſe putat, atque hanc ſententiam defendit inprimis ex iis prophetae noſtri locis, in quibus hanc poenam deſcribit tanquam tempeſtatem, quam Deus excitare velit et per tonitrua, fulmina et ignem vorantem Aſſyrios proſternere. Loca ſunt Cap. XXIX, 6. XXX, 30. Alii vento illo Orientis *Samum* dicto (de quo cf. *Faber* ad Harmarum P. I. p. 65. et *Niebuhr* in Deſcriptione Arab. p. 7.) hanc cladem Aſſyriis illatam ſtatuunt. Mihi quidem neque haec ſententia placet, quoniam non omnia quae ſcriptores citati de hoc vento tradunt, loco et tempori cladis illatae conveniunt, neque altera *Vitringae*, quam verba hiſtorici ſacri

riorum centum et octoginta quinque millia hominum. Poſtridie igitur *reliqui*, en tot cadavera videbant!
37. Tum Sancheribus rex Aſſyriae caſtris motis rediit
Niniven. 38. Ibi cum in aede Niſrochi Dei ſui adoraret, ab Adramelecho et Scharezero filiis ſuis gladio eſt interfectus: Qui cum fuga in Armeniam evaſiſſent, in regno ei ſucceſſit filius Aſſarhaddon.

CA-

cri non videntur admittere. Nam ſi tempeſtas, fulgura et tonitrua tantam in exercitu ſtragem edidiſſent, reliqui non poſtridie demum praeter ſpem et expectationem ſuam vidiſſent, quid factum eſſet, quod tamen verba ultima verſ. 36. haud obſcure innuunt. Quod vero illa loca attinet Cap. XXIX, 6. XXX, 30. minime ea in ſenſu literali ſunt accipienda. Sed imaginem continent poeticam vatibus hebraeis frequenter uſurpatam auxilii Dei potentis et eximii, cujus aliud exemplum inſigne eſt in Pſ. XVIII, 8 ſeqq. Igitur aſſentior illis interpretibus, qui, auctore *Joſepho*, peſtem hujus cladis cauſam exiſtimant. Favet huic ſententiae etiam uſus loquendi, quo eadem imago angeli percuſſoris de peſte adhibetur 2 Sam. XXIV, 16. Neque ſat gravis mihi videtur difficultas a nonnullis mota, quod peſtis non potuerit *una nocte* tot hominum millia ſuſtuliſſe. *Michaelis* quidem utrique dubitationi ſatisfeciſſe videtur (in praefat. ad Sect. II. P. VIII. verſ. germ. p. 30 ſeqq.) commemorandis cauſis et exemplis mortis celerrimae per peſtem illatae. Quodſi etiam exemplum prorſus ſimile ex hiſtoria afferri non poteſt, tamen nemo neget divinam providentiam potuiſſe variis cauſis nobis incognitis uti, ad vim morbi adeo augendam ut una nocte tot hominum millia perirent.

CAPUT XXXVIII

1. Eodem illo anno *a*) lethali morbo correptus eſt Hiskias. Quem convenit Jeſaias Amoſi filius, eique nomine Jovae dixit: Conde teſtamentum, morieris, non convaleſces. 2. Tum Hiskias facie ad parietem converſa Jovam his verbis et per multas lacrimas precatus eſt: 3. Memor ſis, o Deus, vitae tibi actae animo pio et integro; et quantopere tibi tantum placere ſtuduerim. 4. Tum Jova Jeſaiam juſſit, 5. adire Hiskiam eique dicere: Haec fatur Jova Deus Davidis genitoris tui: audivi preces tuas, vidi lacrimas tuas — en addo vitae tuae annos quindecim. 6. Praeterea te a Rege Aſſyriae tuebor, atque hanc urbem defendam et protegam. 7. Et ut certus ſis me praeſtiturum eſſe, quae tibi promiſerim, 8. en ego reducam umbram graduum, quae deſcendit in ſcala *b*) Achaſi

a) Hebr. בַּיָּמִים הָהֵם Eundem clade Sancheribi nobilitatum annum intelligendum eſſe, plane cognoſcitur ex 2 Reg. XVIII, 13. ubi narratur anno quarto decimo regni Hiskiae Sancheribum hanc expeditionem ſuſcepiſſe. Quindecim autem anni addebantur vitae pii regis, qui omnino undetriginta annos regnavit, 2 Reg. XVIII, 2. 2 Paral. XXIX, 1. Ex quo ſequitur eum hoc ipſo quarto decimo anno in morbum hunc lethalem incidiſſe.

b) Vocem מַעֲלוֹת quae in textu hebraeo legitur, non horologium ſignificare, quanquam plurimi interpretes ita

Achaſi cum ſole per decem gradus retrorſum. — — Atque ita rediit (umbra) ſolis per decem gradus in ſcala quibus deſcenderat. — — 9. Morbo hoc feliciter ſuperato, Hiskias ſequens carmen compoſuit: *c*) 10. Dolebam in meridie *d*) dierum meorum, mihi inferorum portas intrandas eſſe, vigore annorum meorum privatus. 11. Non amplius de Deo laetabor, inquiebam, de Deo inter reliquos homines, neque mihi amplius commercium erit cum hominibus, aſſociatus

ita ſentiunt, erudite demonſtravit Excellentiſſimus *Martini* in Commentatione de Solariis Veterum, pag. 35. ſqq. Exiſtimat vero מעלות fuiſſe ſcalam, qua in palatium regium aſcendebatur; in cujus faſtigio columna ſive obeliſcus fuerit adeo artificioſe collocatus, ut umbram in gradus inferiores projiceret, quae partes diei potiores indicaret.

c) Extat in hoc canticum eruditiſſima diſſertatio *Everardi Scheidii*, Theologi Harderwicenſis, recuſa Lugd. Bat. cum acceſſionibus luculentis 1769. Et nuper admodum non minori doctrinae atque eruditionis apparatu in illud commentatus eſt S. R. *Velthuſen* in Symbolis Kilonienſibus P. I. et II.

d) דְמִי eſt *meridies* a דמה ܕܡܐ *aequare, complanari*, quod in ſpecie de ſole meridiano dicitur. Eſt igitur elegans metaphora, qua et Graeci utuntur: *ἐν τῇ μεσημβρίᾳ τοῦ βίου*. — — יֶתֶר *robur*, *vigor*, id quod maxime intenſum eſt.

ciatus vita defunctis *e*). 12. Tentorium meum *f*) transfertur et transportatur ut tentorium paſtoris; vitae meae telam pertexui *g*). A peniculamento me abſcindet, ante noctem tu (o Deus) me abſolvis. 13. Contremiſco *h*) ad tempus matutinum. Tanquam

e) Plerique interpretes verba עִם־יוֹשְׁבֵי חָדֶל intelligunt de hominibus hujus mundi ſive vitae, et connectunt ea cum antecedentibus: *non videbo amplius homines*. Sed ſic, ſi ſingula verba reddere velis, ultima vere ſunt tautologica, quod vitium carmini adeo eleganti et ſublimi nemo tribuerit. Praeterea eſſet contra ſcopum ſacri poetae, ſi vocaſſet homines *incolas aevi fluxi et caduci*, cum doleret ſeſe ex conſuetudine eorum ablatum iri. Igitur melius putem illa verba de hominibus mortuis explicari, quos eleganter poeta vocat *incolas torporis*. Sic quoque diverſi quid dicunt a praecedentibus; modo teneatur primaria ſignificatio praepoſitionis עִם quae eſt conjunctio, aſſociatio, vid. *Scheid* l. c. p. 58.

f) Recte, uti arbitror, S. R. *Veltbuſen* obſervavit, ſignificationem vocabuli דור *aetas*, quam alias habet, non aptam eſſe verbis adjunctis, נסע quod proprie de evulſione clavorum tentorii dicitur, et גלה de translatione violenta. Igitur tribuit ei ſignificationem *tentorii*, quam quidem in lingua hebraea praeter h. l. non habet, ſed in linguis cognatis, Syriaca et Arabica ſaepius.

g) קָפַד ἅπαξ λεγ. in linguis cognatis eſt *praecidere*, *decurtare*.

h) Iterum aſſentior S. R. *Veltbuſen* in explicatione verbi שִׁוִּיתִי

quam a leone ſentio oſſa mea confracta, ante noctem tu (o Deus) me abſolvis. 14. Ut hirundo et luſcinia *i*) pipiebam, gemebam ut columba, oculis lacrimantibus *k*) furſum ſpecto. Pereo, Domine, ſuccurre mihi. — — 15. Quid dicam? *l*) Non ſolum dedit mihi

שִׁוִּיתִי quod ſit *tremere*, quam ſignificationem in lingua Chaldaica habet.

i) עָגוּר non *gruem* eſſe, ſed *luſciniam*, prolixe admodum probavit S. R. *Velthuſen* l. l. allatis omnibus argumentis, quae quidem in quaeſtione difficili (cujusmodi pleraeque ſunt de ſignificatione nominum animalium) in Philologia S. afferri poſſunt.

k) דַּלּוּ non eſt a דלל *attenuari*, ſed a דלה *ſitula aquam e puteo hauſit*, quod ad lacrimantem transfertur. vid. *Schultenſius* ad Prov. XX, 5.

l) In poſterioris partis interpretatione hujus carminis non aeque aſſentior S. R. *Velthuſen*, ac in priori. Exiſtimat nimirum Vir Eruditiſſimus, poetam ſacrum, quanquam Deo grates pro collato beneficio canere vellet, tamen doloris et triſtitiae ſenſum, quem in priori carminis parte tam eleganter depinxerat, nondum depoſuiſſe, ſed in ipſa gratiarum actione queri et dolere de acceſſione illa vitae ſuae facta, magis propter alios, quam propter ſe, ipſi valde optabili. — — Equidem non inficior, diſpoſitionem hanc carminis elegantem eſſe atque optimo quoque poeta non indignam. Sed vereor, ut argumenta philologica, ſine quibus nullam interpretationem recte procedere Vir S. R. veriſſime judicat, (p. 368.) tam gravia

mihi ſuas promiſſiones, verum etiam eas implevit. *Propterea* ego per omnem vitam ad templum ſuum ſolemni pompa *m)* incedam, poſt tantam afflictionem. 16. Domine, his *n) tuis beneficiis* vivitur, atque ea ſolum vitae meae veram vitam dant. Facis ut convaleſcam, et vitam mihi reddis. 17. En! luctus acer-

 biſſi-

via ſint, quibus ſententiam ſuam lectoribus perſuadeat. Mihi quidem, ſervata per omnia lectione textus recepta, videtur ſacer poeta non lamentari, non conqueri, ſed gratias perſolvere laetus, ſuamque in Dei benignitate poſitam fiduciam teſtari. Utra explicatio verior ſit, atque ex verbis textus facilius fluat, alii judicent.

m) Verbum אֶדַּדֵּה intelligo de ſolemni pompa ſive inceſſu ad templum, de quo hoc verbum Pſ. XLII, 5. clare dicitur atque etiam in lingua Chaldaica de inceſſu lento uſurpatur. E verſu primo et viceſimo quoque apparet, id ipſum pio regi ſigno dato eſſe promiſſum.

n) Genus maſculinum et foemininum in עליהם et בהן ex idiotiſmo linguae, ſi junguntur, univerſalitatem et magnitudinem indicant. vid. *Glaſſii* Philol. S. p. 52. edit. novae. Referenda ſunt ad verba עשה et אמר in verſu praecedenti. — — In verbis תַחֲלִימֵנִי וְהַחֲיֵינִי facis ut convaleſcam *et vivam*, infinitivus reſpondet verbo finito, ex hebraiſmo, de quo vid. *Schroederi* Inſtitt. Ling. Hebr. p. 352. et verſionem meam prophetarum minorum Zeph. III, 20. Sic non opus eſt critica emendatione *Hubigantii* et aliorum.

biſſimus eſt mihi in pacem mutatus, o) tuo enim me amore amplexus p) ex fovea mortis extraxiſti, peccatorum meorum non amplius recordaris. 18. Inferi te non laudant, vita defuncti te non celebrant, nec qui ſepulti ſunt, ut quod promiſeris praeſtes, expectant. 19. Ille demum qui vivit te celebrat, uti ego jam facio, et pater ad filium loquetur de tua fide. 20. Jova ſalutis meae auctor eſt, propterea ego eum carminibus meis per omnem vitam in aede ſua celebrabo. — 21. Juſſerat vero Jeſaias q) maſſam ex ficubus praeparatam inflammationi imponi, ſic enim regem eſſe convaliturum. — — 22. Hiskias ſignum quoque poſtulaverat, ex qua cognoſcere poſſet ſe in templo Jovae eſſe appariturum.

CAPUT

o) מַר לִי מָר In his verbis eſt elegans Antanaclaſis. Poſterius מר eſt a מור *convertere*, *mutare*. Aliud exemplum hujus figurae adfuit ſupra Cap. XXX, 16.

p) Verbum חָשַׁקְתָּ accipio in ſignificatione praegnante, quam grammatici dicunt, idiotiſmo linguae hebraeae frequenter uſurpato; cujus indicium eſt ſequens praepoſitio מִן, vid. *Glaſſii* Philol. S. p. 185.

q) Supplet propheta quaedam quae ad hiſtoriam ante narratam pertinent. Pertinet hoc ad *ὑστερολογίας* exempla; de quibus videſis *Glaſſii* Philol. S. p. 670.

CAPUT XXXIX

1. Poſtea Merodach Baladanus, filius Baladani, rex Babylonis, literas et dona miſit ad Hiskiam. Audierat enim eum ex morbo convaluiſſe. 2. Qua de re Hiskias vehementer laetatus eſt, et oſtendit legatis gazophylacium ſuum *a*), argentum et aurnm, aromata et oleum pretioſum, armamentarium et omnino omnia, quae in theſauris ſuis habebat. Nihil erat neque in palatio ſuo, neque in univerſo regno ſuo quod eis non oſtendiſſet. 3. Tum Jeſaias propheta regem convenit et ex eo quaerit, quid ſibi voluiſſent iſti homines et undenam veniſſent? E regione perquam remota, reſpondit Hiskias, venerunt, e Babylone. 4. Tum ille: quid apud te viderunt? Omnia, inquit, quae habeo. Nihil eſt in theſauris meis, quod eis non oſtendiſſem. 5. Ad haec Jeſaias Hiskiae dixit: Audi quod Jova omnipotens tibi dicit: 6. Futurum eſt, ut omnia, quae in palatio tuo reperiantur et quae majores tui hucusque congeſſerint, Babylonem deportentur, nec quidquam relinquatur. 7. De filiis vero tuis et

a) בֵּית נְכֹתֹה Metonymice, ſpecies pro genere, *domus rerum pretioſarum*, h. c. gazophylacium, uti Syrus et Chaldaeus recte explicant. Minus recte Aquila et Symmachus *τὸν οἶκον τῶν ἀρωμάτων αὐτοῦ*, et Vulgatus *cellam aromatum*, nam נְכֹת ſpecies eſt aromatis, nempe *ſtorax* Geneſ. XXXVI, 24. XLIII, 11. LXX vocabulum hebraeum retinuerunt, *τὸν οἶκον τοῦ νεχωθᾶ*.

a te ortis quidam in palatio regis Babylonis aulicis muneribus praeficientur. 8. Ad haec Hiskias Jeſaiae reſpondit: Agnoſco benignitatem Dei, quod meis ſaltem temporibus pacem et fidem promiſerit.

LIBER TERTIUS a)

SECTIO I. CAPUT XL—XLV, 9. b)

1. Solamini, ſolamini meum populum, inquit Deus veſter. 2. Blande alloquimini Hieroſolymam, dicite ei finitam eſſe ſtationem ejus moleſtam c), peccata ejus eſſe

a) Tertia pars vaticiniorum Jeſaiae ſpectat temporis intervallum bene longum, inde a reditu ex captivitate Babylonica usque ad tempora Meſſiae et initia eccleſiae ab eo fundatae. Qua vero ratione divinum vatis noſtri ingenium materiam adeo amplam tractatit, ad ſingulas orationis propheticae partes indicabimus.

b) Siſtit ſibi propheta populum Iſraëliticum in exilio viventem et valde afflictum. Promittit ei finem calamitatis ſuae non adeo longe remotum, et probat promiſſionem ſuam a Dei veracitate et ab ejus omnipotentia, cui nullo modo poſſint comparari idola gentilium arte humana fabricata, omnium rerum et multo magis futurarum ignara.

c) צָבָא dicitur etiam de ſtatione moleſta et laborioſa. Sic de functionibus ſacerdotum Num. IV, 3. 30. 35. 39. Jobus vitam hominis vocat ſtationem moleſtam Cap. VII, 1. XIV, 14. Hoc loco igitur captivitas Babylonica intelligitur.

eſſe expiata, duplo majora poſt eorum poenas a Jova ei tributum iri beneficia. 3. Proclametur in deſerto: Parate viam Jovae, complanate loca inaequalia ad viam aggeratam Deo noſtro. 4. Valles attollantur, montes et colles deprimantur, curva vertantur in recta, et praerupta in plana. 5. Nam Jovae majeſtas revelabitur, omnesque mortales videbunt haec a Jova dicta eſſe. — — 6. Clamatur ad me: loquere. Quid, inquam, loquar? *d*) Omnes mortales gramen eſſe, eorumque decus florem agreſtem. 7. Exareſcit gramen, decidit flos, ſpirante in eos vento divino. Sane hic populus gramen eſt. 8. Exareſcit gramen, decidit flos, dicta vero Dei noſtri in aeternum manebunt immota. — — 9. Altum montem aſcende, praeco Sionis! *e*) attolle potenter vocem tuam, laete nuntie Hieroſolymae! alta voce impavide acclama Judaeae urbibus: en Deus veſter! 10. En Dominus Jova potens venit, virtus ejus ſe exſeret: en mercedem ſecum habet, praemia diſtribuit. 11. Ut paſtor,

 gre-

d) Probat promiſſionem ſuam ab immutabili ate Dei.

e) מְבַשֶּׂרֶת צִיּוֹן *Sion* non eſt in appoſitione cum מבשׂרת ſed in genitivo. Objectum eſt cui laeta ſint annuncianda. Propheta mox idem aliis verbis dicit: *dic urbibus Judae.* מְבַשֶּׂרֶת vero eſt foemininum, quod nomina honorum et dignitatum apud Hebraeos ſunt generis foeminini, ut קֹהֶלֶת.

gregem ſuum paſcet, agnos collectos in brachiis portabit, fovebit in ſinu, lactentes ducet. 12. Quis menſuravit pugno ſuo aquas, *f*) aut coelum ſpithama expendit? aut comprehendit trientali terram? aut ponderavit ſtatera montes et colles bilancibus? 13. Quis mentem Jovae exploravit, aut quis ei fuit a conſiliis? 14. Quemnam conſuluit, ut ipſum inſtrueret, aut doceret quid factu opus eſſet? aut ſcientia erudiret, aut viam intelligentiae monſtraret? 15. En gentes ut gutta ſitulae, ut pulviſculus ſtaterae aeſtimantur, inſulae ut res exigua, quae projicitur. 16. Non Libanus igni, non ejus animalia ſacrificiis ſufficiunt. 17. Omnes gentes pro nihilo habendae, immo minus nihilo et re prorſus inani aeſtimandae, ſi cum eo comparentur. — — 18. Cuinam igitur Deum aſſimilabitis? quamnam ejus imaginem fingetis? 19. Artifex fundit ſimulacrum et aurifaber laminis aureis illud obducit. Fundit etiam catenulas argenteas. 20. Sed qui parcior eſt in ſacris ſuis, lignum eligit, quod non putreſcit, quaeritque ſibi peritum artificem, qui formet ei ſimulacrum immobile. 21. An non cognoviſtis? an non audiviſtis? an non jam pridem vobis indicatum eſt? an ignoratis terrae origines? 22. Eum qui terrae circulo inſidet?

f) Demonſtratio potentiae divinae ex creatione et conſervatione totius univerſi 12 — 18. ex qua ſtultitia idololatrarum oſtenditur — 27. quae deinde transfert propheta ad conſolandos Iſraëlitas, usque ad finem Cap.

ſidet? cujus incolae locuſtis ſimiles ſunt. Qui coelum ut aulaeum expandit, et extendit ut tentorium habitandum. 23. Qui principes ad nihilum redigit, et terrae dominos proſternit. 24. Vix enim plantati, vix ſati ſunt, vix truncus eorum in terra radices egit: ſufflat in eos et exareſcunt; turbo eos tanquam ſtipulam aufert. 25. Cuinam igitur me, ut ſimilem, comparabitis? inquit Deus. 26. Tollite in ſublime oculos veſtros et videte, quis iſta creavit? quis produxit agmen illud numeroſum? omnia nominatim novit: et pro virium ſuarum multitudine roborisque potentia nullum deeſt *ſuo officio*. — — 27. Cur igitur Jacobitae exiſtimant, cur Iſraëlitae dolent, Jovam ignorare quid agant, neque curare quid eis eveniat? 28. An non noſtis, an non audiviſtis, Jovam Deum eſſe aeternum, creatorem totius terrarum orbis, qui non laſſetur, non defatigetur, cujus intellectus ſit imperveſtigabilis, 29. qui feſſos roboret, et viribus deſtitutos validos reddat. 30. Pueri fatigentur et delaſſentur, juvenes ſubinde offendant. 31. Sed qui Jovae confidunt, vires recipient, creſcent *eis* pennae ut aquilis; non laſſati current, non fatigati ibunt. CAPUT XLI. *a*) 1. Attente

a) Continuatur diſputatio adverſus gentiles pro aſſerenda Deo Iſraëlis divinitate ex praedictione adventus herois cujusdam victoriis inſignis. Qui nullus alius eſt, uti mihi videtur, quam Cyrus. Loca parallela Cap. XLV, 1—13. XLVI,

tente me audiant regiones exterae, atque nationes bene praeparatae accedant et loquantur. Conveniamus ad cauſam *noſtram* diſceptandam. 2. Quis excitat ab Oriente eum qui juſtitiam ubique ſibi comitem facit? quis ei tradit gentes, et reges ejus imperio ſubjicit? quis gladium ejus facit veluti pulverem *a vento* abreptum, veluti ſtipulam propulſam arcum ejus? 3. Eos perſequens ultra progreditur incolumis, in via qua antea nunquam inceſſit. 4. Quis haec parat et inſtruit? Is qui vocat generationes a principio. Ego Jova primus idemque ultimus. — — 5. Vident hoc inſulae et timent, fines terrae contremiſcunt, coëunt, conveniunt. 6. Alter alterum adjuvat, alter alterum monet, ut bono animo ſit. 7. Faber lignarius excitat aurifabrum qui laevigat malleo, eum qui incudem tundit. Dicit de ferrumine: bonum eſt, firmatque illud (idolum) clavis ne dimoveatur. — — 8. Tu vero o Iſraël mi ſerve, Jacobe dilecte, poſteri Abrahami cultoris mei. 9. Qui te extremis terris et remotiſſimis evocatum confortavi, *b*) tibique promiſi me indeſinenter tui eſſe curam geſturum: 10. Noli timere,

XLVI, 11. hoc plane evincunt. — Quae deinde iterum transferuntur ad conſolandos Iſraëlitas exules, eisque feliciſſimus reditus duce Deo illo Iſraëlitarum numine promittitur 1—20.

b) Evocatio Abrahami et familiae ejus ex Chaldaea et promiſſiones ei et poſteris ejus datae.

re, tibi enim adſum. Noli terreri, ego enim Deus tuus ſum, te confortatum adjuvo et benevole ſuſtento dextra mea. 11. Pudore et ignominia afficientur omnes tibi infeſti, in nihilum redacti peribunt adverſarii tui. 12. Mox non erunt, ſi quaerantur, qui tecum contendunt; non exiſtent amplius, abolebuntur qui tibi bellum inferunt. 13. Ego Jova Deus tuus te dextra prehendo, omnemque deponere metum jubeo, me tibi auxilio eſſe futurum. 14. Abjice omnem metum, o humilis Jacobe, exigue Iſraël, ego te adjuvo, inquit Jova et redemtor tuus tibi colendus. 15. En te ſimilem faciam tribulae acuminatae, novae, dentibus inſtructae acutis: Montes triturabis, colles comminues *c*), ut paleam 16. eos ventilabis a vento auferendos, a turbine diſpergendos. Tu vero de Jova exultabis, de Iſraëlitarum numine gloriaberis. — — 17. Afflictos et pauperes aquam quaerentes lingua praetorrida ego Jova exaudiam, ego Iſraëlitarum Deus eos non derelinquam. 18. Aperiam in clivis flumina et in vallibus fontes, mutabo deſerta in ſtagna, terramque ſiticuloſam in aquarum ſcaturigines. 19. Faciam ut in deſerto ſuccreſcant cedri, acaciae, mirti, oleae; in locis campeſtribus vero provenient abietes, pini, cupreſſi. 20. Ut videatis et intelligatis atque ad hoc attendentes plane convincamini, me pro meà potentia

c) Hoſtes tuos magnos et potentes aggredieris et vinces. Innuit tempora Maccabaeorum.

tentia hoc feciſſe atque ut Iſraëlitarum numen iſta praeſtitiſſe: — — 21. Afferte cauſam veſtram, inquit Jova; allegate argumenta veſtra, ait rex Jacobitarum *d*). 22. Accedite, annunciate nobis fortuita, quae prius futura ſint indicate, diligenter attendemus, ut et poſterius futura intelligamus, aut promulgate longe poſt eventura. 23. Annunciate quae in poſterum exiſtent. Ita enim intelligemus vos Deos eſſe. Benefacite aut malefacite, una erimus ſpectatores. — — 24. Sed vos eſtis minus nihilo, et quod facitis, minus quam nauci. * Non niſi perditiſſimus vos magni faciet. 25. Excito a ſeptentrione, venit ex oriente *e*) qui me agnoſcat. Venit et principes ut lutum calcabit, ut figulus argillam conculcare ſolet. 26. Quis (veſtrum) hoc olim jam annunciavit, temporibus praeteritis, et vera eum tradidiſſe fatebimur. Sed nemo hoc fecit, nemo aliquid indicavit, immo ne verbulum quidem ex vobis quisquam audivit. 27. Primus ego Sioni futura praenuncio, et Hieroſolymam mitto praeconem.

d) Redit ad diſputationem cum idololatris, et provocat eorum deos ut divinitatem ſuam rerum futurarum praedictione probent, quomodo Deus Iſraëlitarum hoc Sione et Hieroſolymae fecerit.

e) Cyrus, cf. XLV, 13, ex Media, quae Palaeſtinae eſt ab Oriente, profectus eſt verſus Babylonem, cujus ſitus fuit ſeptentrionalis.

conem *f*). 28. Circumſpicio et nemo adeſt: Nemo iſtorum adeſt, qui conſilium det aut quos ego conſulam ut reſpondere poſſint. 29. En omnes vani ſunt, et quod praeſtant, nihili. Ventus, inania ſunt fuſa eorum ſimulacra. CAPUT XLII, 1. En ſervum meum! *a*) quem

f) Jeſaiam, cujus eximia ſunt de Cyro vaticinia. cf. Cap. XL, 9.

a) Sub ſervo illo Dei, qui tantis in hoc loco elogiis ornatur, alii interpretes Cyrum, alii Jeſaiam, alii Meſſiam intelligunt. Equidem duas poſteriores explicationes conjungo, atque ita ſentio de h. l. ſimilibusque. Totus contextus docet in ſenſu literali locum agere de ipſo propheta. Verſu 27 praecedentis Capitis Deus dixerat ſeſe mittere Hieroſolymam laetum nuncium. Initium hujus Capitis manifeſte reſpicit illa verba, deſcribit enim illum nuncium a dignitate ſua, ut amicum et legatum Dei, a praeſtantia, cum ipſius, tum rerum annunciandarum, atque inde a verſu 14 clare tantum de reditu ex captivitate Babylonica ſermo eſt, qui locus a praecedenti nullo modo poteſt ſeparari. Neque ea quae de ſervo illo Dei dicuntur, nimis magna ſunt, quam ut in Jeſaiam nullo modo quadrent, v. c. calamum quaſſatum non frangere, non extinguere linum fumigans, coecorum oculos aperire, ex ergaſtulo educere vinctos: Haec enim atque ſimilia eodem ſenſu de Jeſaia dicuntur, quo de Jeremia Cap. I, 10. eum regna deſtructurum eſſe et everſurum; aut quo omnino prophetae Dei dicuntur Hoſ. VI, 5. homines caedere et interficere, nempe annunciando et declarando volun-

quem ſuſtento, mihi carum, quo delector, qui ſpiritu meo

voluntatem divinam. Atque haud ſcio an interpretes aliter de noſtro loco ac de illis judicaſſent, niſi propter allegationem h. l. Matth. XII, 17. putaſſent eum aliam non admittere explicationem. Recte quidem. Concedo Matthaeum locum noſtrum non per *accommodationem* citaſſe, ſed explicaſſe eum de Meſſia. Nam formula, qua eum citavit, eſt *argumentantis*: Jeſus ſanabat omnes aegrotos, neque volebat ut aliis innoteſceret, ὅπως πληρωθῇ τὸ ῥηθὲν διὰ Ἡσαΐου κ. λ. In argumentatione enim ſcriptorum ſacrorum equidem non putem concedi poſſe *accommodationem*; ſed in aliis formulis citandi, quae non ſunt argumentativae, v. c. Matth. II, 17. τότε ἐπληρώθη τὸ ῥηθὲν, h. e. de eo valet ſ. dici poteſt id quod ſcriptum eſt etc. et ſimilibus utique accommodatio admitti poteſt, ſalva Scripturae S. auctoritate. — Sed nihilo minus poteſt locus in ſenſu literali de Jeſaia explicari. Nimirum de his ſimilibusque locis idem ſentio, quod de Pſalmis quibusdam interpretes nonnulli aſſerunt: ſcriptores divinos ſaepe de ſe vel de aliis ſuorum temporum hominibus aut rebus locutos eſſe, ſed Spiritum S. verba eorum ita direxiſſe, ut ſimul alias perſonas aut res innuerent remotiorum temporum Nov. Teſt. in quibus quoque illa melius et accuratius et in omni ſenſu ſuo implerentur. (vid. *Erneſti* Narratio critica de interpretatione prophetiarum Meſſianarum in Eccleſia Chriſtiana, in Opuſculis Theol. p. 493.) Atque hoc inprimis ſtatuendum eſſe exiſtimo de beneficio illo eccleſiae Judaicae exhibito per eductionem ex captivitate Babylonica; quam umbram fuiſſe dixerim

meo inſtructus veram religionem gentibus annunciabit. 2. Non clamore a.t ſtrepitu aget, aut voce ſublata foris clamabit. 3. Calamum quaſſatum non franget,

xerim liberationis longe majoris et praeſtantioris toti humano generi praeſtitae per dominum noſtrum Jeſum Chriſtum. Quam cum propheta noſter ſemper quoties de illa loquebatur ſpiritu prophetico ſimul contemplaretur, verba ſua ita compoſuit, ut omnem eorum vim in hac demum nos Chriſtiani impletam eſſe videamus. Sed propterea exiſtimandum non eſt ad Judaeos nihil omnino pertinuiſſe hos prophetae ſermones. Utique loquebatur Jeſaias cum popularibus ſuis, et volebat quoque ut hi promiſſiones ſibi factas exiſtimarent in reditu ex captivitate babylonica ſuum implementum habituras. Sed oſtendit ſine dubio quoque praeſtantiorem adhuc liberationem, non eis ſolum, ſed omnibus etiam gentibus ſalutarem in Meſſia eſſe expectandam. Is vero ſenſus, ſive myſticum, ſive allegoricum eum vocemus, non inferior habendus eſt ſenſu literali (quod ſentire videntur hi, qui omnia haec loca tantum de temporibus N. T. explicanda dicunt nullo reſpectu ad Judaeos habito). Etenim Deus beneficia per Chriſtum praeſtanda non minus voluit indicari, quam beneficia Judaeis exhibenda in reditu ex captivitate Babylonica et ſequentibus temporibus. Dum vero oeconomiam illam cum populo ſuo imaginem eſſe voluit oeconomiae futurorum temporum Nov. Teſt., fieri non potuit, quin de utraque ſimul per prophetas ſuos loqueretur. Quorum ſermones igitur ad nos non minus

 per-

get, nec linum fumigans extinguet *b*), religionis veritatem plane demonſtrabit. 4. Non defervescet ejus ſtudium, neque nimium properabit usque dum doctrinae ſuae fundamenta bene jecerit, atque gentibus ſua inſtituta perſuaſerit. 5. Haec dicit Deus Jova, qui coelum creavit et extendit, qui terram cum progenie ſua expandit, qui animam viventem indidit populis, ſpiritumque eam incolentibus. 6. Ego te pro benignitate *mea* vocavi, teque manu prehenſum cuſtodiam. Volo ut per te populus promiſſionum foederalium certior fiat, ut felicitatem gentibus annuncies. 7. Ut coecorum oculos aperias *c*), ut ex ergaſtulo educas vinctos, e carcere, ſedentes in tenebris. 8. Jova eſt meum nomen, majeſtatem meam nulli concedam, nec reverentiam mihi debitam ſculptis imaginibus. 9. Quae olim praedixi, evenerunt *d*), jam nova annuncio, antequam oriantur de iis loquor. — —

10.

pertinere debemus exiſtimare, quam Judaei ſibi eos dictos ſciebant.

b) Afflictis non addet afflictionem. Iſraëlitas intelligit exules, quibus reditum in patriam annunciabat.

c) Alio tropo utitur, quam verſ. 3. Iſraëlitis luce inſtar coecorum privatis in obſcuros carceres conjectis libertatem annunciabis.

d) Innuere videtur exitum ex Aegypto, quem diu ante Deus Abrahamo praedixerat, et qui aliquoties ab Jeſaia cum liberatione ex captivitate babylonica comparatur.

10. Canite Jovae canticum novum, laudem ejus in extremis regionibus, qui ſe mari committunt, aut in eo vivunt, regiones exterae cum ſuis habitatoribus. 11. Alta voce clament deſertum cum ſuis urbibus et vici Kedarenorum, jubilent petrae incolae ex montium cacuminibus vociferantes. 12. Exhibeant Jovae honorem debitum, laudes ejus exteris annuncient. 13. Jova ut heros procedit, ut fortis bellator ad ultionem provocatus, clamat, vociferatur, contra hoſtes ſuos virtute ſe munit. — — 14. Diu jam eſt quod ſilui et tacitus me continui, inſtar parturientis ſuſpiravi *e*), ſpiritum anhelans traxi. 15. *Jam vero* vaſtabo montes et colles, arefaciam eorum gramina, flumina reddam arida *f*) et paludes exſiccabo. 16. Ducam coecos in via eis ignota; agam eos in via regia ipſis incognita; mutabo tenebras ante eos in lucem, et tortuoſa

e) Secutus ſum in verſione S. R. *Doederlein*, qui verbo פעה ἅπαξ λεγομ. quod vulgo per *clamare* explicatur, negat hanc ſignificationem, quod puerperae non licet *clamare*, ſed ſpiritum potius continere et leniter tantum ſuſpirare. Quae explicatio ſequenti verſui huic oppoſito convenientiſſima eſt, et ſenſus comparationis hic: Calamitates Judaeorum ſenſi quidem, ſed usque ad hoc tempus toleravi.

f) Pro איים *Hubigantius* conjectavit legendum eſſe ציים quam conjecturam probarunt *Lowthus*, *Doederlein*, *Michaelis* (in Appendice ad P. XIV. Biblioth. Or. p. 137.) contextui utique aptiſſimam.

tuoſa in plana. Haec quae illis promiſi praeſtabo, nec eos deſeram. 17. Retroacti pudore ſuffunduntur qui ſculptis imaginibus confidunt, qui fuſa ſimulacra ut deos laudant. 18. O ſurdi audite! o coeci diligenter videte. 19. Quis magis coecus eſt quam ſervus meus? *g*) et ſurdus, quam cui legatum meum mitto? quis magis coecus eſt, quam qui veram religionem profitetur, et ſurdus quam ſervus Jovae? 20. Cum claram lucem haberes, non attendiſti, cum aures paterent, non audiviſti. * 21. Jova pro ſua benignitate eum dignatus eſt legibus ornare et illuſtrem reddere. 22. At enim vero populus eſt direptus et exhauſtus, juvenes laqueis conſtricti abſconduntur in carceribus.

Prae-

g) Plerique interpretes *coecitatem* et *ſurditatem*, quam propheta Judaeis tribuit, volunt eſſe ſpiritualem, uti loquuntur, h. e. impietatem, inobedientiam erga legem Dei. Sed contextus non favet huic explicationi. Siſtit ſibi propheta Judaeos in exilio viventes preſſos et afflictos ab hoſtibus ſuis. Jam verſſ. 7 et 16 eos vocarat *coecos* in lucem educendos et Cap. XLIII, 8. eodem tropo utitur. Igitur aſſentior S. R. *Doederlein*, qui hanc *ſurditatem* et *coecitatem* politicam potius dicendam putat, afflictum nempe eorum ſtatum in captivitate: atque prophetam occurrere objectioni, cur Deus permiſerit cultores ſuos ſurdos et coecos h. e. miſeros et captivos eſſe? eamque ſic removere ut neget illud inſcio Deo factum eſſe, cauſas eum habuiſſe juſtiſſimas, populum nempe noluiſſe obtemperare v. 29. et ut promittat liberationem; Cap. ſeq.

Praedae ſunt, nemine defendente, direptioni, nemine repoſcente. 23. Quis eſt veſtrum quin dum haec audit et res praeteritas attentius conſiderat, *quaerat:* 24. Quis Jacobitas et Iſraëlitas diripiendos et praedandos tradidit? Nonne Jova, in quem peccarunt? * cujus voluntati noluerunt obtemperare, neque obſervare ejus legem? 25. Propterea iram ſuam in eos effudit, bellique vehementia undequaque conſumi paſſus eſt, nec videtur hoc curare. Iraſcitur eis, nec videtur *his eorum malis* moveri. CAPUT XLIII, 1. Jam vero haec dicit Jova; qui te creavit, o Jacob! et qui te formavit, o Iſraël. Noli timere, nam te redimam. Tui curam geram, meus es. 2. Quando aquas tranſibis, tibi adero, nec flumina te inundabunt; quando ignem pervades, non adureris, nec flamma te abſumet. 3. Ego ſum Jova Deus tuus, Iſraëlis numen, tui ſervator, dabo Aegyptios tui piaculum, Aethiopes et Sabaeos pro te tradam *a*). 4. Etenim quoniam carus mihi es et in pretio habitus, et a me adamatus, gentes pro te tradam et nationes pro tua vita. 5. Noli timere, nam tibi adſum. Ab oriente adducam tuam progeniem et ab occidente tuos colligam. 6. Dicam ſeptentrioni, redde, et meridiei, ne retineas. Prodeant ex remotis locis filii mei, meaeque filiae ex extremis regionibus. 7. Omnes qui no-

a) Cyro nempe, quaſi in redemtionem populi Judaici, has gentes tradere promittit. cf. Cap. XLV, 14.

men meum gerunt, quos in mei honorem creavi, formavi et diligenter effinxi. 8. Prodeat populus coecus, ut videat, et ſurdi, ut audiant. *b*) — — 9. Congregentur omnes populi, conveniant nationes. Quinam ex his hoc poteſt annunciare; aut priora nobis indicent atque exhibeant teſtes ſuos et declarentur eſſe veraces; ut audiant *nos* et fateantur, vera eſſe *quae diximus*. 10. Vos teſtes mei eſtis, inquit Jova, et ſervus meus quem elegi, ut cognoſcatis mihique fidem habeatis, atque ut intelligatis, me Deum eſſe; ante me Deum non extitiſſe, neque poſt futurum. 11. Ego, ego ſum Jova, nec eſt praeter me ſervator. 12. Ego indico me ſervaturum eſſe, idque declaro. Quod non facere poteſt alius Deus apud vos. Vos vero teſtes mei eſtis, inquit Jova, me Deum eſſe. 13. Inde a quo tempus eſſe incepit, ego idem fui. Nemo eſt qui e manu mea eripere poſſit. Si quid facio, quis impedire illud poteſt? 14. Haec dicit Jova redemtor veſter, numen Iſraëlitarum: veſtra cauſa mittam Babylonem, et dejiciam omnia repagula, Chaldaeos quoque in navibus *olim* jubilantes *c*) — — 15. Ego Jova

b) Cf. not. *g*) Cap. XLII.

c) Sic verto jam locum difficilem. *Lowthus* quidem ad h. l. ſatis probaſſe videtur, Babylonios ante expugnationem urbis per Cyrum navigatione mercaturam exercuiſſe. — Sed in priori libri editione כריחים derivabam, ut multi alii, a ברח *fugit*, quod repetebam ad באניות *efficiam*

va numen veſtrum, Iſraëlitarum conditor, rex veſter.
16. Ita dicit Jova qui in mari viam ſtravit, in aquis
validis viam regiam, 17. qui currus et equos eductos
et exercitum validum ita dejecit, ut ſurgere non poſ-
ſent. Tanquam ellychnium extincti ſunt et oppreſſi *d*).
18. Sed ne recordamini priorum, et antiqua ne nimis
ſtudioſe conſiderate. 19. En nova facio, mox orie-
tur, vos ipſi hoc cognoſcetis. Nimirum in deſerto viam
parabo, in ſolitudine flumina *e*). 20. Me honorabunt
ferae agreſtes, dracones et ſtruthiones. Aquam eli-
ciam in deſerto, flumina in locis vaſtis, unde bibat
populus meus dilectus. 21. Hic populus a me forma-
tus laudes meas enarrabit. — — 22. Neque tamen
tu me *propterea invocaſti*, Jacobe, neque mea cauſa
laboraſti, o Iſraël *f*). 23. Non mihi obtuliſti pecu-
dem holocauſtorum tuorum, neque me ſacrificiis ho-
noraſti. Non te fatigavi oblationibus, nec thure *mihi*
offerendo moleſtus fui. 24. Non comparaſti mihi argen-

 to

giam ut omnes fuga, etiam Chaldaei, ſalutem quaerant in navibus laeto clamore antea reſonantibus. At enim vero Euphrate a Cyro derivato atque urbe per vada fluminis perrupta naves Chaldaeis uſui eſſe non potuerunt.

d) Comparatur exitus ex Aegypto cum liberatione ex captivitate babylonica, atque hanc illo illuſtriorem futuram eſſe dicitur.

e) Terram judaicam vaſtatam reſtaurabo.

f) Gratuitum Dei beneficium illam liberationem eſſe probatur.

to calamum odoriferum, nec me adipe victimarum tuarum perfudiſti. Immo potius me fatigaſti peccatis tuis, mihi tua iniquitate fuiſti moleſtus. 25. Ego vero, ego tantum mea cauſa deleo tua peccata, nec delictorum tuorum recordor. 26. Fac ut mihi redeant in memoriam *merita tua*, una diſceptemus, expone quaeſo, ut juſtum te eſſe probes. 27. Pater tuus primus peccavit, deinde interpretes tui *ſacerdotes* a me defecerunt. 28. Hinc ſacrarii principes reprobavi, Jacobum devotioni, Iſraëlem contumeliis addixi.

CAPUT XLIV, 1. Attamen audi, mi Jacobe, Iſraël quem diligo. 2. Haec dicit Jova, tuus auctor et conditor, qui te a nativitate adjuvit: Ne metuas Jacobe, Jeſchurun quem diligo *a*). 3. Effundam aquas in loca arida, et rivos in ſiticuloſa. Spiritum meum largiar poſteris tuis, meamque benedictionem ex te ortis. 4. Germinabunt ut gramen, ut ſalices ad aquarum rivos. 5. Alius ſe Jovae eſſe dicet, alius ſe Jacobitam profitebitur, alius ſcripto ſe Jovae obligabit et Iſraëlita vocari volet. — — 6. Haec dicit Jova rex Iſraëlis ejusque redemtor, Jova omnipotens: Ego primus ſum

a) In verſibus quinque prioribus propheta deſcribit felicitatem illorum temporum, inprimis ex gentibus multos ad religionem Judaicam eſſe acceſſuros v. 5. Hinc denuo ex omniſcientia Dei demonſtrat tum ſtultitiam idololatriae, tum praeſtantiam cognitionis unius Dei — verſ. 21.

ſum idemque ultimus, et praeter me non eſt Deus. 7. Quis ſicuti ego clare poteſt iſta indicare, aut ſigillatim ſ. ex ordine omnia exponere, quae ſpectant populum ex voluntate mea in aeternum duraturum? aut proxime ventura aut longe poſt futura annuncient. 8. Nolite timere aut conſternari. Nonne jam pridem hoc praedixi et annunciavi? Vos teſtes mei eſtis. Num eſt Deus praeter me? Num eſt creator? novi nullum. 9. Idolorum fabricatores omnes vani ſunt, et quibus tantopere delectantur ea nihil profunt. Habent et iſta quidem ſuos teſtes, ſed nihil vident, nihil intelligunt, igitur ſpes eorum eos fallet. 10. Sed quis format Deum, aut fundit idolum quod non proſit? 11. En vero omnes eis addicti ſpe ſua excidunt. Artifices, homines ſunt. Coeant omnes et religioſe venerentur *b*) idola, omnes ſpes eorum fallet. — — 12. Faber ferrarius fabricatur ſecuri et operatur in prunis, adhibitis malleis: et ſic format et efficit illud (idolum) brachii ſui robore, famem et ſitim ad defatigationem usque perpeſſus. 13. Faber lignarius extendit lineam menſoriam, formam ejus deſcribit minio, parat illud aſciis, dat ei figuram circino, tandemque perficit ad effigiem hominis venuſti, ut in aede maneat. 14. Caedit

b) עָמַד et פָּחַד h. l. de cultu religioſo explico, de quo utrumque verbum dicitur, עמד Jer. XVIII, 20. 2 Chron. XX, 13. Hoſ. X, 9. פחד per Metonymiam objecti Geneſ. XXXI, 42. 53.

dit *c*) cedrum aut ilicem *d*) aut quercum adhibet prae reliquis arboribus robuſtiorem. Plantat Oren *e*) quae ex pluvia increſcat. 15. Atque aliam quidem ejus partem comburit, aliam igni adhibet in quo incaleſcat, aliam ad quam panes coquat, aliam tandem ad deum effingendum, quem veneretur, ad ſimulacrum formandum, quod adoret. 16. Partem ejus igne combuſſit, partem carnibus coquendis aut aſſandis adhibuit, quibus veſceretur, et famem ſuam expleret. Incaluit quoque ex eo, euge, inquit, concalui ignem adeptus. 17. Ex reliquiis tandem ejus Dei ſimulacrum ſibi facit, quod adoret, quod veneretur, coram quo precetur, a quo ut Deo ſuo defenſionem expectet. 18. Nihil vident, nihil intelligunt. Habent enim oculos illitos, quo minus videre aut mente aliquid percipere poſſint. 19. Nonne enim ita apud ſe cogitare deberent aut ratiocinari: partem ejus igne combuſſi, aut ejus carbonibus panem coxi, aut carni aſſandae adhibui, qua veſcerer, et ex reliqua ejus parte nefarium facerem ſimulacrum, truncum ego adorarem? 20. En cinerem! Sed animus deluſus eum ad errorem ita inclinat, ut nec ſaluti ſuae proſpiciat, nec ſuſpicetur ſe forſan in

c) Infinitivus לִכְרֹת reſpondet verbis finitis ex idiotiſmo linguae, de quo dictum eſt ad Cap. XXXVIII; 16.

d) De תִּרְזָה vid. *Celſius* in Hierobot. P. II. p. 269.

e) De אֹרֶן idem *Celſius* l. c. P. I. p. 185.

in errore verſari. — — 21. Horum recordare Jacobe, et Iſraël, nam meus es. Ego te ita inſtruxi, ut me coleres, Iſraël, ne mei obliviſcaris. 22. Aufero ut nubem peccata tua, ut nebulam tua delicta. Redi ad me, nam ego te redimo. — — 23. Jubila coelum! nam Jova perfecit, exclama terra! erumpite in clamorem, montes, ſylvae, omnesque arbores. Redemit Jova Jacobum et in Iſraële decus ſibi acquiſivit. 24. Haec dicit Jova, tuus redemtor et conditor inde a prima origine. Ego Jova totius univerſi creator, qui coelum ſolus extendo, terramque mea virtute expando. 25. Inania reddam ſigna iſtorum impoſtorum, et hariolos iſtos infatuabo. Retro agam ſapientes, eorumque ſcientiam ſtultam efficiam. 26. Praeſtabo dicta ſervi mei, meorumque legatorum effata perficiam. Jubebo ut Hieroſolyma reſtituatur, ut Judaeae urbes iterum aedificentur, ut vaſtata ejus loca inſtaurentur. 27. Jubebo ut aquarum gurgites exareſcant, ut tua (o Babylon) flumina exſiccentur. 28. Regem excitabo, Cyrum, qui omnia mea decreta exequetur. Nimirum ille jubebit, ut Hieroſolyma reſtauretur et templi nova jaciantur fundamenta. CAPUT XLV, 1. Sic ego Jova compello Cyrum a me *his rebus* deſtinatum, quem ego viribus inſtruam, ut gentes ſibi ſubjiciat; Reges ad adventum ejus infirmos reddam, aperiam ei clauſtra, et portae patebunt. 2. Ego te praecedam et montes complanabo, frangam portas aeneas, et ferrea

rea repagula exſcindam. 3. Tradam tibi theſauros abſconditos et opes latentes, ex quo poteris intelligere, me Jovam eſſe, Deum Iſraëlitarum, qui tui curam gerat ſingularem. 4. Propter Jacobitas meos et Iſraëlitas a me adamatos ita tibi providebo, quanquam me non noſti. 5. Ego Jova ſum, nec eſt alius, praeter me non eſt Deus. Ego te *his rebus exequendis* aptum reddam, quamquam qui ſim ignoras. 6. Ut ab ortu ſolis ad occaſum usque cognoſcatur, praeter me non eſſe Deum, me Jovam eſſe, non alium. 7. Qui lucem producat, et tenebras creet, qui bona efficiat et mala inducat, me Jovam horum omnium eſſe auctorem. — — 8. Deſtilla coelum! deſuper, et nubes fluant large. Aperiat ſe terra, large proveniat ſalus et una cum juſtitia germinet. Ego Jova eum excitavi *a*) — —.

SECTIO II. CAPUT XLV, 9—25. *b*)

9. Vae qui contendit cum fictore ſuo! teſta cum figulo!

a) Felix Cyri imperium. Affixum in בְּרָאתִיו etiam ad Cyrum referendum puto, non ad omnes omnino promiſſiones praecedentes, quoniam eſt maſculini generis, non foeminini loco neutrius.

b) Reprehendit propheta, uti videtur, profanos quosdam ſuae aetatis homines, qui aegre ferebant haec ejus vaticinia de exilio futuro et liberatione ex eo per Cyrum regem

lo! * Num dicet argilla fictori ſuo, quid facis? an opus tuum *negabit* tibi in ſe poteſtatem competere? 10. Vae qui reprehendit patrem quod genuerit, aut matrem quod pepererit. 11. Haec dicit Jova numen Iſraëlitarum eorumque conditor: de futuris me interrogant *c*). Num de filiis meis et opere manuum mearum mihi praecipietis? 12. Ego terram condidi, hominesque creavi. Ego pro potentia mea coelum extendi et aſtris ejus omnibus leges praeſcripſi. 13. Ego pro benignitate *mea* eum excitabo, omnesque ejus vias complanabo. Is urbem meam reſtaurabit, meosque captivos dimittet nullo pretio aut munere ſoluto, inquit Jova omnipotens. — — 14. Haec dicit Jova: Aegyptiorum opes, Aethiopum lucrum, Sabaei, homines inſignis ſtaturae ad te venient, tibi erunt addicti, te catenis vincti ſequentur, te ſupplices orabunt

regem gentilem expectanda. Oſtendit propheta, quam indignae ſint iſtae querelae; non decere hominem cum creatore ſuo expoſtulare de modo et ratione, qua cum eo agere debeat, Deum pro ſummo ſuo in omnes res a ſe creatas arbitrio certo praeſtiturum eſſe ea, quae praedixerit. Ex qua praedictione propheta iterum facta digreſſione contra idololatras probat divinitatem Dei Iſraëlitarum 20 — 25.

c) Scilicet homines iſti contra quos propheta diſputat. Sed malo animo interrogabant, quod reſponſio prophetae doceet; ut nempe haberent quod reprehendere poſſent.

bunt *d*)! Profecto Deus tibi adeſt, inquient, praeter quem alius Deus non eſt. — — 15. Profecto Deus es occultus, Deus Iſraëlitarum ſervator *e*). 16. Pudore et ignominia ſuffundentur omnes, pudefacti incedent omnes imaginum fabricatores. 17. Iſraëlitae vero a Jova ſervati ſalute aeterna non pudefient, nullo unquam tempore ſpe ſua excident. — — 18. Haec dicit Jova coeli creator, Deus ille terrae conditor, qui eam artificioſe fecit atque aptavit, qui eam non vacuam eſſe voluit, ſed ad habitandum formavit. Ego Jova ſum, et nullus alius. 19. Non occulte locutus ſum, non in loco caliginoſo, non juſſi ut me Jacobi poſteri in locis obſcuris conſulerent *f*). Ego Jova vera loquor et quae certa ſunt annuncio. 20. Congregamini, coite, accedite omnes qui e gentibus evaſiſtis *g*)! Stupidi ſunt qui lignea ſimulacra geſtant, atque

d) Non de ſubjectione civili haec ſunt intelligenda, neque ad Cyrum dicta, uti Grotio videtur, ſed de Proſelytis, qui ex compluribus regionibus venturi eſſent ad venerandum Deum Iſraëlis, ad munera ei offerenda, ad praedicandam Iſraëlitarum felicitatem, qui hunc Deum adorarent.

e) Epiphonema prophetae admirantis benignitatem divinam.

f) Gentilium oracula ex antris et ſpeluncis edebantur, et qui ea conſulebant, eis loca ejusmodi caliginoſa erant adeunda.

g) Vel Judaei, vel Proſelyti. Illud praefero.

que adorant, Deos, qui ſervare non poſſunt. 21. Accedite, indicate, immo conſultate invicem, quis hoc olim annunciavit aut praedixit? Nonne ego Jova, praeter quem Deus non eſt, Deus verus et ſervator. 22. Ad me reſpicite et ſalvi eritis omnes nationes! Ego ſum Deus, et nullus alius. 23. Per me juro, verum dico non revocandum *h*). Mihi omnes genua flectent: me omnes profitebuntur. 24. Jova *i*), de me dicent, verus et ſummus Deus eſt, hunc adite. Pudore ſuffundentur omnes ejus adverſarii. 25. De Jova vero votorum ſuorum compotes gloriabuntur omnes Iſraëlitae.

SECTIO

h) Manifeſte hic locus de propagatione Judaicae religionis inter gentes agit, quem recte quoque ad religionem Chriſti transfert Paullus ad Rom. XIV, 11.

i) Beth ante בַּיהוָה nominativo praemiſſum, eſt ſic dictum Beth eſſentiae (Glaſſius p. 586). צדקה et עֹז recte a S. R. *Doederlein* explicata ſunt. צדקה h. l. non eſt forenſis illa juſtitia ſeu *veritas* Dei, ut verſ. 21. *Deus verus*, et עֹז non eſt *robur ſpirituale*, quod Deus conferat piis, ſed *majeſtas Dei*, ut David dicit Deo tribuendum eſſe כָּבוֹד וָעֹז h. e. agnoſcendam eſſe ejus virtutem et majeſtatem. — — In ſequentibus verbis עָדָיו יָבוֹא putem tertiam perſonam imperſonaliter poſitam eſſe, ut in praecedenti אָמַר, et verba eſſe proſelytorum iſtorum adhortantium ad veri Dei cognitionem.

SECTIO III. CAPUT XLVI

1. Dejicitur Bel, proſternitur Nebo. Simulacra eo-
rum jumentis imponuntur, quae his oneribus portan-
dis laſſantur *a*). 2. Dejicientur et proſternentur
omnia. Nec poterunt ſuum onus ſalvare, *b*) ipſa enim
in captivitatem abibunt. 3. Audite me Jacobitae
omnesque de Iſraëlitis ſuperſtites: quos ego ab utero
geſtavi et ab incunabulis portavi. 4. Vel ad ſenectu-
tem usque ego idem ſum, vel in canitie *vos* portabo.
Quod hactenus feci, in poſterum quoque faciam, ego
vos

a) Deportabantur in Mediam et Perſiam, ut v. 2. dicuntur abire in captivitatem. Moris enim erat apud gentes, etiam apud Romanos, ut victarum gentium numina in terram ſuam transferrent. cf. Jer. XLVIII, 7. — Impletum hoc eſt per Xerxem, qui Beli templum deſtruxit.

b) Haerent interpretes ad vocem מַשָּׂא. S. R. *Doederlein* ſupplet ad prius hujus verſus membrum *Babylonios*, qui et ipſi dicantur proſtrati et dejecti, nec *molem* ſc. *deorum* ſuorum ſervare poſſe, ipſi in exilium abituri. Sed cum contextus tantum de deſtructione idolorum agat, malim et hunc verſum de iis tantum interpretari et ſub מַשָּׂא intelligere *Babylonios* idolis illis incumbentes, ſ. confidentes. Sic ſenſus planus eſt et facilis, uti mihi quidem videtur, et melior oppoſitio ad ſequentes verſus 3 et 4, in quibus Deus dicitur populum Judaicum bajulaſſe et ſuſtinuiſſe, quod iſti Dii ſuis cultoribus praeſtare non poterant. Ita quoque Syrus verba intellexit: *non potuerunt ſervare* טְעוּנֵיהוֹן *onus ſuum.*

vos feram et ſervabo. 5. Cuinam igitur me aſſimilabi-
tis, aut adaequabitis, aut comparabitis ut ſimilis ſim?
6. Illi auro ex crumena prolato aut argento ſtatera ap-
penſo aurifabrum conducunt, qui Deum faciat, quem
adorent, quem ſupplices venerentur. 7. Hunc hume-
ris ſublatum deportant atque in loco ſuo collocant, in
quo etiam immotus perſiſtit. Clamant ad eum, ſed
non reſpondet, nec poteſt ex calamitate liberare.
8. Recordamini horum et pudore ſuffundamini *, at-
tendite peccatores! 9. Recordamini temporum anti-
quiſſimorum. Ego ſum Deus, nec eſt alius, nec mei
eſt ſimilis. 10. Diu ante annuncio, quae poſt futura
ſunt, et longe prius quam eveniant. Dico: decretum
meum immotum ſtare, meque quod volo eſſe praeſti-
turum. 11. Voco ab Oriente avem rapacem, e terra
remota virum, qui meum exſequatur conſilium. Dixi
hoc, atque etiam perficiam, inſtruam et praeſtabo
omnia. 12. Audite me contumaces! qui de harum re-
rum veritate dubitatis. 13. Appropinquat mea veritas,
non procul abeſt; ſalus mea non morabitur. Prae-
ſtabo Sioni ſalutem, Iſraëli decus. — —

SECTIO IV. CAPUT XLVII. *a*)

1. Deſcende et humi ſede, virgo Babylonia, in terra
ſede, non ſuper throno, o Chaldaea, non te amplius

ut

a) Poſtquam propheta Capite antecedenti de abolitione ido-
lolatriae babylonicae dixerat, in hoc agit de everſione

ut mollem et delicatam tractabunt. 2. Prehende molam et mole farinam *b*), retege comam tuam, denuda caeſariem, nudatis cruribus trajice flumina. 3. Retegentur verenda tua, conſpicientur obſcoena tua. Ultionem ſumam, quam nemo avertere poterit. 4. O redemtor noſter, Jova omnipotens, numen Iſraëlitarum *c*). 5. Sede tacita, ingredere loca tenebricoſa, puella Chaldaea, te enim non amplius regnorum principem vocabunt. — 6. Iraſcebar populo meo, terram meam profanandam tradidi, tuo imperio eam ſubjiciens. Sed tu erga eos nulla miſericordia uſa es, ſenes

ſtatus civilis. Alloquitur vero Babylonem ſub ſchemate in prophetis ſaepe obvio, virginis aut foeminae. cf. Cap. XXXVII, 22. Jer. XXXI, 21. Thren. I, 15.

b) Sermo eſt de *mola manuaria*, quam ſervae tenuiſſimae conditionis verſabant. Exod. XI, 5. — צַמָּה *coma conſtricta et plexa*, a ضَمّ *in faſciculum colligavit*. Solent enim Orientales comam plectere in cincinnos et gemmis ornare et peplis tegere; quae nonniſi a ſervis infimae ſortis reteguntur. Eodem modo ſequens שֹׁבֶל eſt explicandum, quod eſt *ἅπαξ λεγ.* سبولة *coma*, *caeſaries*, a سبل *fluxit*. *Fluminis tranſitus* non de abductione in captivitatem eſt accipiendus, ſed obſervant peregrinatores, foeminas vilioris conditionis illarum regionum alveos et vada fluminum tranſire ſolere nudatis cruribus. cf. *Schultenſius* in Animadverſſ. philol. ad h. l.

c) Interlocutio prophetae admirantis Dei potentiam et juſtitiam.

nes adeo dura ſervitute preſſiſti. 7. Putabas ſemper te dominam futuram eſſe. Nunquam ad haec attendiſti, neque quem exitum tandem habitura eſſent cogitaſti. 8. Jam vero, audi, o voluptuoſa et ſecura, quae te omnibus aliis praeferendam putas, quae te nunquam viduam aut orbam futuram eſſe ſperas. 9. Duo haec tibi repente uno die evenient, viduitas et orbitas. Plene tibi evenient, nec poterunt iſta praeſtigiae aut incantationes tuae, quantumvis multae et magnae, avertere. 10. Confidis quidem malis tuis artibus, quas neminem putas obſervare. Calliditas tua et aſtutia te ſeducit, ut tibi perſuadeas, praeter te nullam eſſe tui ſimilem. 11. Malum tibi ſuperveniet, quod nullis averruncare praeſtigiis poteris. Irruet in te calamitas, quam non poteris amoliri. Eveniet tibi non opinanti ſubita deſtructio. 12. Adhibe quaeſo incantationes tuas et praeſtigias tuas varias, in quibus, inde a juventute tua laboraſti, fortaſſe tibi jam proſunt, fortaſſe (iis) obtinebis. 13. Aſſidua fuiſti in artibus tuis quam plurimis. Adſint jam aſtrologi, ſtellarum obſervatores, menſium explanatores; ſervent te ab iis quae tibi eventura ſunt. 14. Sed ſicuti ſtipula ab igne comburentur, non poterunt ſe ab iſto igne ſervare. Nec enim talis erit, cui adſideas ut incaleſcas. 15. Is erit fructus earum rerum, quibus ſtuduiſti. Illi quibuscum inde a juventute negotia exercuiſti, abibunt quo poterunt, nec erit qui te defendat.

SECTIO V. CAPUT XLVIII. *a*)

1. Jam ad vos me converto, Jacobitae, qui Iſraëlitae nominamini et a Juda originem deducitis, qui per Jovam quidem juratis, Deumque Iſraëlitarum profitemini, ſed non vere, non animo ſincero. 2. Quin immo ab urbe ſancta nomen geritis, Deo Iſraëlitarum innitimini, qui Jova omnipotens vocatur. 3. Quae olim evenerunt, ea tunc quoque indicavi et a me decreta annunciavi, atque ſic haec praeter ſpem facta ſunt a me et adducta. 4. Novi enim vos contumaces eſſe, ferreae cervicis, frontisque aeneae. 5. Propterea vobis iſta jam tum indicavi atque antequam evenirent praedixi, ne ea idolis veſtris aut ſculptis et fuſis ſimulacris tribueretis. 6. Quae audiviſtis, videte omnia impleta, quod vobis ipſis fatendum eſt. Jam nova vobis annuncio, abſcondita quae ignoratis. 7. Quae quidem decreta ſunt, ſed usque ad hoc tempus vobis ignota fuerunt, ne vos ea jam reſciviſſe diceretis. 8. Nihil de his audiſtis aut fama forte percepiſtis. Novi enim vos pervicaces eſſe, atque inde ab ortu veſtro peccatores.

9. Mea

a) Duas partes habet haec ſectio. In priori alloquitur propheta homines ſuae aetatis, eosque reprehendit ob magnam ad idololatriam proclivitatem, per abductionem in captivitatem puniendam 1—11. In poſteriori ſiſtit ſibi poenitentes Judaeos in exilio Babylonico eisque liberationem per Cyrum promittit v. 12—22.

9. Mea cauſa iram meam continui, propter gloriam meam cohibui, ne vos plane perderem. 10. Purgavi vos, ſed non ut argentum, in ipſis adeo afflictionibus vos diligo. 11. Mea cauſa, mea cauſa hoc facio, quomodo enim nomen meum profanari aut majeſtatem meam alii tribui permitterem? 12. Audite me, Jacobitae, Iſraëlitae a me nominati. Ego Deus ſum. Ego Primus ſum idemque Ultimus. 13. Manus mea terram fundavit, dextra mea coelum expandit, quod jubeo ſtatim exequuntur. 14. Adeſte jam et audite, quis illorum *b*) hoc indicavit? Ego ei (ſc. Cyro) favebo, meam in Babylonios voluntatem exequetur, ſuamque in Chaldaeos virtutem exeret. 15. Ego, ego haec dixi. Evocabo, adducam eum et proſperos ſucceſſus largiar. 16. Accedite et audite. Non in occulto de rebus praeteritis locutus ſum. Ab eo tempore, quo illa eventum ſuum habuerunt, huc verſor. Sic jam quoque mittit me Jova et ſpiritus ejus *c*). 17. Haec dicit

b) ſc. idolorum, de quibus verſ. 5. dixerat nullum eorum res futuras unquam praedixiſſe.

c) Videtur propheta praeterita ſua vaticinia iam impleta opponere his, ſc. de Cyro et liberatione ab eo expectanda, atque ex illis ad horum veritatem argumentari. מֵרֹאשׁ igitur intelligo de prioribus vaticiniis. Atque idem eſt argumentum quo ſupra v. 3 ſeqq. uſus eſt; ex quo hic locus videtur explicandus.

dicit Jova redemtor tuus, numen Iſraëlis. Ego Jova Deus tuus te doceo quae tibi proſunt, tibi viam oſtendo qua incedere debes. 18. Utinam praeceptis meis obtemperares! tunc enim felicitas tua *magna* futura eſſet ut Euphrates, et bona tua *abundantia* ut fluctus maris. 19. Inſtar arenae futuri eſſent tui poſteri, tuaque progenies ut lapilli ejus, nunquam a me perdenda aut delenda. 20. Exite e Babylone, fugite a Chaldaeis, voce jubila edicite, proclamate hoc, per extremas regiones innoteſcat. Dicite: redemit Jova ſuos Jacobitas. 21. Non ſitient, me per loca arida eos ducente. Aqua ex petra eis fluet, findentur rupes ut fontes promanent. 22. Impii vero illius felicitatis non erunt participes.

SECTIO VI. CAPUT XLIX. *a*)

1. Audite me, nationes exterae, attendite gentes remo-

a) Simillimus eſt hic prophetae ſermo Capiti XLII, de quo quid ſentiam in nota *a*) pluribus dixi. Primo propheta docet ſe ad munus propheticum a Deo ipſo eſſe evocatum, cujus gravitatem et dignitatem deſcribit 1—7. Deinde reditum populi ex captivitate promittit ab amore Dei certiſſime expectandum, inſignem populi reducis felicitatem in terra ſua, quam vel ipſae gentes adjuvare, promovere, admirari deberent et defenſionem Jovae adverſus omnes hoſtes, 7—26. Quae omnia in ſenſu literali et proprio a propheta Judaeis eſſe dicta verſſ. 8. 9. 16.

remotae. Jova me a primo ortu *huic muneri* deſtinavit. Ex quo natus ſum, nomen mihi indidit. 2. Sermonem meum ſimilem fecit gladio acuto, ſub umbra ſua lateo, ad inſtar ſagittae politae me fecit, in pharetrâ ſua me abdidit *b*). 3. Servus meus, inquit, eris *apud c*) Iſraëlitas, per te honorabor (ſc. per tuas praedictiones). 4. Equidem exiſtimabam me fruſtra laboraſſe, viresque meas ſine fructu in-

16. 17. 19. evincunt, quae non niſi admodum coacte de temporibus N. T. ſive eccleſia Chriſtiana poſſunt explicari. Verum enim vero haec omnia a propheta magnifice dicta et exornata ſunt, cum reſpectu ad antitypum totius hujus oeconomiae Dei cum populo Judaico, nempe ad Meſſiam gentium doctorem, ad fundationem eccleſiae N. T. et propagationem ejus inter omnes gentes. cf. notam *a*) l. c.

b) Phraſes tropicae h. l. non difficiles ſunt intellectu — gladius acutus indicat auctoritatem prophetae ad vitia reprehendenda et exſcindenda; umbra defenſionem, ſagitta polita effectum ſermonum prophetae longe ſeſe exſerentem, et pharetra, in qua abſconditus ſit, iterum divinam protectionem.

c) Ad ישראל ſupplendum videtur Lamed, *apud Iſraëlitas*, ſ. *in bonum eorum*. Nullus quidem interpretum antiquorum ſupplevit. Omnes per vocativum vertunt: *Servus meus tu Iſraël per quem glorificabor*. Sed nimis abrupta eſt Apoſtrophe a propheta ad Iſraëlem. *Michaeli* ſuſpectum videtur. *Doederlein* ad ipſum prophetam refert, qui laudetur ut verus Iſraelita, coll. Joh. I, 48.

ſumſiſſe. At enim vero merces mihi eſt apud Jovam et praemium apud Dominum. 5. Jam vero Jova dixit, qui me a nativitate mea deſtinavit ſuo miniſterio, ut Jacobitas ad eum reducerem et Iſraëlitas ad eum congregarem (magni enim a Jova aeſtimatus ſum et Deus meus mihi vires concedit), 6. Hic, *inquam*, mihi dixit: parum eſt, ut mihi ſervias ad reſtituenda Jacobi ſtemmata et ſurculos *d*) Iſraëlis reſtaurandos: Sed ſiſto te quoque ut doctorem gentium, ut ſalutem meam extremis terrae regionibus annuncies. — — 7. Sic alloquitur Jova redemtor Iſraëlitarum, eorum Deus, ſpretum omnibus, contemtum gentibus, ſervum dominantium *e*): Reges et principes ſupplices venerabuntur Jovam, promiſſa ſervantem, Numen Iſraëlitarum, quod tibi favet. 8. Sic dicit Jova: tempore opportuno et ſalutari te exaudiam et juvabo. Te ſervabo gentiumque amicitiam tibi conciliabo. Terra reſtaurabitur et

d) נְצוּרֵי יִשְׂרָאֵל qui ſint, *Michaelis* optime ex paralleliſmo membrorum illuſtravit ad *Lowthum* p. m. 390. Reſpondent enim *τοῖς* שִׁבְטֵי יַעֲקֹב Origo vero vocis נְצוּר ex lingua Arabica petenda eſt, in qua نظر eſt *virere*, hinc נְצוּרִים ſunt *rami*, tropo ducto ab arbore, ut in שֵׁבֶט.

e) Judaeos inter gentes preſſos et afflictos et contemtim habitos.

et fundi deſolati iterum occupabuntur. 9. Vinctis libertas concedetur, et qui tenebris incluſi ſunt, eis prodire licebit, juxta vias paſcent et in omnibus collibus paſcua habebunt. 10. Non eſurient, non ſitient, non aeſtu ſolis afficientur. Nam qui eorum miſertus eſt, eos praecedet atque ad aquarum ſcaturigines ducet. 11. Montes pervios reddam, ſemitasque ſublimes. 12. En alii ab Oriente, alii a ſeptentrione et occidente, alii e regione Sinnim *f*) venient. 13. Canta coelum! exulta terra! laetis clamoribus reſonate montes! Jova enim populum ſuum conſolatur, et afflictorum miſeretur. 14. Sion quidem ſe a Jova deſertam, a Domino oblivioni traditam queritur. — 15. Num mater obliviſcitur ſui infantis, immiſericors in filium a ſe natum? etiamſi illa obliviſcatur, nec tamen ego te negligam. 16. En te in palmis meis delineavi, muri tui perpetuo mihi ob oculos verſantur. 17. Approperant qui te reſtaurent *, remotis omnibus, qui te deſtruerent et everterent. 18. Attolle oculos tuos et circumſpice, iſti omnes congregati ad te veniunt; per vitam meam juro, inquit Jova, his omnibus tanquam ornamento

f) Contextus docet plagam meridionalem eſſe intelligendam. *Bochartus* in Geograph. S. Lib. IV. Cap. 27. docet Aegyptum, quae Palaeſtinae eſt verſus meridiem, in ſpecie Peluſium intelligendum eſſe, quod et Ezechieli Cap. XXX, 15. סִין vocatur a luto, ut Graecis πηλουσιον.

veſtieris, et ut ſponſa amicieris.
19. Vaſtata illa loca et deſerta terrae tuae deſtructae, anguſtiora erunt, quam ut incolas capiant, remotis omnibus adverſariis tuis.
20. Fiet aliquando ut tibi dicant filii in orbitate tua nati: hic quidem locus anguſtior nobis eſt, cede nobis ampliorem quem habitemus.
21. Tum tu ipſa mirabunda, unde mihi, inquies, hi nati ſunt, cum orba eſſem et ſterilis? cum captiva eſſem et exul, quis hos mihi educavit? Cum ſola ego ſuperſtes fuerim, unde mihi iſti? —
22. Haec dicit dominus Jova: En! ad nutum et ſignum a me gentibus nationibusque datum afferent filios tuos in brachiis, filiasque tuas in humeris geſtabunt.
23. Reges erunt nutritores tui et foeminae principes tuae nutrices, humi ſupplices te venerabuntur, et ſervient. Tum intelliges me Jovam eſſe, qui ei confiſos non fruſtretur. — —
24. Num eripietur heroi praeda? num quos fortis (bellator) captivos fecit, evadent?
25. Immo vero, reſpondet Jova, captivi bellatori eripientur et praeda heroi auferetur, ego contendam cum adverſariis tuis, filiosque tuos ſervabo.
26. Qui te oppreſſerunt, ſemet ipſos conſument ſuoque ſanguine tanquam vino inebriabuntur, ita ut omnes mortales intelligant me Jovam eſſe, tui ſervatorem et potentem redemtorem Jacobitarum.

SECTIO

SECTIO VII. CAPUT L — LII, 13. *a*)

1. Haec dicit Jova: ubinam eſt ille repudii libellus, quo matrem veſtram dimiſi? aut quis creditorum meorum eſt cui vos vendidi? En propter peccata veſtra venditi eſtis; propter delicta veſtra mater veſtra dimiſſa eſt. 2. Quare veni et nemo adeſt; clamavi et nemo reſpondet. Num manus mea non ſatis valida eſt ad vindicandum? num viribus non ſatis inſtructus ſum ad ſervandum? En minis meis mare poſſum exſiccare, flumina in loca arida convertere, ut piſces ob aquae defectum pereant et ſiti moriantur. 3. Coelum tenebris involvo et tanquam centone induo. — — 4. Dominus Jova me eloquentem fecit, ut tempeſtive loqui poſſim cum afflicto. Quotidie me excitat ut aurem praebeam, prouti decet diſcipulum. 5. Dominus Jova aurem mihi aperuit, nec ego contumax recuſavi. 6. Tergum praebeo

a) Reſpondet propheta ad objectionem Judaeorum exulum, quam jam Cap. XLIX, 14. tetigerat, de nimia ſeveritate Dei in populo ſuo puniendo. Primo monet dignum fuiſſe populum, qui ſic puniretur, ſed Deum ſatis potentem eſſe, qui eos poſſet reſtituere, 1 — 4. Deinde ſuo exemplo fiduciam in Deum commendat 4 — 11. tertio exemplum Abrahami eis in mentem revocat, qui, quanquam de poſteritate conſequenda omnem fere ſpem abjeciſſet, tamen in gentem numeroſiſſimam excreverit Cap. LI.

beo percutientibus, genas vellicantibus, faciem ignominiae et ſputo non ſubtraho. 7. Etenim dominus Jova mihi auxilium praeſtat, propterea ſpe mea non excidam. Ideo quoque faciem habeo quaſi lapideam, novi enim non irritam futuram eſſe ſpem meam. 8. Adeſt qui me abſolvat, quis mecum contendat? congrediamur. Quis me in jus vocet? accedat. 9. En dominus Jova mihi opitulatur, quis me damnabit? En iſti omnes tanquam veſtis abſumentur, tanquam a tinea arroſi. 10. Quicunque veſtrum Jovae reverens eſt et miniſtro ejus obtemperans, is in tenebris verſans et lucis expers Jovae confidat Deoque ſuo innitatur. 11. Vos vero omnes, qui ignem vobis extunditis malleolis cincti, igne quem accendiſtis correpti, comburemini *b*). Haec vobis cum vehementiſſimo

b) Senſus allegoriae videtur eſſe hic: Propheta verſ. 10. allocutus fuerat exules tanquam in tenebricoſo carcere ſedentes. Hi per impatientiam ſibimet ipſi auxilium et liberationem parare volunt, quod vocat propheta: *ignem ſibi in caligine accendere*. Sed irritos immo noxios futuros eſſe conatus illos monet, ſicuti captivo, cui, ſi forte ignem elicuit, vinculis conſtricto in flamma miſere pereundum eſt. Vocabula hujus loci difficiliora data opera illuſtravit *Schultenſius* in Origg. Tom. I. Cap. II. Nimirum קָדַח proprie eſt *ignem elicere*, ſ. *extundere*, זִיקוֹת vero laqueoli picei, qui ſcintillas et flammam nutriant, quam ſignificationem pluribus illuſtrat in Commentario ad Proverbia Sal. p. 368.

tiſſimo dolore conflictantibus ex mea voluntate evenient. CAPUT LI, 1. Audite pietatis amantes, Jovae ſtudioſi intuemini rupem, ex qua exciſi, et foveam, ex qua effoſſi eſtis *a*). 2. Intuemini Abrahamum patrem veſtrum et Saram matrem veſtram. Solus erat cum eum vocarem, ſed larga ſobole eum auxi. 3. Sic quoque Jova Sionem conſolabitur, ejusque loca vaſtata reſtaurabit, mutabit deſerta in paradiſum et inculta in hortos amoeniſſimos, in quibus omnia ſummo gaudio reſonent, gratiarum actio et laeta cantica audiantur. 4. Audite o mei, attende mi popule, decretum a me exiit, meumque judicium gentibus colluſtrandis inſerviet. 5. Propinqua eſt mea benignitas, ſalus quam praeſtabo jam ſe oſtendit. Potentia mea gentes judicabit, *ita ut* exterae quoque regiones mihi fidem habeant meamque potentiam revereantur. 6. Attollite verſus coelum oculos veſtros, aſpicite terram; Illud quidem ut fumus evaneſcet, haec ut veſtis veteraſcet, ejusque incolae ſimiliter interibunt: ſed ſalus mea in aeternum durabit, meaque benignitas non mutabitur. 7. Audite vos, qui verae pietatis ſtudioſi eſtis, quorum mentibus praecepta mea impreſſa ſunt, nolite timere hominum opprobrium, nec nimium moveri propter eorum convicia. 8. Conſumentur, ut tineae

a) Metaphora originem liberorum ex parentibus figurans, quam propheta explicat in ſequenti verſu. cf. ſimilem tropum Prov. V, 15.

tineae veſtem, aut ut blattae lanam corrodunt: mea vero benignitas erit perpetua, et ſalus mea per omnes generationes durabit. — — 9. Heu! Heu! exere robur tuum, o brachium Jovae, heu! ut olim antiquiſſimis temporibus! Nonne tu illud es, quod concidit Aegyptum, quod et lethaliter vulneravit crocodilum? 10. Nonne tu illud es, quod mare exſiccavit, aquas vaſti pelagi, quod in fundo maris viam inſtruxit, qua liberati tranſirent? — — 11. Immo vero liberati a Jova revertentur, Sionem intrabunt ovantes, laetitia perpetua circumfuſi, ingenti laetitia fruentur, omni labore et gemitu longe remoto. — — 12. Ego, ego is ſum, qui vos conſolatur; quid eſt, quod vobis timeatis ab hominibus mortalibus, ab hominibus, qui eandem cum gramine ſortem habent? 13. Quid immemores eſtis Jovae, creatoris veſtri, qui coelum extendit et terram fundavit? quid ita continuo timetis furorem tyranni, quando perditionem parat? ubi eſt furor ille tyranni? 14. Mox *b*) vincti carcere ſolventur, non morientur in fovea, nec victu neceſſario deſtituentur. 15. Ego ſum Jova Deus veſter, qui mare commoveo, ut fluctus ejus ſtrepant, Jova ſum omnipotens.

b) Hebr. צֹעֶה proprie *inclinatus*, h. e. vinculis ita conſtrictus, ut inclinetur et incurvetur, nec ſemet erigere queat. Sic *Schroederus* in Obſervatt. ſelectis ad Origg. Hebr. p. 37. verbum צעה in quatuor locis tantum obvium explicavit, docuitque primariam ejus ſignificationem eſſe *inclinari*.

potens. 16. Habetis meas promiſſiones, curam veſtri geram ſingularem, coelum inſtruam, terram fundabo *c*), hoc eſt, promitto Sionitas populum mihi carum futurum eſſe. — — 17. Expergiſcere, expergiſcere, ſurge Hieroſolyma, quae e manu Jovae bibendum accepiſti calicem irae, quem inebriantem calicem redimitum *d*) exhauſiſti. 18. Nullus adeſt ex tot quos peperit natis, qui leniter eam ducat, nullus adeſt ex tot quos educavit filiis, qui manu eam prehendat. 19. Plura tibi *mala* evenerunt quam ut quis tibi

c) Phraſis eſt tropica prophetis ſaepe uſurpata, qua regni alicujus reſtitutionem comparant cum creatione novi coeli novaeque terrae. Atque e contrario de deſtructione ejus loquuntur, tanquam de interitu mundi. Ultima verba priora manifeſte explicant, atque loca prophetae noſtri Cap. LXV, 17. LXVI, 22. hunc hujus phraſeos ſenſum plane evincunt. — — Modo ne offendant tirones in infinitivis לִנְטֹעַ et לִיסֹד qui reſpondent, uti ſupra jam obſervatum eſt, verbo finito quod praecedit.

d) Subſtantivum קֻבַּעַת *ἁπαξ λεγ.* ex primaria ſignificatione verbi קבע *plicare, plicando obvolvere*, ſpeciatim *caput*, deinde *fraudare*, eſt *plicatio*. *Redimitus poculi* vero ſ. pocula redimita non ſolum dici poſſunt, quae ſertis coronantur, ſed etiam quae ad ſummum marginem explentur. cf. *Schultenſius* ad Prov. XXII, 23. pag. 284. — — Ceterum emblema *vini fortis* ad ſignificandum *afflictiones graves* ſaepe obvium eſt. e. g. Jer. XXV, 15. Thren. IV, 21.

tibi condolere ſuſtineat, vaſtatio, deſtructio, fames, gladius, quis te conſoletur? 20. Nati tui animo delinquentes vicatim jacent, ut bubalus *e*) irretitus, proſtrati ab ira Jovae, ab increpatione Dei tui. 21. Jam vero audi, o afflicta, ebria non vino. 22. Haec dicit dominus tuus: Jova Deus tuus cauſam aget populi ſui, en! capturus ſum e manu tua calicem inebriantem redimitum, calicem furoris, non ulterius ex eo bibes. 23. Tradam eum te affligentibus, qui jubent ut te ſubmittas quo tranſeant, ut tergum tuum praebeas veluti humus aut platea viatoribus. CAPUT LII, 1. Heu! heu! indue mundum tuum, o Sion, indue veſtes ornatas, Hieroſolyma, urbs ſancta. Non amplius ad te ingredietur praeputiatus aut impurus. 2. Excute pulverem, ſurge, ſede Hieroſolyma, ſolve vincula colli tui, captiva filia Sion. 3. Haec enim dicit Jova: gratis venditi eſtis, absque pretio redimemini. 4. Immo haec dicit dominus Jova: Primum in Aegyptum profectus eſt meus populus, ut ibi degerent, tum Aſſyrii eos impune oppreſſerunt. 5. Jam igitur quid moror, inquit Jova, cum populus meus gratis abactus

e) De תּוֹא ſ. תְּאוֹ ut Deut. XIV, 5. ſcribitur, agit *Bocbartus* in Hieroz. P. I. Lib. III. Cap. 28. et probavit eſſe *orygem*, ſpeciem quandam capreae in Aegypto et Africa frequentem. Sed *Shaw* in Itinerario p. 359. edit. germ. non *orygem*, ſed *bubalum* eſſe contendit.

abactus ſit, heri ejus inſolenter ſe gerant *a*), et ipſe ego continuo afficiar contumeliis? 6. Profecto cognoſcet meus populus, qualis ſim. Profecto jam quidem intelliget me *Deum* eſſe, qui loquatur. En adſum. — — 7. O gratum nuncium per regiones illas montanas adventantem, pacem, bona nova, ſalutem annunciantem, dicentem Sioni: regnat Deus tuus. 8. Speculatores tui ſublata voce omnes ovabunt, quando ipſis ſuis oculis videbunt Jovam reducere Sionem. 9. In laetos clamores erumpite, vaſtata Hieroſolymae loca. Solatus eſt Jova populum ſuum, liberavit Hieroſolymam. 10. Exſeruit Jova potentiam ſuam verendam ſpectantibus nationibus omnibus. Extremae quoque terrarum orbis regiones audient de ſalute Dei noſtri. 11. Diſcedite, diſcedite, migrate hinc, immundum ne tangite, ſeparate vos ab iſtis, purgate vos, qui vaſa Jovae ſacra portatis. 12. Non enim

a) In textu hebraeo eſt: יְהֵילִילוּ cujus ſignificatio vulgaris *ejulandi* contextui parum apta eſt. Sequens enim membrum docet ſermonem eſſe de *inſolentia*, qua Chaldaei populum Judaicum tractabant cum contemtu Dei Iſraëlis. Sic quoque Vulgatus: *dominatores ejus inique agunt*, Chaldaeus: מִשְׁתַּפְּחִין *ſeſe jactitant*. Sed οἱ ὁ habent ὀλολύζετε, Syrus מְיַלְלִין *ejulantes*. Male. Sine dubio legendum eſt יְהַלְלוּ vel יהוֹללוּ uti recte conjectat S. R. *Doederlein*, et ante eum etiam *Hubigantius*.

enim feſtinanter emigrabitis *b*) aut fuga evad
Jova vos praecedet et agmen veſtrum claud
Iſraëlitarum. — — —

SECTIO VIII. CAPUT LII, 13 — LIV

13. En! feliciter ſuccedent omnia miniſtı

b) Uti olim, cum ex Aegypto egrederentur, cf. E 39. et Deut. XVI, 3. ubi Moſes eodem vocabul

c) Equidem pericopam inſignem, quae totum opı torium Meſſiae tam luculenter deſcribit, incipic verſu, quoniam antecedentia tantum de liberа captivitate babylonica agere videntur. Eteni nonus clare loquitur de locis vaſtatis Hieroſol neficio Dei reſtitutis, et decimus de libertate pc ejusdem Dei potentiam reddita, quam omnes admirari deberent, et qua futurum eſſet, ut ſal et incolumes in patriam ſuam redirent v. 12. alii quoque prophetae et inprimis noſter de te Meſſiae tanquam proxime junctis, illis tempoı pulo Judaico adeo memorabilibus loqui ſolent ſum non eſt, neque nimis ſubitus videri poteſt quo Jeſaias popularium ſuorum felicitatem in e phetica contemplans, ſimul videt ſervum ſive n Dei, per quem opus ſuum omnibus hominibu executurus ſit. Tam clare vero et diſtincte ejus perſonam, opus ab eo peragendum, hujusq effectus cum quoad homines, tum quoad ipſum miſtrum, ut fruſtra omnino quaeſierint interpı

Extolletur magnamque conſequetur gloriam. 14. Multi quidem *d)* propter eum obſtupeſcent, adeo, inqui-

dam aliam perſonam, cui notas illas diacriticas, quibus propheta eam inſignivit, accommodarent, quam Meſſiam noſtrum Jeſum Chriſtum, de quo etiam innumera fere loca N. T. hanc pericopam interpretantur.

d) Verſum hunc difficilem ſic intelligo: 1) Periodus eſt compoſita, cujus apodoſis eſt in verſ. 15. cujus prima vox כֵּן referenda eſt ad primam hujus כַּאֲשֶׁר. Non poteſt apodoſis incipere cum illo כֵּן quod in hoc verſu legitur, quoniam a) incommoda eſſet comparatio; quod apparet ex verſionibus antiquis, quae ſic connectunt, τῶν ὁ et Vulgati: *ſicut obſtupuerunt ſuper te multi, ſic inglorius erit inter viros aſpectus ejus;* b) quoniam propheta illius ſtuporis, de quo dixerat, rationem non redderet, quod tamen lector expectat, dum aliquid inexpectatum a propheta dictum fuerat. Igitur prius illud כֵּן explico per ellipſin frequenter obviam τῷ לֵאמֹר ita ut verba admirantium ſequantur interrogative accipienda, uti eſt in verſione. 2) In voce עָלֶיךָ vel eſt apoſtrophe, qua propheta ſermonem convertat ad illum ſervum Dei, vel ſi durior videatur haec perſonae mutatio, quoniam propheta in ſequentibus ſemper in tertia perſona loquitur, legi poteſt עָלָיו uti Chaldaeus et Syrus habent et alter Codex Regiomontanus ex correctione. Manet idem ſenſus, ſi ad עֶבֶד referatur, ſed LXX et Vulgatus legerunt עָלֶיךָ *ἐπὶ σὲ, ſuper te.* Non putem poſſe illud עָלֶיךָ ſatis

apte

ent, facies ejus et totus habitus externus longe deterior eſt, quam ullius hominis? 15. Sed multas *e*) expiabit gentes, reges propter eum obmuteſcent, videbunt enim antea eis ignota, intelligent inaudita. CAPUT LIII, 1. Quis fidem adhibet ſermoni noſtro? quis potentia illa divina convincitur? 2. Succreſcit enim ut ſurculus inter eos (Judaeos), ut radix in

apte ad *Sionem* referri, uti nonnullis interpretibus videtur, quoniam nimis remotum eſt hoc nomen, ex verſu 7. repetendum, et in verſu 11 et 12 propheta numero plurali utitur.

e) Verbum יַזֶּה deduco a נָזָה *aſpergere*, quod de pontifice dicitur, qui ſanguinem victimae oblatae *ſpargebat* ſuper purificandum. Levit. IV, 6. Num. VIII, 7. Hinc recte, uti arbitror, multi interpretes hanc *adſperſionem gentium* de earum purificatione ſ. juſtificatione intelligunt, quae facta eſt per applicationem ſanguinis Meſſiae pro iis effuſi. Ad quam etiam ſcriptores N. T. alluſiſſe videntur, quando loquuntur de ῥαντισμῷ αἵματος Χριστοῦ 1 Petr. I, 2. Hebr. XII, 24. Sic Syrus quoque intellexit, qui habet מְרַכֵּא *expiabit*. *Hubigantius* quidem illud נזה ex ſignificatione arabica explicat per *recreare*, quam ex *Cappello* ſumſit, qui hujus aliarumque meminit. Quoad rem ipſam convenit haec explicatio cum priori. Nam illa ipſa recreatio facta eſt per remiſſionem peccatorum oblatam in evangelio, quae corda hominum recreat et reficit. Sed malim in priori acquieſcere, cum ratio non appareat, cur ab uſu vocis ſatis frequenti h. l. diſcedamus.

in terra arida. Non forma ei eſt decora, quam attendamus, non habitus externus, ut ejus deſiderio afficiamur. 3. Contemtus eſt, ab omnibus repudiatus, multis doloribus afflictus, multis malis affectus, a quo omnes faciem avertunt, adeo contemtus, ut nihili a nobis aeſtimetur. 4. Certe mala perfert a nobis toleranda, dolores ſuſtinet a nobis ſentiendos. At nos putabamus eum ex juſto Dei judicio ita affectum, percuſſum, afflictum eſſe. 5. At ille propter peccata noſtra vulneratus eſt, contritus propter iniquitates noſtras, ejus caſtigatio noſtrae cum Deo reconciliationis cauſa facta eſt, et vibicibus ejus nos ſumus ſanati. 6. Nos omnes inſtar ovium erravimus, quisque ſuam voluntatem tantum ſequebatur, ſed Jova ab eo exegit poenam peccatorum noſtrorum omnium. 7. Exigitur debitum, et ille ad diem reſpondet *a*). Non os ſuum aperit, ſicut agnus qui ad mactationem ducitur; et ut agna obmuteſcit coram tonſoribus, ſic non aperuit os ſuum. 8. Poſt anguſtias judicii ad ſupplicium rapitur

a) Verbum נִגַּשׂ *exigere* ſemper dicitur cum reſpectu ad eam rem quae exigitur, h. l. repetendum eſt ſubſtantivum עָוֹן quod praecedit — נַעֲנֶה malim vertere per *reſpondere*, quam per *affligere*; ſic enim melius τῷ נִגַּשׂ reſpondet, et ſic quoque Latini dicunt *ad diem reſpondere*, ſi debitor non eſt in mora, ſed tempore conſtituto debitum ſolvit.

tur *aa*), ſed quis coaevorum ſuorum attendit? Nam ex numero viventium eſt ſublatus propter peccata populi mei graviter afflictus. 9. Deſtinatum quidem ei erat ſepulcrum cum impiis, ſed in morte ſua divitibus ſimilis fuit, *b*) ſi quidem nihil unquam mali fecit, nec ullius

aa) In priori hujus libri editione hunc verſum verteram: *Ex his vero afflictionibus et miſeriis ad gloriam evectus, aetatem ejus quis enarrabit? Nam ex numero viventium eſt ſublatus propter peccata populi mei, propter poenas ab eo promeritas.* Sed lubenter admitto admonitionem S. R. *Doederlein* (in Biblioth. Theol. ſelecta P. I. p. 837.) non commode poſſe haec verba de ſtatu Chriſti exaltationis explicari, cum in verſu 10. demum propheta de eo loqui incipiat et in ſequenti de ſepultura ſermo ſit. Igitur priora de afflictionibus intelligo, quas Meſſias in judicio perpeſſus eſt, ex quo ad ſupplicium rapitur (ſic לקח de violenta abductione et de morte quoque dicitur: (Geneſ. V, 24. Ezech. XXII, 25.) Item aſſentior Viro Celeb. in explicatione τοῦ דור quod ſint *coaevi*, *aetas*. Sed ישוח quod a שוח diverſum eſſe puto, malim in ſignificatione ei propria *cogitandi* ſ. *attendendi* accipere — למו jam non refero ad עמי ſed ad Meſſiam, ſic non opus eſt repetitione τοῦ מן ex antecedenti.

b) Ut hanc hujus loci explicationem tot aliis praeferrem, perſuaſit mihi ejus facilitas, qua omnes voces ſine mutatione aut trajectione, in ſignificatione non longe petita, ſed perquam vulgari explicantur et cum hiſtoria ſepulturae Jeſu Chriſti mire convenit. Nempe tertia perſona verbi

lius doli reus fuit. 10. At Jovae placuit eum conterere et affligere lethali infirmitate. Quodſi vita ejus ut ſacrificium pro peccatis oblata fuerit, poſteros videbit et diu vivet, atque conſilium Dei per eum proſpere procedet. 11. Propter has quas perpeſſus eſt afflictiones ſummam conſequetur felicitatem eaque ſatiabitur *c*). Sui cognitione multis juſtitiam monſtrabit

pius

verbi יִתֵּן impersonaliter ſ. paſſive explicanda eſt, quia ſubjectum quod dedit non diſerte indicatur. Cl. *Walcherus* quidem refert illud יִתֵּן ad עַמִּי in verſu praecedenti; quod admittere poſſem ſalva ceterum explicatione mea. Sed quoniam ſub עמי non iidem prorſus intelliguntur, qui Chriſto ſepulcrum cum impiis deſtinaverant, prius praefero; נתן vero eſſe *deſtinare*, *tribuere* alicui *aliquid*, ex multis locis conſtat, v. c. 1 Sam. XVIII, 8. Job. I, 22. אֵת pro עִם Geneſ. XV, 18. XXXVII, 2. Vau vero in altero וְאֵת adverſative: *at cum divite* etc. Cui explicationi favet inprimis quoque ſequens membrum, in quo ratio redditur, cur Deus non paſſus ſit Chriſtum turpiter et ignominioſe cum ſceleratis ſepeliri. Quam *Lud. Cappelli* h. l. explicationem *Glaſſianae* ſubſtitui et pluribus expoſui in Philologia S. p. 150.

c) In textu eſt *ἀσύνδετον* יִרְאֶה יִשְׂבָּע *videbit*, *ſatiabitur*; ſupplendum eſt טוֹב *bonum* ſ. *felicitatem*. Quae promiſſio Meſſiae facta convenit cum eo quod de ſe ipſe dicit Pſ. XVI, 11. *Perfectiſſima laetitia eſt coram te*. *Videbit* igitur in h. l. idem eſt, quod *videbit faciem Dei*. — — At

que

pius ille meus miniſter. Nam pro peccatis eorum ſatisfecit. 12. Propterea tribuam ei ſortem: multas gentes et populos validos ut praedam dividet. Eo quod ſponte et lubenter mortem ſubiit, peccatoribus annumeratus eſt, pro multorum peccatis ſatisfecit et pro reis interceſſit.

SECTIO IX. CAPUT LIV. *a*).

1. Canta ſterilis quae non peperit, erumpe in laetos clamores et exclama quae non eſt enixa. Plures enim fore natos deſertae quam maritae, Jova promittit. 2. Dilata locum tentorii tui, aulaea tabernaculorum

que haec ellipſis mihi minus dura videtur, quam ſi יִשְׂבָּע conſtruatur cum ſequenti בְּדַעְתּוֹ quod faciunt interpretes antiquiores plerique atque ex recentioribus Cl. *Waltherus* et S. R. *Doederlein* hoc modo; *reperiet ſat multos doctrinae ſuae cultores.*

a) Argumentum hujus capitis S. R. *Doederlein* rectiſſime indicavit, quod liceat mihi hoc loco breviter repetere: Meſſiae imperium ampliſſimum promiſſum fuerat Cap. LIII, 10. h. e. eccleſia per omnem terram propaganda. Hunc locum jam tractat Jeſaias uberius, atque promittit inſigne eccleſiae augmentum a gentibus doctrinam Meſſiae ſ. evangelium recipientibus. Sed utitur allegoria, qua eccleſiam cum ſterili foemina comparat, quae magna eſt mulieris apud Orientales turpitudo, cui largam et copioſam ſobolem promittit ex novis nuptiis cum ea ineundis v. 5-8. et ex fide divina v. 9 ſeqq.

lorum tuorum extende quantum potes, funes producens et palos obfirmans. 3. Nam ad dextram et ſiniſtram propagaberis. Tua progenies aliarum gentium ſedes occupabit, urbesque deſolatas reſtaurabit. 4. Noli timere, nam non pudefies; noli erubeſcere, nam non confunderis: Adoleſcentiae tuae ignominioſae oblita, viduitatis tuae probroſae non amplius recordaberis. 5. Nam maritus tuus, eſt creator tuus, Jova omnipotens, et redemtor tuus Iſraëlitarum numen, totius hujus univerſi Deus. 6. Ut mulierem deſertam et contriſtatam te Jova revocat, ut ductam in juventute ſed repudiatam, inquit Deus tuus. 7. Ad breve quidem tempus te deſerueram, ſed magna cum miſericordia te recipiam. 8. Severius *b*) quidem memet tibi ſubtraxi ad tempus, benignitate vero in aeternum duratura tui miſerebor, inquit redemtor tuus Jova. 9. Idem fiet quod Noachi temporibus *, quibus juravi nunquam inpoſterum aquas Noachicas terram inundaturas eſſe: ita nunc juro, nunquam me tibi iratum aut ſeverius in te eſſe animadverſurum. 10. Montes moveantur, colles nutent, gratia vero erga te mea erit immota, et promiſſio felicitatis tuae non nutabit,

 inquit

b) Vocabulum ἅπαξ λεγομ. שֶׁצֶף illuſtravit *Schulenſius* in Animadv. philol. ad h. l. ex verbo Arabico شطف *durum, vehementem eſſe*, ſubſtantivum *durities, vehementia*. Ita etiam Syrus בְּרֹגְזָארְבָא.

inquit qui tui miſertus eſt Jova. — — 11. O afflicta! vexata! ſolatio deſtituta! en ego ſtruam lapides tuos in gypſo, et ſuper ſapphiro te fundabo. 12. Murorum tuorum pinnae *c*), erunt ex jaſpide, portae ex rubinis, totusque ambitus tuus lapidibus pretioſis cinctus. 13. Filii tui a me erunt edocti et alta pace fruentur. 14. Juſtitia ſtabilieris *d*), procul aberit oppreſſio tibi non metuenda, et terror ad te non appropinquabit. 15. Qui te aggredi conabitur, eum prohibebo; qui ex tuis te infeſtabit, ille cadet. 16. Quodſi ego permitto, ut faber ferrarius carbones igne ſufflet et

c) Vocabulum שִׁמְשֹׁת quod in textu legitur, non ſunt *feneſtrae*, uti multi vertunt, ſed pinnae in muris ſ. propugnacula ipſorum murorum aut portarum, qualia in muris et portis urbium ex antiqua munitione etiamnum conſpiciuntur. Sic etiam οἱ ό intellexerunt, qui habent ἐπάλξεις, quod *Heſychius* et *Suidas* explicant: προμαχεῶνες. Neque in voce שֶׁמֶשׁ notio ſolis h. l. obtinet, ſed *pectinis*, quam in lingua Arabica habet, cui illae murorum pinnae fortaſſe comparatae ſint. cf. *Faber* in Archaeologia hebr. p. 294. כַּדְכֹּד ex auctoritate τῶν ό et Syri interpretis verti per Jaſpidem. Certiora ſuper hac parte philologiae S. quae de gemmis exponat, expectamus a S. R. *Doederlein* in *Lithographia ſacra*, cujus edendae ſpem fecit nobis quidem perquam jucundam.

d) Juſtitia h. l. eſt juſtitia regiminis, quae nempe ſeſe oſtendit legibus juſtiſſimis et aequiſſimis, quales Chriſtus rex ſubditis ſuis dedit, opponitur enim *oppreſſio*.

et telum pro arte ſua cudat: efficiam quoque, ut non deſit qui illud perdat. 17. Nullum telum adverſus te cuſum valebit ſ. efficiet aliquid: et quicunque tecum in judicio contendet, cauſa cadet. Haec erit ſors cultorum meorum, et quam eis praeſtabo defenſio, inquit Jova.

SECTIO X. CAPUT LV. — LVI, 10. *a*)

1. Heu! quicunque ſititis, venite ad aquam, et qui pecunia caretis venite, emite et edite, venite, emite, nulla pecunia aut pretio ſoluto vinum et lac. 2. Cur pecuniam impenditis rebus, quae non alunt? cur quaeſtum veſtrum inſumitis iis, quae non ſatietatem praeſtant? Mihi obtemperate, fruimini bonis, et rebus praeſtantiſſimis vosmet oblectate. 3. Aures praebete, venite ad me, audite, et felices eritis: praeſtabo vobis bona in aeternum duratura beneficia Davidi ſervanda *b*). 4. En hunc ego conſtituo doctorem gentium, ducem, qui nationes inſtruat. 5. Gentes ei dicavi, vocabis tibi ignotas, et gentes quae te non norunt ad te properabunt propter Jovam Deum tuum, pro-

a) Invitatio ad Judaeos et gentiles directa, ut accipiant beneficia a Meſſia exhibita.

b) Verba חַסְדֵי דָוִד הַנֶּאֱמָנִים ſunt in appoſitione cum בְּרִית עוֹלָם eaque explicant, nempe beneficia Davidi promiſſa de Meſſia ex eo naſcituro et regno ejus aeterno. Pſ. LXXXIX, 1 ſeqq.

propter numen Iſraëlitarum, quod te ornat. 6. Quaerite Jovam, dum invenitur, invocate eum, dum adeſt. 7. Impius deſerat ſuam vivendi rationem, et malus aliter cogitare incipiat. Redeat ad Jovam qui ejus miſereatur, ad Deum noſtrum, cujus magna eſt indulgentia. — — 8. Non enim eadem mea quae veſtra ſunt conſilia, nec mea convenit cum veſtra, agendi ratio, inquit Jova. 9. Quantum enim coelum a terra diſtat, tantum mea agendi ratio a veſtra meaque conſilia a veſtris diſcrepant *c*): 10. Quemadmodum autem pluvia et nix coelitus delapſa eo non revertitur, quin terram imbuat et foecundet, et germina producat, ita ut ſemen edat agricolae et alimenta praebeat eſurienti: 11. Sic dictum a me prolatum non irritum erit. Sed fiet, quod decrevi et proſpere ſuccedent quae juſſi. 12. Laeti enim emigrabitis et ſalvi deducemini. Montes et colles veſtra cauſa gaudebunt,

c) Mira ſane videri poterat Judaeis haec promiſſio de admittendis gentilibus ad regnum Meſſiae, quem ſuum tantum regem futurum eſſe ſibi perſuadebant. Sed confirmat Deus in his verbis ſeſe de eo longe aliter ſentire quam illos, idque quod dixerit certiſſime impletum iri. Quod propheta illuſtrat verſſ. 10 et 11. ſimilitudine a pluvia ſumta, quae nunquam effectu deſtituitur: Sic quoque a Deo praedicta non inania eſſe poſſe, ſed eventum ſuum ſine dubio habitura. Quam comparationem cum aliis quoque ſimilibus confert Illuſtris *Michaelis* ad Lowthum nota 61. p. m. 240.

bunt, et arbores ſilveſtres èdent fragorem. 13. Pro ſpina abietes, pro paliuro *d*) myrthus creſcent, quo facto Dei potentia agnoſcetur et in aeternum celebrabitur. CAPUT LVI. *a*) 1. Haec dicit Jova: operam date juſtitiae atque aequitati. Proxime enim venturum eſt meum auxilium, meaque benignitas ſeſe manifeſtabit. 2. O beatum hominem! qui hoc fecerit et qui hoc tenuerit, ut ſibi caveat a ſabbati profanatione, et diligenter abſtineat ab omni malo. 3. Ne putet alienigena, qui ſe Jovae adjunxerit, ſe non pertinere ad ejus populum, nec evnuchus, ſe arborem eſſe aridam. 4. Nam haec dicit Jova de evnuchis, qui ſabbata mea ſervant, qui lubenter meae voluntati obtemperant legesque meas tenent: 5. Concedam eis in templo meo et ejus atriis locum, immo dignitatem multae ſoboli praeferendam, perpetuam, non interituram. 6. Peregrinos autem quod attinet, qui ſeſe mini-

d) De vocabulis נַעֲצוּץ et סִרְפַּד videſis *Celſium* in Hierobot. Part. II. pag. 189. et 218.

a) Octo verſus priores hujus capitis videntur adhuc referendi ad invitationem gentilium ad Meſſiam ejusque beneficia, quorum omnes participes fieri deberent, qui alias ex lege Moſaica ad jura et privilegia populi Iſraëlitici admitti non poterant. In his cum eſſent ſpadones ſ. evnuchi, Deut. XXIII, 2. propheta hos quoque nominat, eosque aeque ac exteros ex ſocietate Iſraëlitarum non excludendos eſſe dicit.

miniſterio meo addicunt, qui me amant et colunt, a profanatione ſabbati ſeſe abſtinent et praecepta mea obſervant: 7. Hos ego ducam in montem meum ſanctum et in aede mea laetitia afficiam, holocauſta et ſacrificia eorum mihi grata erunt. Nam aedes mea precibus deſtinata omnibus gentibus patebit. 8. Hoc dicit dominus Jova, qui diſperſos Iſraëlitas congregat: plures adhuc congregatis addam, 9. omnes feras agreſtes *b*). Venite ad comedendum omnes ferae ſilveſtres — —.

SECTIO XI. CAPUT LVI, 10. *a*) — LIX

10. Spe-

b) Placet elegans conjectura S. R. *Doederlein*, qui verba כֹּל חַיְתוֹ שָׂדָי cum verſu 8. connectit et ſub feris animalibus etiam gentiles intelligit. — אכל eodem ſenſu, quo ſupra Cap. LV, 1. accipitur. Atque optime haec imago e verbis Chriſti Joh. X, 16. poteſt illuſtrari.

a) Inde ab hoc verſu novus prophetae ſermo incipit, qui vero ut multi alii titulum ſive formulam praefixam non habet, ex qua hoc clarius poſſet intelligi. Ex verbis autem prophetae plane apparet, eum novam omnino tractare materiam, aliud ſubjectum, alia tempora innuere, quam de quibus in antecedentibus dixerat. Argumentum eſt epanorthoticum. Reprehendit propheta vitia cum doctorum tum populi, quae omnia ea ſunt, ut temporibus Jeſaiae conveniant. Igitur implementum hujus ſermonis parum accurate in remotioribus, immo remotiſſimis temporibus ab interpretibus quibusdam quaeritur,

e. c.

10. Speculatores *b*) eorum omnes coeci ſunt, rudes, omnes canes muti, qui non latrant, delirantes *c*), ignavi, ſomno indulgentes. 11. Immo canes ſunt voraciſſimi, inſatiabiles. Paſtores ſunt imprudentes, ſuis tantum rebus intenti, quaeſtui dediti, ad unum omnes. 12. Venite, inquiunt, vinum afferam, et compotabimus, et craſtinus dies huic erit ſimillimus, magis adhuc feſtivus. CAPUT LVII, 1. Pius moritur et nemo hoc curat, et viri boni auferuntur et nemo attendit. Sic calamitati pius praeripitur, 2. fruitur pace, quieſcit in cubili ſuo, qui integre vixit. 3. Jam vos, adeſte huc, filii praeſtigiatricis, poſteri adulterae et

e. c. *Vitringa*, qui in verſ. 9. irruptionem Vandalorum et Hunnorum vidit et in hac pericopa ſummam eccleſiae corruptionem medii aevi deſcribi ſibi perſuaſit, aliisque voluit perſuadere.

b) צֹפִים h. e. doctores, prophetae, Jer. VI, 17. Ezech. III, 17.

c) הֹזִים eſt *ἅπαξ λεγ.* Aquila et Theodotion *φανταζόμενοι*, *phantaſiis et vanis imaginibus acti*, *οἱ ό*, *ἐνυπνιαζόμενοι*, *ſomniantes*, Symmachus: *ὁραματισταί*, et Vulgatus: *videntes vana*, quaſi legiſſent חֹזִים. Sed poteſt lectio recepta bene explicari ex verbo Arabico هذأ et هذي *deliravit*, quod et ſequenti convenit, *ſomno indulgentes*, vanis rerum imaginibus, quales ſomnia repraeſentant, et ipſi deluduntur et alios deludunt. cf. *Cappellorum* Commentarii et notae criticae.

et meretricis. 4. In quo vosmet oblectatis? quem
diducto ore irridetis? nonne vos inde ab ortu veſtro
peſſimi fuiſtis et mendaces? 5. Incaleſcitis in idola
ſub quacunque arbore viridi, mactatis filios veſtros
ad flumina in petrarum cavernis. 6. Intra rivos in-
primis occupati eſtis *a*), hi omnem curam veſtram ha-
bent, his libamina funditis, oblationes facitis. Et
haec impune ferrem? 7. In montibus altis et elatis
ſtratum tuum poſuiſti, ibique ſacrificaſti. 8. Poſt ja-
nuam et poſtem collocaſti ſimulacra tua, quin immo
me relicto te ſponte obtuliſti pluribus adulteris, foe-
dus cum iis pepigiſti, eorum concubitu quavis occa-
ſione delectata es. — — 9. Regi oleum et un-
guenta complura offers, mittis legatos tuos in remotas
terras, et humi te ſupplex abjicis *b*). 10. Et quan-
quam in his tot tuis conſiliis curandis multas experiris
moleſtias, tamen res tuas peſſimas eſſe non fateris.
Inve-

a) Recte uti arbitror verba difficilia בְּחַלְּקֵי נַחַל חֶלְקֵךְ׃ *Lud. de Dieu* in Critica S. ad 1 Sam. XVII, 40. vertit: *in diviſionibus torrentis.* Diviſiones vero torrentum ſ. fluminum ſunt *rivi*, ut Pſ. I. פַּלְגֵי מָיִם, quos idololatrae etiam pro diis habebant, et juxta eos ſacra ſolebant facere.

b) Reprehendit propheta foedera atque amicitiam, quam Iſraëlitae tam ſtudioſe ambibant cum regibus Aſſyriae et Aegypti. 2 Reg. XVI, 7. 8. Hoſ. XII, 2. etc.

Inveniſti vitam tuam *c*), propterea non ſentis morbum tuum. 11. Quem igitur times? quem formidas? ſed mentiris *d*). Mei prorſus immemor es, nihil curas, ego quidem inde a longo tempore iram meam contineo, *e*) ſed me non times. 12. Jam vero patefaciam iſtam probitatem tuam et opera tua. Nullam ex eis habebis utilitatem. 13. Non te ſervare poterunt copiae tuae collectae, ſi auxilium (eorum) imploras, quas omnes ventus leviculus ſublatas auferet. Sed qui mihi confiſus fuerit, patriam ſuam inhabitabit, montemque mihi ſacrum frequentabit. 14. Jubebo enim ut viae ſternantur et parentur; ut removeantur omnia, in quibus populus meus offendere poſſet. 15. Immo haec promittit altus, excelſus, aeternus, ſanctus: Ego quidem locum ſublimem et ſanctum inhabito,

c) Sic ironice *idola* vocat, quae interitum potius quam vitam populo afferebant. In textu hebr. eſt: *vitam manus tuae*, quod in iis conficiendis omnem induſtriam adhibebant.

d) Hypocriſin populi reprehendit, qui non obſtante iſta idololatria ſua, tamen eſſe et videri volebat populus Dei ejusque reverens.

e) In textu eſt: אֲנִי מַחְשֶׁה *ego taceo*. Silentium vero alias quoque de indulgentia Dei et dilatione poenae dicitur. Quod ſequitur וּמֵעֹלָם mihi quidem minime coacte videtur explicari poſſe de longo tempore, quo Deus indulſerat, neque Vau otioſum eſt: *idque a longo tempore*.

habito, ſed adſum etiam afflictis et humilibus ad eos recreandos animosque eorum attritos reficiendos. 16. Etenim non ſemper contendere aut perpetuo indignari ſoleo, alias ſpiritus (hominis) opprimeretur, menteſque mortalium *f*) extinguerentur. 17. Propter turpiſſimam ejus (populi) avaritiam iratus fui, atque ſubtracta gratia mea in eum ſevere animadverti, ſuam enim tantum perverſam agendi rationem ſequebatur. 18. Sed quanquam iſta ejus vita me non latet, tamen eum ſanabo, ducam eum et qui in eo poenitentes ſunt et reſipiſcentes eis benefaciam. 19. Efficiam ut me laudent. Pacem (dabo), pacem remotis et propinquis, inquit Jova, ſanabo eum. 20. Impii vero ſimiles ſunt mari aeſtuanti, quod quieſcere nequit, cujus aquae ſordes et coenum ejectant, 21. his nulla pax futura eſt, inquit Deus meus.

CAPUT LVIII,

1. Clama pleno gutture, attolle vocem tuam ſicuti tuba, oſtende populo meo ſuam iniquitatem et Jacobitis ſua peccata. 2. Mihi quidem quotidie cultum ſuum exhibent, atque praeceptorum meorum cognitione videntur delectari, ſicuti populus religionis ſtudioſus, et qui

f) עָשָׂה eſt h. l. in ſignificatione originaria *tegendi*, opponitur enim τῷ עָטַף. Verba vero *tegendi* dicuntur apud Hebraeos de *animi deliquio*. Senſus enim verborum textus videtur eſſe hic: homines non pares ſunt ſuſtinendae irae divinae.

qui Dei ſui voluntatem non relinquat, interrogant me de eo quod juſtum ſit, atque lubenter ſacris meis intereſſe videntur. 3. Cur, *inquiunt,* jejunamus et tu nos non reſpicis? cur nos affligimus et tu hoc non curas? En illa ipſa jejunia inſerviunt cupiditatibus veſtris; injurias vobis illatas ſevere ulciſcimini. 4. Non abſtinetis a litibus et contentionibus, dum jejunatis et manu improba alios caeditis. Non ita jejunatis ut preces veſtrae exaudiri poſſint. 5. Quid enim? num tale jejunium mihi probetur, ſi quis ſe ipſe affligat, aut inceda t capite uti juncus incurvo, aut centone amictus in cinere ſedeat? Num haec dies ſupplicationum dici mereatur? dies quae mihi placeat? 6. Nonne ſic potius jejunium, quod mihi probetur, inſtituendum eſt, ut vincula ſolvatis, quae alios injuſte conſtringant: ut laxetis lora jugi, ut liberos dimittatis oppreſſos et rumpatis juga aliorum. 7. Ut eſurienti cibum praebeatis, ut graviter afflictos in domos recipiatis, ut male veſtitum amiciatis, nec vos ſubducatis veſtris conſanguineis. 8. Tunc erumpet inſtar aurorae lux veſtra, ſanatio veſtra celeriter procedet, praemia pietatis veſtrae videbitis, et ego vobis gratioſus adero. 9. Tunc vos precantes exaudiam, auxilium implorantes illud non differam. Si juga iſta abſtuleritis, ſi deſieritis infami digito alios notare et de aliis ſpargere mendacia. 10. Si pauperi vos liberales praebetis et aliorum egeſtati ſuccurritis. Tum tenebris veſtris lux orietur et ca-

 ligo

ligo veſtra mutabitur in meridiem. 11. Ego vos dūcam et ſatiabo in locis ſiccis, et corroborabo. Eritis ut hortus irriguus, ut fons perennis, cui aqua nunquam deeſt. 12. Reſtaurabitis loca diu vaſtata, exſtruetis fundamenta per complures generationes duratura, ita ut alii mirabundi videant vos ruinas inſtaurare, viasque publicas reddere aptas et commodas. 13. Si abſtinueritis ſabbato a negotiis, quibus res veſtras curatis die mihi ſacro. Si ſabbatum vobis videbitur inſtitutum gratum, et dies mihi ſacer reverenter tranſigendus, ita ut eum vita veſtra honoretis, abſtinentes a rebus vobis caris, et ne quidem de iis loquamini. 14. Tunc ex cultu meo voluptatem percipietis, atque ego vobis regionem montanam tradam poſſidendam, et fruemini terra illa Jacobi genitoris veſtri. Id vero Jova promittit.

SECTIO XII. CAPUT LIX. *a*)

1. Jovae quidem manus decurtata non eſt, quo minus

a) In tempore deſignando, de quo hoc vaticinium agat, interpretes, uti in aliis ſimilibus, diſſentiunt. Non convenit liberationi ex exilio Babylonico, partim quoniam deſcriptio miſerrimi et corruptiſſimi ſtatus populi Judaici non convenit ſtatui illius captivitatis; partim quoniam liberatio ex ea, qualis in ultima hujus capitis parte deſcribitur, non ea fuit, qualis futura praedicitur. *Vitringa*, qui alias ſatis ingenioſus eſt in accommodandis vaticiniis

nus ſervare, nec auris obtuſa, quo minus audire poſſit. 2. Sed peccata veſtra vos a Deo ſeparant, at-

 que

ciniis hiſtoriae eccleſiaſticae recentiſſimorum temporum, tamen fatetur, non poſſe neque in initiis Chriſtianiſmi, neque in ſequentibus temporibus perfectum implementum oſtendi. Igitur putat illud adhuc eſſe expectandum, inprimis univerſalem Judaeorum converſionem. Idem tamen fatetur hiſtoriam Maccabaeorum omnium optime his temporibus, quae propheta deſcribit, convenire. Etenim fuit profecto ſtatus reip. Judaicae ſub regibus Syriae et Aegypti partim valde corruptus, partim valde afflictus, talis qualis in hoc capite deſcribitur. Pauci illi boni, qui ſuperſtites erant, a potentioribus opprimebantur, atque inprimis reges Syriae, in his Antiochus iſte Epiphanes, Judaeos tantopere vexabant, ut eorum miſeria ad ſummum perveniſſe gradum videri poſſet. In his tantis miſeriis excitavit Deus familiam Aſmonaeorum, atque ex hac inprimis heroa illum Judam Maccabaeum, qui populum ſuum in libertatem vindicavit. Idque omne evenit praeter ſpem atque expectationem omnium, ut Dei opus hoc eſſe ab omnibus eo melius et clarius poſſet intelligi, quod propheta verſ. 15 ſeqq. clare promittit. Nec obſtat, quod Vitringae videtur, verba Jeſaiae adeo gravia et ſublimia eſſe, ut eorum implementum perfectum oſtendi nequeat in illis temporibus. Nam primo hiſtoria Aſmonaeorum in libris Maccabaeorum potiores tantum eventus iſtius belli enarrat, non abſolutam illorum temporum hiſtoriam continet. Deinde in ſtilo ſublimiori prophetae noſtri non ſunt omnia verba nimis urgenda.

que ſcelera veſtra gratiam ejus retinent quominus eam vobis exhibeat. 3. Manus enim veſtrae ſanguine contaminatae ſunt et digiti iniquitate, labia mentiuntur, et lingua ſcelera eloquitur. 4. Nemo juſtitiae ſtudet, aut cum fide in judicio agit. Confidunt rebus vanis, loquuntur falſa, concipiunt moleſtiam, pariunt iniquitatem. 5. Ova baſiliſci excludunt et aranearum telas texunt. Qui de ovis eorum edit, moritur, quodſi comprimantur, erumpit vipera. 6. Telae eorum veſtibus conficiendis aptae non ſunt, nec poſſunt ſe laboribus ſuis amicire. Sunt enim labores eorum nullius utilitatis, immo noxii aliis. 7. Properant ad mala patranda, feſtinant ad caedes committendas, prava tantum cogitant, et quae aliis perniciosa ſunt, ſuſcipiunt. 8. Ignorant prorſus quae ad veram felicitatem conducant, nec ulla in vita ſua aequitate utuntur. Adeo perverſa eſt omnis eorum agendi ratio, ut per eam nemo vera bona curet. — — 9. Propterea etiam differt (Deus) tam diu ultionem noſtram *b*), nec benevolentiam (ſuam) nobis exhibet. Lucem expe-

b) Loquentes inducit propheta ſuperſtites paucos pios, agnoſcentes culpam communem. Propterea מִשְׁפָּט h. l. eſt vindicta ſ. defenſio Dei, ut ſupra XL, 27. et צְדָקָה beneficium liberationis verſ. 11. mutatur cum יְשׁוּעָה.

ſpectamus, ſed en tenebras! clarum diem, ſed in caligine incedimus. 10. Contrectamus ut coeci parietes, ut oculis capti palpamus, offendimus in ipſa meridie quaſi in crepuſculo, rebus vel optimis tam parum frui poſſumus *c*) quam mortui. 11. Fremimus omnes ut urſi, inſtar columbarum gemimus, vindictam expectamus, ſed fruſtra. Salutem, ſed procul abeſt. 12. Multa enim tibi obverſantur peccata noſtra, immo delictorum et peccatorum noſtrorum nos plane conſcii ſumus. 13. Perfide a Jova defecimus, deſeruimus Deum noſtrum, vim et injuriam ſuadentes et mendacia ſolerter excogitata proferentes. 14. Hinc fit ut vindiciae *noſtrae* differantur, et benignitas (Dei) adeo remota ſit. Nam veritas non admittitur et aequitas aditu prohibetur. 15. Immo fides fere ſublata eſt et pius aliorum in-

c) Vocis אַשְׁמַנִּים h. l. tantum obviae duplex eſt explicatio. Altera ut ſit a שָׁמַן *pinguis fuit*, nomen cum א ſuperlativi nota formatum, *pinguiſſima*, h. e. copia rerum omnium. Altera ut ſit a שׁמם ſ. אשׁם *vaſtavit* et *ſepulcrum* ſ. ſtatus *mortuorum* vocentur loca vaſtata. Prior originatio analogiae aliarum formarum convenientior videtur. Poſteriorem expreſſerunt Chaldaeus: *clauſum eſt ante nos ſicut clauduntur ſepulcra ante mortuos*, et Vulgatus: *in caliginoſis quaſi mortui*. Quid οἱ ό et Syrus legerint, vel divinarint, me ignorare fateor. Illi habent: ὡς ἀποθνήσκοντες στενάζουσιν. Hic: *et ſuſpiramus ut hi qui proximi ſunt morti.*

juriis eſt expoſitus. — — Videt hoc Jova et diſplicet ei non eſſe juris vindicias. 16. Videt, inquam, et obſtupeſcit non adeſſe virum vindicem. Igitur ipſe pro potentia ſua ſalutem praeſtat, benignitate ſua adjutus. 17. Hanc tanquam loricam induit, ſalutem ut galeam capiti imponit, veſtibus amictus ultionis, zelo tanquam ſago opertus. 18. Secundum ſumme merita, ſecundum ſumme merita rependet iratus adverſariis ſuis, retribuet hoſtibus ſuis, exteris nationibus abunde retribuet. 19. In Occidente Dei potentiam reverebuntur, et in Oriente ejus majeſtatem. Hoſte inſtar fluminis irruente, ipſe Jova adverſus eum vexillum eriget. 20. Veniet Sioni redemtor, illis nimirum e Jacobitis, qui ſe a peccatis ſuis averterint. 21. Atque hae ſunt promiſſiones quas illis dedi, inquit Jova: Verborum quae tu ſpiritu meo excitatus protuliſti ſemper memor ſis cum tu, tum filii tui, tum eorum nepotes ad remotiſſima usque tempora.

SECTIO XIII. CAPUT LX. a)

1. Sur-

a) Carmen continet hoc caput, ſi quod aliud prophetae noſtri, ſublime et magnificum, ſtatum reipublicae Judaicae ſive civilis ſive eccleſiaſticae quam maxime ſplendidum et glorioſum deſcribens. Illa tamen ſententiarum ſublimitas et verborum lumina me non ita afficiunt, ut cum *Vitringa* ſtatuam implementum eorum adhuc eſſe expectan-

1. Surge, *b*) gaude, adeſt enim tua felicitas, Jova ſuam tibi gratiam exhibebit. 2. Aliae quidem terrae et nationes denſis tenebris involutae ſunt, tibi vero Jova orietur, ſuamque tibi benignitatem praebebit conſpiciendam. 3. Ita ut gentes hujus tuae felicitatis et reges proſperitatis tibi exortae participes fieri cupiant. 4. Attolle circumquaque oculos tuos et vide, iſti

ſtandum. Pleraeque enim imagines ſunt poëticae, de quibus periti harum rerum judices praecipiunt, non eſſe ſingula verba nimis urgenda, aut ad vivum reſecanda. Neque tamen arbitror implementum harum promiſſionum tantum ſive in reditu ex captivitate babylonica, ſive in glorioſa illa liberatione ex afflictionibus Syriacis quaerendum eſſe. Utique exiſtimo vatem ſimul animo ſuo contemplatum eſſe tempora Nov. Teſt. et cum initia eccleſiae chriſtianae, quibus ingens ex omnibus gentibus multitudo ad eam confluebat, tum defenſionem ejus perpetuam, qua ſub rege ſuo ſalva et incolumis futura ſit, ceciniſſe. Verum et ſic cavendum eſt, ne imagines poëticas nimis urgeamus et regni millenarii felicitatem, ſive potius ſomnia, in eis quaeramus.

b) Alloquitur propheta *urbem*, quod ex attributis ſubjecti colligitur, cui portae, muri, praefecti tribuuntur v. 10. 11. 17. quod propterea recte quoque ſupplent οἱ ό, Vulgatus et Chaldaeus: *Surge*, *illuminare*, *Jeruſalem*. Sed ſiſtitur haec urbs ſimul ſub ſchemate *foeminae*, quae in luctu ſederet, quae v. 1. 3. 4. excitatur ad laetiora tempora et inſignem mutationem mox expectandam.

omnes congregati ad te venient, filii tui e longinquo venient, filiaeque tuae cum cura enutrientur *c*). 5. Tum timore *d*) et gaudio, pavore et laetitia agitaberis, quando exterarum nationum divitiae tibi afferentur, et gentes cum ſuis opibus ad te venient. 6. Camelorum agmina te operient, Midianitarum et Ephaeorum clitellarii *e*). Ex Saba venient, aurum et thus affe-

c) Sic verto verba hebraica עַל צַד תֵּאָמַנָה in quibus non magnopere haereo. Verbum enim אמן nutriendi ſignificationem habere non dubitatur. Quid vero *ad latus alicujus nutriri*, h. e. educari, aliud eſſe poteſt, quam ſub cura perpetua, ductu et inſpectione matris enutriri? *Hubigantius* quidem ex loco parallelo: Eſ. LXVI, 12. עַל צַד תִּנָּשֵׂאוּ emendare vult תִּנָּשֶׂאנָה *geſtabuntur*. Sic fere οἱ ό, ἀρθήσονται. Sed nimis libere verba עַל צַד vertit *in ulnis*, ſine dubio ut ea verbo a ſe ſubſtituto accommodaret; quod et illi feciſſe videntur, dum vertunt עַל צַד ἐπ' ὤμων. Sed ſanam puto lectionem receptam, propterea quoque de diſſenſu aliorum interpretum nihil dico.

d) Pro תִּרְאִי uti puncta ſubjecta ſunt, *videbis*, malim legere תִּירְאִי *timebis*, quod quidem plene ſ. cum Jod ſcriptum eſſe deberet תִּירְאִי ſed ſequens membrum requirit hanc lectionem, neque commodum ſenſum habet תראי ſi vertas *videbis*, quanquam omnes interpretes antiqui ſic intellexerunt. — — נהר h. l. *ſplenduit* coll. Chald. et Syr. h. e. *laetatus eſt*, uti et Latini *nitere* de gaudio dicunt.

e) De בִּכְרֵי מִדְיָן *Bochartus* egit Hieroz. P. I. Lib. II. Cap. 3. et

afferentes et Jovam laudibus ſuis celebrabunt. 7. Kedarenorum greges ad te congregabuntur, Nabataeorum arietes tuis uſibus inſervient, grata mihi erunt ſacrificia, domum enim meam ſplendidiſſime exornabo. 8. Ecqui illi ſunt ad inſtar nubis advolantes? tanquam columbae ad columbaria ſua? 9. Me exterae regiones expectant; inprimis Tarteſſi naves; quae filios tuos e longinquo afferant cum auro ſuo et argento in honorem Jovae Dei tui, Iſraëlitarum numinis. Te enim exornabit. 10. Peregrini muros tuos exſtruent, eorumque reges tibi miniſtrabunt. Afflixi quidem te in ira mea, ſed benigne tui iterum miſerebor. 11. Portae tuae ſemper patebunt, nec diu noctuque claudentur, ut liberum aditum apud te habeant gentium copiae earumque regum comitatus. 12. Quaecunque vero gentes aut regna ſeſe tibi non ſubjecerint, peribunt et deſtruentur. 13. Cedri Libani praeſtantiſſimae ad te deferentur, nec minus abietes, ulmi, buxi, ad ornandum ſanctuarium meum, thronum enim meum ornatiſſimum eſſe volo. 14. Qui te antea afflixerant, incurvati ad te accedent, ſupplices ſeſe ad pedes tuos abjicient, qui te ſpreverant. Eris enim urbs Jovae, Sion numinis Iſraëlitarum. 15. Pro eo quod deſerta et exoſa fuiſti, quam nemo adiret, efficiam ut perpetuo floreas, ſemperque gaudere poſſis. 16. Gentes te nutrient,

3. et probavit eis indicari *camelos juniores* eosque *clitellarios*, onera geſtare ſolitos, non proprie *dromedarios*.

trient, reges te fovebunt, et ſic intelliges, me Jovam eſſe ſervatorem tuum, et heroem Jacobitarum, redemtorem. — — 17. Pro aere aurum dabo, pro ferro argentum, pro ligno aes, pro lapidibus ferrum. Dabo tibi praefectos benignos et praeſides aequos. 18. Nihil amplius de violentia in terra tua, nihil de vaſtatione aut deſtructione in finibus tuis audietur. Muri tui ſecuritatem praeſtabunt, et qui intra tuas portas eſt, gaudebit. 19. Non amplius tibi ſol interdiu lucebit, nec luna tibi amplius ſplendebit. Jova lux tua erit perpetua, et Deus tuus te ornabit. 20. Non occidet amplius ſol tuus, nec luna tua diſparebit, Ego lux tua ero perpetua, finiti ſunt dies luctus. 21. Cives tui omnes pii erunt, perpetui terrae poſſeſſores, a me plantati, a me formati in mei honorem. 22. Parvus in mille et natu minimus in numeroſam gentem excreſcet. Ego Jova ſuo tempore id ſine mora praeſtabo.

SECTIO XIV. CAPUT LXI et LXII. *a*)

1. Jo-

a) Rectiſſime, ut mihi quidem videtur, S. R. *Doederlein* ſentit, dum cum hoc capite ultimam vaticiniorum Jeſaiae partem ſtatuit incipere; in qua propheta breviter repetat omnia, quae inde a Capite XL. copioſius tractarat. Primo finem exilii Babylonici et reſtitutionem reip. Judaicae Capp. LXI. et LXII. Victorias de Idumaeis Cap. LXIII, 1 — 10. Corruptionem reipublicae et ſtatum triſtiſſi-

1. Jovae ſpiritu agor. Siquidem ille me deſtinavit laetum nuncium miſeris, miſit me ad conſolandum animo fractos, ad annunciandum captivis libertatem vinctisque compedum ſolutionem, 2. ad indicendum felicem Jovae beneficio annum, diem ultionis Dei noſtri, ad conſolandum omnes lugentes. 3. Ad oſtendendum, imo etiam ad exhibendum lugentibus Sionitis ornatum pro cinere, unguenta grata pro luctu, amictum glorioſum pro animi moeſtitia. Similes *b*) erunt therebinthis fortiſſimis a Deo plantatis in laudem ipſius. 4. Etenim aedificabunt loca diu vaſtata, deſolata olim reſtaurabunt, renovabunt urbes dirutas inde a multis annis deſtructas. 5. Exteri paſcent greges veſtros et peregrini agricolae veſtri erunt et vinitores. 6. Vos vero ſacerdotes Jovae eritis, miniſtri Dei noſtri; opibus gentium fruemini atque in earum opes vosmet ingurgitabitis *c*). 7. Pro ignominia duplo

ſtiſſimum et afflictiſſimum in perſecutionibus Antiochicis Cap. LXIII. et LXIV. Tandem promiſſionem auxilii divini cum comminatione poenarum de impiis ſumendarum, vocatione gentium ad novam oeconomiam eamque glorioſiſſimam et feliciſſimam, Capp. LXV. et LXVI.

b) קְרָא לָהֶם *vocabuntur*, h. e. ſimiles erunt, ſic קרא quoque in verſ. 6.

c) A plerisque interpretibus תִּתְיַמָּרוּ quod in textu legitur, explicatur per *efferre ſe*, *ſuperbire*, ut ſit formatum ab

duplo majorem conſequemini dignitatem, pro opprobrio ovabitis in terra veſtra. *d*) Sane in terra veſtra duplici potiemini felicitate, aeterna laetitia fruituri. 8. Ego enim Jova amo juſtitiam *e*), odio proſequor rapinam per iniquitatem, dabo eis mercedem promiſſam, aeternum foedus cum illis pangam. 9. Celebres erunt

ab אמר mutato א in י; ad quam ſententiam etiam inclinavit *Schultenſius* in Animadv. philol. ad h. l. ipſe tamen dubius inter alias a ſe allatas ſententias haeſit. Sed *Scheidius* ad Canticum Hiskiae pag. 167. deducit formam h. l. obviam a ימר *fluctuare*, in Hitpael igitur eſt: *fluctuantem ſe jactare*, h. e. pro animi lubitu alte ſe immergere. Quam dicendi formulam illuſtrat ex lingua latina. Sic enim Cicero in Orat. II, 27. Philipp. *ingurgitare ſe in copias* dixit de inſatiabili Antonii avaritia, et in bonam partem *Gellius* Lib. V, 16. hoc vocabulum adhibuit: *ingurgitare ſe in philoſophiam*.

d) In hoc verſu paulo difficiliori prius membrum ex poſteriori putem explicandum eſſe. מִשְׁנֶה, *duplum* h. e. beneficia duplicia ſ. eo majora — ante כְּלִמָּה repeto תַּחַת et ante חֶלְקָם ſuppleo ב uti in ſequenti membro. Mutatio perſonarum, ſecundae nimirum in tertiam, in prophetis ſaepe obvia neminem offendet. Syrus quidem ſecundam retinuit in toto verſu, quod ego quoque in verſione feci.

e) Rationem reddit ejus quod dixerat. Judaei ab hoſtibus ſuis ignominia erant affecti. Hanc Deus juſtitiae amans improbabat.

erunt inter gentes eorum poſteri et qui ex eis originem ducunt inter nationes: qui eos viderit, ſtatim in eis agnoſcet progeniem a Jova fortunatam. — 10. Vehementer gaudeo de Jova *f*), exulto de Deo meo. Salute me tanquam veſte ſplendida induit, beneficiis me tanquam pallio amicivit, ut ſponſus ſibi applicat ornatum, et ut ſponſa, quae ſe ornat mundo ſuo. 11. Quemadmodum enim terra profert germina aut hortus flores: ſic Jovae beneficio inſigni felicitate ſpectantibus omnibus nationibus Sion florebit. CAPUT LXII, 1. *a*) Sionis cauſa non ſilebo, Hieroſolymae cauſa non quieſcam usque dum prodeat ut ſplendor ejus felicitas, et ſalus ejus ardeat inſtar facis. 2. Hanc tuam felicitatem gentes videbunt et reges tuam gloriam.

f) Eſt interlocutio urbis Hieroſolymae, quae prophetae quaſi reſpondet.

a) Chaldaeus, quem *Grotius* aliique ſequuntur, exiſtimat, Deum induci loquentem a propheta, atque illud ſilentium explicant de *ſilentio operis*, uti *Vitringa* loquitur, h. e. Deum promittere ſe qui hactenus cura ſua et providentia Sionem amplexus ſit, non *deſiturum*, aut *ceſſaturum* eſſe, eandem illam curam etiam inpoſterum continuare usque quo omnia perfecerit. — Sed contextus non favet huic hypotheſi. Primo continuatur oratio de Deo Jova in perſona tertia. Deinde verſus 6. et 7. clare docent *ſilentium* illud dicere prophetam de ſe aliisque doctoribus, qui non ceſſaturi ſint precibus ſuis apud Deum intercedere pro felicitate Sioni reſtituenda.

riam. Novum nomen geres ab ipſo Jova tibi inditum. 3. Jova te ut coronam decoram, ut cidarim regiam manu ſua tenebit. 4. Non te amplius derelictam vocabunt, ſed adamatam; nec terram tuam amplius dicent vaſtatam, ſed a domino ſuo poſſeſſam. Jova enim te amabit terraeque tuae erit dominus. 5. Quemadmodum enim juvenis amore fertur in virginem, ita filii tui te deſiderabunt. Ut ſponſus de ſponſa ſua laetatur, ſic Deus de te laetabitur. 6. In muris tuis, Hieroſolyma, cuſtodes collocabo, diu noctuque nunquam quieturos. O vos qui apud Jovam interceditis (pro Hieroſolyma) non deſiſtite. 7. Nunquam in precibus veſtris apud eum remittite, donec Hieroſolymae illum ſplendorem conceſſerit. 8. Jurat Jova per dextram ſuam potentiſſimam, ſe nolle unquam in poſterum frumentum tuum hoſtibus diripiendum dare, nec vinum, quod tuo tibi labore conſtat, peregrinos eſſe hauſturos. 9. Sed qui illud collegerint, eo quoque veſcituros eſſe, Jovam propterea laudantes, et qui hoc congeſſerint, id quoque bibituros eſſe in atriis Jovae ſacris. — — 10. Tranſite, tranſite portas *b*), parate viam populo, aggerate viam, remotis omnibus lapidibus, ſignum erigite gentibus. 11. En Jova remotiſſimis

b) *Tranſire per portas* mihi videtur eſſe *non ſedere otioſe* intra portas, ſed per eas patentes exire et *manum admovere* operi reparandarum viarum publicarum, quod in ſequenti membro jubetur.

ſimis terris annunciat: dicite Sioni adeſſe Servatorem ejus, qui mercedem jam antecepit et praemiis eſt potitus. 12. Celebrabunt autem Sionem ut populum ſanctum, a Jova redemtos. Urbem eam vocabunt valde requiſitam, nunquam deſerendam.

SECTIO XIV. CAPUT LXIII, 1—6. *a*)

1. Quis

a) A verſu 1—6. hujus capitis inducitur a propheta heros, qui ex pugna cum hoſtibus victor redit, atque hanc ſuam victoriam in colloquio cum propheta inſtituto deſcribit. In duas partes abeunt interpretes in ſenſu hujus pericopae definiendo. Alii Meſſiam illum heroa eſſe putant, atque propterea totum locum allegorice explicant. Neque tamen in transferenda imagine poetica conſentiunt, inprimis quinam ſint hoſtes ab heroe illo victi et proſtrati, qui a propheta Edomitae vocantur. Alii Judaeos, alii Antichriſtum, alii diabolum ſub eis intelligunt. — — Altera interpretum pars, cui me quoque accedere non nego, totam hanc pericopam proprie accipit de victoria Judaeorum ſuper Edomitis aliisque gentibus duce Juda Maccabaeo, qui Idumaeam vaſtavit, Boſram Metropolin ejus cepit atque incendit, cunctis maribus qui militaris eſſent aetatis interfectis. Sic Joſephus XII, 11. 12. 1 Maccab. V, 1 ſeqq. Nolim tamen pericopam de una tantum illa victoria ſuper Edomitis intelligere, ſed de omnibus reliquis, cum primi ex Aſmonaeorum familia herois, tum et ſucceſſorum ejus. Nominavit vero propheta Edomitas in ſpecie ut infeſtiſſimos populi Judaici hoſtes. — — Videt igitur in ecſtaſi heroa il-

 lum,

1. Quis ille qui venit ex Idumaea? rubris veſtibus ex Bozra? veſtitu ſplendido, erecto capite *b*) incedens pro virtute ſua eximia? — — Ego defenſor veritatis, ſervator omnipotens. *c*) — — 2. Quare rubet veſtis tua ſicuti ei qui torcular calcavit? — 3. Calcavi torcular ſolus, neç quisquam ex gentibus mihi adfuit *d*). Quos (ſc. hoſtes) cum ego iratus calcarem et in indignatione mea contunderem, conſperſa eſt veſtis

lum, et fingit habitum cum eo colloquium. Si verſus 4. et 5. conferuntur cum 15. et ſeqq. capitis LIX. haud obſcure intelligitur prophetam ipſum Deum ſiſtere ut heroa ex pugna cum hoſtibus ſuis reducem. Magnam omnino habet ille locus cum hoc ſimilitudinem. Verum vates pro divino ſuo ingenio nova fictione utitur de eadem re loquens. Utitur autem elegantiſſima allegoria, qua illas victorias cum uvarum calcatione comparat. Quo tropo alias quoque utuntur ſcriptores S. Thren. I, 15. Joel III, 18. ad poenam ſ. ultionem divinam indicandam.

b) Sive *reclinato capite*, ex primaria verbi צעה ſignificatione, cf. Celeb. *Schroederus* in Obſervatt. ad Origg. Hebr. pag. 45 ſeqq.

c) Hebr. *qui loquor juſtitiam*, hoc eſt: ego ille ſum, qui religionem veram contra Antiochum ejusque potentiam defendi — et qui omnibus periculis me objicio, ut populum ſervem.

d) Initio enim iſtius defenſionis ab Aſmonaeis ſuſceptae Judaei nondum foedera cum aliis gentibus contraxerant.

veſtis mea eorum ſanguine *e*), et veſtitus meus eſt contaminatus. 4. Diem enim ultionis conſtitueram, venerat annus, quo meos redimerem. 5. Circumſpiciebam, ſed non aderat qui juvaret. Mirabar, non eſſe qui (me) ſuſtentet, tum mea me virtus ſervavit, indignatio * mea me ſuſtinuit. 6. Conculcavi gentes in ira mea, compreſſi eas *f*) in indignatione mea, effuſo in terram eorum ſanguine. — —

e) נִצְחָ h. l. et in v. 6. *ſanguis*. Sic *οἱ ό*, Syrus et Arabs, nec contextus aliam ſignificationem admittit. Rarior haec vocis ſignificatio poteſt ex lingua Arabica probari, in qua نضح eſt *ſpargere*, *aſpergere*, hinc *ſanguinis* notio ſubſtantivo venit. cf. *Schultenſius* in Animadverſſ. philol. ad h. l.

f) De verbo אֲשַׁכְּרֵם quod h. l. legitur, accurate egit *Scheidius* in Obſervatt. ad ſelecta Vet. Teſt. loca, quae adjectae ſunt ejus Diſſertat. in Canticum Hiskiae pag. 23. ſeqq. Vulgo quidem explicatur ex uſitatiori verbi ſignificatione *inebriavi eos*, tropo ſumto de calice potus inebriantis alias obvio. Sed melius confert *Scheidius* l. c. Arab. سكر *comprimere*. Sic enim ſervatur tropus a torculari deſumtus, quo propheta in toto hoc loco utitur; neque opus eſt mutatione lectionis receptae in אֲשַׁבְּרֵם *confringam eos*, quam Chaldaeus innuit, qui habet: וַאֲדוּשִׁנּוּן בְּחֵמְתִי *conculcabo eos in ira mea*. Codices quidem 27 *Kennicotti* et editio A. 1494 habent אשברם. Sed tamen h. l. lectionem difficiliorem faciliori ex regulis criticis praeferre malim.

SECTIO XV. CAPUT LXIII, 7—LXV. *a*)

7. Jovae benignitatem, ejus laudes celebrabo pro tot ſummis in nos collatis beneficiis, pro tot bonis, quae in Iſraëlitas pro inſigni ſua gratia et miſericordia contulit. 8. Hi ſunt, inquit, meus populus, filii obedientes, igitur eos ſervavit. 9. In adverſa eorum fortuna nunquam * eis adverſatus eſt. Legatus ab eo, miſſus eos defendit. Pro amore ſuo et indulgentia eos vindicavit, per complures annos eorum curam geſſit ſingularem. 10. Illi vero per contumaciam ſuam graviter offenderunt ejus ſanctitatem, hinc factus eſt eorum adverſarius, ut eos ipſe impugnaret. — —

11.

a) Inde a verſu 7. hujus capitis usque ad initium cap. LXV. ſequuntur preces piorum, quibus auxilium divinum implorant propter graviſſimas, quibus affligerentur calamitates. Commemorant priſtina tempora, quibus ſummam erga populum Iſr. curam Deus oſtenderat. — verſ. 15. Deinde deſcribunt mala, quibus premerentur, inprimis perſecutiones propter religionem v. 18. 19. LXIV, 9. 20. Simul tamen teſtantur fiduciam ſuam in Dei potentia ſitam cum confeſſione culpae et ſummae corruptionis plurimorum. Quae omnia temporibus Antiochicis bene conveniunt. Quoad argumentum hae preces magnam habent ſimilitudinem cum illis, quae Cap. LIX, 1 — 15. leguntur, ex qua fortaſſe non improbabiliter colligitur prophetam eadem tempora reſpexiſſe.

11. Recordatur populus ejus *b*) priſcorum temporum Moſis. Ubi eſt, *inquit*, is, qui eum per mare duxit, una cum reliquis coetus ſui ducibus? ubi eſt, qui quosdam ex eo eximiis dotibus inſtruxit? *c*) 12. qui Moſen potenter et glorioſe duxit, qui mare ante eos fidit, eoque aeternam ſibi gloriam comparavit. 13. Qui eos per profunda maris duxit ſicuti equum per loca campeſtria, ita ut non offenderent. 14. Uti pecus in vallem deſcendit: (Jova eum reddidit imperterritum) ita tu populum tuum duxiſti in perpetuam nominis tui laudem. — — 15. Proſpice e coelo, vide e ſede illa tua ſanctiſſima et glorioſiſſima. Ubi eſt zelus ille tuus, quem olim potenter oſtendiſti? amorem tuum intentum et miſericordiam videris nobis prorſus ſubtrahere. 16. Attamen tu es pater noſter. Etenim Abrahamus nos ignorat et Iſraël nos non curat. Tu vero, o Jova, es pater noſter et redemtor inde a temporibus antiquiſſimis. 17. Quare permitteres, ut deflecteremus

b) Quoniam in altero membro hujus verſus manifeſte populus loquitur, hunc quoque ſubjectum eſſe puto in priori membro. Igitur עַמּוֹ nominativus eſt ad יִזְכֹּר referendus, per trajectionem in fine membri poſitus. Simillima eſt conſtructio verſ. 18. ubi nominativus צָרֵינוּ etiam poſt verbum et accuſativum legitur.

c) Reſpicitur ſine dubio ad diſtributionem donorum extraordinariorum, de quibus hiſtoria legitur Num. XI, 25—29.

a viis tuis? ut in animis noſtris ſenſus religionis occal-
leſceret? *d*) Redi ad cultores tuos et tribus tibi ſa-
cras. 18. Propemodum ſibi ſubjecerunt hoſtes noſtri *e*)
populum tibi ſacrum, diripuerunt ſacrarium tuum.
19. Similes ſumus eis quibus tu nunquam imperaſti,
qui nunquam de nomine tuo ſunt vocati. *f*) 20. Utinam
coelo fiſſo deſcenderes monteſque ob adventum tuum
loco ſuo dimoverentur *g*); — CAPUT LXIV,

1. quem-

d) Verba activa, *quare ſeducis nos, quare induras nos?* h. l. manifeſte de permiſſione Dei intelligenda ſunt, Cur ſineres nos longa tyrannide oppreſſos a lege tua deficere? vid. *Glaſſii* Philol. S. edit. novae pag. 242.

e) Accentus h. l. male poſiti ſunt. Atnachus poni debebat poſt צָרֵינוּ. Nominativus enim facilius ad poſterius membrum repetitur, quam ad prius ſuppletur.

f) Sic verto haec verba ex lectione textus recepta. Sed fateor me malle totam ſententiam in prima perſona enunciare, atque haud ſcio, an quiſque prophetam ſic ſcripſiſſe ſuſpicetur: Sumus tanquam ſi olim non imperaſſes *nobis*, tanquam ſi de nomine tuo non vocati *eſſemus*. Sic quoque legerunt *οἱ ό* et Vulgatus. Attamen quoniam Symmachus, Syrus et Chaldaeus receptam lectionem ſecuti ſunt, atque ea non nimis difficilem explicationem admittit, (nam ellipſis *τοῦ* כ ſaepe obvia eſt) non exiſtimavi eam eſſe deſerendam.

g) Breviter dicam, quid mihi de loco perquam difficili videatur. Capitum diviſio h. l. male facta eſt. Utitur propheta duplici ſimilitudine, qua Dei judicium in hoſtes

1. quemadmodum ignis fomites conflagrat, aut aquam ebullientem efficit; ut hoſtes tui tuam potentiam agnoſcerent, et gentes propter te contremiſcerent, 2. dum inſperata nobis faceres miracula, ſi ad adventum tuum montes dimoverentur. 3. Nunquam enim vel audiendo vel videndo aliquis percepit, praeter te, o Deus, quae facere potes in ſalutem eorum, qui tibi confidunt. 4. *Utinam a*) invenires *inter nos*, qui lubenter

 pie-

ſtes populi ſui exercendum deſcribit. Prima eſt in verbis: *utinam coelo fiſſo deſcenderes* etc.; in quibus manifeſte reſpicit apparitionem Dei terribilem in monte Sinai Exod. XIX, 18. Altera eſt in initio verſ. 1. capitis LXIV. quae ſumta eſt ab igne fomites derepente conflagrante, aut aquam ebullientem efficiente. Sequentia verba: לְהוֹדִיעַ שִׁמְךָ לְצָרֶיךָ ad utramque ſimilitudinem referenda ſunt, et finem indicant, cur Deus ſubito in hoſtium ſuorum terrorem debeat apparere. Verbum קדח *ignem elicere* ſ. *incendere* ſupra adfuit Cap. XXX, 11. — הֲמָסִים vocabulum ἅπαξ λεγ. quid ſit, plane demonſtravit *Schultenſius* in Origg. Tom. I. pag. 65 ſeqq. هشش apud Arabes ſignificat *ſtrepitare*, et dicitur proprie de *rebus aridis*, ut *foliis*, *ramuſculis*, *ſimilibusque inter ſe commixtis et ſtrepitum cientibus*, uno verbo, *fomites*. Sic non opus eſt emendatione critica hujus vocis ex interpretibus antiquis, qui ejus ſignificationem, quod ſaepe factum eſt in rarioribus, ignorarunt.

a) Supplevi *utinam* לו ſic enim aptiſſimus nexus eſt cum altero

pietati ſtuderent et tuarum viarum recordarentur. Sed ecce iraſceris, nam diu jam ab iis aberravimus. Quomodo igitur ſalvi eſſe poſſumus? 5. Nos omnes ſumus uti immundi, ut veſtis contaminata eſt juſtitia noſtra, decidimus ut folia, a peccatis noſtris tanquam a vento abrepti. 6. Nemo te invocat, nemo ad te reconciliandum feſtinat. Igitur nobis quoque gratiam tuam ſubtraxiſti. Tradidiſti * nos peccatis noſtris. — — 7. Attamen, o Jova, tu es pater noſter, nos lutum ſumus, tu figulus, nos omnes formaſti. 8. Ne nimium iraſcaris! ne in perpetuum iniquitatis noſtrae recorderis. Reſpice, quaeſumus, ad nos, tuum populum. 9. Urbes tibi ſacrae, ſunt deſertae, Sion vaſtata eſt, Hieroſolyma deſtructa. 10. Aedes ſacra, decus noſtrum, in qua te majores noſtri celebrarunt, igne combuſta eſt, et loca nobis gratiſſima deſolata jacent. 11. An ad haec te continebis, o Jova, ſilebis et nos nimium affliges?

SECTIO XVI. CAPUT LXV. et LXVI. *a*)

1. Quae-

tero membro hujus verſus. Sed ſubeſt ſuſpicio extare illud ipſum לוּ in textu, modo male junctum praecedenti voci et mutatum in לו, cum tamen contextus verſus tertii requirat לְךָ uti etiam Syrus vertit. Conjectura eſt, de qua alii judicent.

a) Reſpondet Deus ad praecedentes preces, ita ut defendat judicii ſui ſeveritatem, de qua Judaei afflicti conqueſti fue-

1. Quaeror ab iis qui me *antea* non quaeſiverunt, reperior ab iis qui me non deſiderarunt, offero me genti quae me non invocavit *b*). 2. Expandi etiam manus meas quotidie ad gentem rebellem, quae vitae rationem ſequebatur peſſimam ſuis conſiliis obtemperans. 3. Quae iram meam perpetuo provocabat. Homines ſacrificantes in hortis et in te-

fuerant. Primo ſe non alienum eſſe ab exhibenda gratia, dummodo eam homines non repudiarent, quod appareat ex vocatione gentilium ad ſuam eccleſiam, quae eis ex mera gratia contigiſſet. v. 1. Sed juſtitiam ſuam voluiſſe ut in populo Iſraëlitico puniret ſummam ingratitudinem, qui inde a longiſſimis temporibus graviſſimis ſceleribus ſeſe polluiſſet, et propterea poenas illas meruiſſet 2 — 8. Nec tamen ſe propterea totum populum eſſe reprobaturum, ſed velle ſe ſibi ſervare in eo quosdam fideles et probos, quibus ſua poſſet beneficia conferre, quando iſtos impios (ad quos iterum v. 11. per Apoſtrophen ſermo convertitur) ſevere ſit puniturus. Tandem in nova oeconomia verſ. 17 ſeqq. feliciſſima tempora promittit.

b) Hunc verſum de vocatione gentilium explicandum eſſe, non ſolum apparet ex verſ. 2. ubi עַם סוֹרֵר opponitur גוי in primo verſu, ſed etiam ex epiſtola ad Rom. X, 20. 21. ubi Paulus hunc locum ſic explicat atque ex illa ipſa oppoſitione argumentatur. — In verbo שְׁאָלוּ abſorpta videtur ſyllaba ני in ſequenti voce ea incipiente, quod apparet ex בִקְשֻׁנִי in altero membro.

ctis c) ſuffitum offerentes. 4. Ad ſepulcra ſedentes et
in ſpeluncis pernoctantes, veſcentes carne porcina, et
fruſta ſacrificiorum turpiſſimorum in vaſis ſuis *ge-
ſtantes* *. 5. Qui alios aditu prohibent, ne propius,
inquientes, ad me accedas, nam ſum initiatus: iſti
fumante irae meae igne perpetuo ardebunt. 6. Et-
enim decrevi non diutius differre eorum poenam.
Sed rependam, immo abunde rependam. 7. Non
ſolum veſtra peccata, ſed majorum etiam veſtrorum,
inquit Jova, qui in montibus ſuffierunt et in colli-
bus me probro affecerunt. Retribuam eis abunde
quae commeruerunt. — — 8. Haec dicit Jova:
Quemadmodum uva, in qua muſtum reperitur, non
corrumpi ſolet, propter bonum illud quod continet:
Sic ego quoque agam propter cultores meos, non
omnes perdam. 9. Sed efficiam ut ex Jacobitis et
Judaeis quidam ſuperſint, qui montes mihi ſacros
teneant, immo dilecti mei eos poſſidebunt, meique
cultores ibi habitabunt. 10. In Sarone greges de-
gent et in valle Achoris armentum cubabit populi me
colentis. 11. At vos, qui me relicto montis quoque
mihi

c) In textu eſt: עַל הַלְּבֵנִים *ſuper lateres.* Ex variis horum verborum interpretationibus haec praeferenda videbatur. Tecta enim in oriente, quoniam plana ſunt, ſaepe teguntur lateribus. Ritum vero iſtum ſuperſtitioſum in populo Iſraëlitico etiam alii prophetae reprehendunt. Jer. XIX, 13. XXXII, 29. Zeph. I, 5.

mihi ſacri obliviſcimini, qui Soli menſam inſtruitis et Lunae libamina *d*) paratis, 12. gladio vos addicam, ſupplicio vos omnes afficiemini, quoniam mihi vocanti non reſpondiſtis, loquenti non auſcultaſtis, feciſtis quod mihi diſpliceret, et quod vehementer improbarem egiſtis. 13. Propterea haec dicit dominus Jova: Mei cultores edent, vos eſurietis, bibent, vos ſitietis, gaudebunt *de felici rerum ſuarum ſucceſſu*, vos ſpe veſtra excidetis. 14. Illi prae animi ſui voluptate ovabunt, vos prae mentis veſtrae dolore conqueremini, immo ejulabitis prae nimia animi veſtri conſternatione. 15. A vobis imprecationis formulam ſument amici mei: ita te dominus Jova perdat! De meis vero cultoribus alia formula adhibebitur. 16. Nimirum qui bene precari aliis voluerit, faciet hoc per Deum Fidum. Et qui

d) De Idolis h. l. nominatis *Gado* et *Meni* perquam multa a viris doctis diſputata ſunt. — Vitringa per *Gadum* ſolem intelligit, per *Meni* lunam. Illum Gad vocari ex arabica verbi ſignificatione, qua bonam fortunam ſ. liberalitatem et beneficentiam notat; Min *lunam*, quae et Graecis μήνη vocatur. Sic apud *Suïdam* et *Heſychium* μήνη ἡ σελήνη. Eſt vox hebraea a מנה *numerare*, quod plerique populi temporum ſuorum menſuram fecerunt ſecundum annum *lunarem*, non ſolarem, ut et ipſi Hebraei. Prolixe de h. l. egit *Petrus Zornius* in Opuſculis S. Tom. II. pag. 609 ſeqq. ubi in diſſertatione Huetio oppoſita eandem ſententiam defendit, adductis omnium fere interpretum ſuper hoc loco conjecturis.

qui juraverit, per Deum Fidum jurabit, priorum enim calamitatum erit oblivio, auferentur e conſpectu meo. — 17. En! novum coelum et novam terram creabo, priorum non amplius recordabuntur *e*) aut eorum memoriam recolent. 18. Sed perpetuo gaudebunt et exultabunt propter ea quae ſum creaturus. 19. Efficiam enim, ut Hieroſolyma exultet et incolae ejus gaudeant; immo ipſe ego laetabor de Hieroſolyma ejusque incolis. Non amplius luctus aut clamores in ea audientur. 20. Non naſcetur ibi infans ad paucos dies vivens, nec ſenex erit, niſi qui ſummam aetatem attingat. Puer habebitur, qui centeſimo anno morietur, et qui centenario minor obierit ſingulari Dei judicio videbitur ſublatus *f*).

21. Do-

e) Novi caeli novaeque terrae creatio neque de deſtructione hujus univerſi, neque de futura felicitate poſt haec tempora eſt explicanda, in quam non cadunt, quae verſ. 21. et 22. leguntur. Sed indicatur nova oeconomia temporum Nov. Teſt. ſive praedicatio et propagatio religionis Chriſti, cum inſigni commutatione, quam ubique ſit productura. Sed hujus admodum ſublimem et poeticam dedit propheta deſcriptionem, in qua minime ſingularum imaginum aut verborum explicatio quaerenda, aut nimis urgenda eſt.

f) Hebr. וְהַחוֹטֶא בֶּן־מֵאָה שָׁנָה יְקֻלָּל Omnes omnium interpretum explicationes valde contortae ſunt, ſi vulgaris ſignificatio verbi חטא *peccavit* retinetur. Sed

ſi

21. Domos quas exſtruxerint, habitabunt, et vinearum ab eis conſitarum fructus quoque percipient. 22. Non aedificabunt *domos*, quas alii inhabitent; nec *vineas* plantabunt, quarum proventu alii veſcantur. Populus enim meus in aetate ſua ſimilis erit arboribus, et quod laboraverint dilecti mei, eo etiam fruentur. 23. Non incaſſum laborabunt, nec liberos gignent infelices; cum ipſi, tum eorum poſteri felices erunt meo beneficio. 24. Antequam me invocant, ego exorabor, et adhuc loquentes exaudiam. 25. Lupus et agnus una paſcent, leo cum bove veſcetur ſtramine, et ſerpens pulverem comedet. Nemo nocebit alteri, nemo damnum inferet in monte meo ſancto, inquit Jova.

CAPUT LXVI, 1. Haec dicit Jova: Coelum thronus meus eſt, et terra pedum meorum ſcabellum, qualem igitur domum mihi exſtruetis, aut qui locus erit in quo quieſcam? 2. Effeci ut iſta omnia exiſterent, inquit Jova. — Reſpicio humilem, animo afflictum, meorumque praeceptorum reverentem. 3. *Niſi quis ita eſt affectus*, qui bovem immolat, non magis mihi placet, quam qui hominem interficit; qui agnum ſacrificat, quam qui canem jugulat; qui fertum affert, quam qui ſanguinem porcinum offert; qui thus adolet,

quam

ſi primaria ſignificatio ſubſtituitur *aberravit a ſcopo* حطي quae et in codice hebraeo obvia eſt Jud. XX, 16. et Prov. VIII, 36. omnis difficultas diſparet. Quod acute vidit S. R. *Doederlein.*

quam qui idolo ſuffitum facit. Cum igitur iſtis ſua agendi ratio valde placeat, atque adeo turpiſſima ſua vita delectentur, 4. ego quoque ex malis eorum voluptatem capiam, et quod timent eis adducam, quoniam me vocantem noluerunt audire, neque dictis meis obtemperare; ſed potius fecerunt quae mihi diſplicerent, et quae vehementer averſarer ea prae aliis elegerunt. — — 5. Vos vero, qui Jovam reveremini, audite quae dicit: *a*) Dicunt quidem fratres veſtri vos odio perſequentes et coetibus ſuis ejicientes: a nobis Deus digne colitur. Sed fiet ut nos de veſtra felicitate gaudere poſſimus, cum iſti confundantur. 6. Auditur tumultus ex urbe, clamor ex templo, vox Jovae rependentis ſuis hoſtibus. —

7. Sed

a) Verba videntur directa ad Chriſti diſcipulos, idem enim dicunt, quod eis Jeſus praedixit Joh. XVI, 2. *ἀποσυναγώγους ποιήσουσιν ὑμᾶς.* Quod ipſum eſt נדה proprie de eo uſurpatum. — — Sequentia verba ſunt hominum iſtorum pharifaicorum ſua ſanctitate externa ſuperbientium: *propter hanc fidei profeſſionem, quam nos tenemus, Deus recte glorificatur ſ. colitur;* pro יְכַבֵּד legendum videtur יִכָּבֵד — *At videbimus laetitiam veſtram,* ſunt verba prophetae eos conſolantis. Quae *laetitia* ſunt vindiciae piorum, cum iſti eorum hoſtes puniuntur. Quam explicationem confirmat ſequens verſus ſextus, in quo praedicitur Deum eſſe hoſtes exſuſcitaturum, qui iſtos hypocritas tam in urbe quam in templo perderent, et templum ipſum et urbem deſtruerent.

7. Sed pariet Sion antequam parturiat, antequam partus dolores ſentiat marem enitetur *b*). 8. Quis hoc unquam audivit? aut tale quid vidit? Ut uno die terra oriatur, ut gens ſimul exiſtat. Sed Sion vix enixa peperit natos ſuos. 9. Num ego, qui *in aliis* partum promoveo, ipſe non pariam? inquit Jova. Num qui alias foecundas reddo, ipſe ero ſterilis? dicit Deus tuus. 10. Laetamini de Hieroſolyma, gaudete de ea omnes ejus amici, vehementer de ea gaudete, omnes qui antea eam luxiſtis. 11. Percipite jam ſolatium, quod abunde vobis ſuppeditabit. Participate de voluptate ejus, qua ex dignitatis ſuae ſplendore fruitur. 12. Haec enim Jova promittit; Magnam ei felicitatem largiar. Aliarum gentium divitiae in ea confluent, his jam fruamini! Illa quidem

b) Alterum argumentum conſolationis: Nempe vocatio gentium, quae cum pia eccleſia Judaica ſ. Sione unam quaſi familiam deberent conſtituere. Partes Allegoriae, qua propheta utitur ad explicandum, difficiles non ſunt: *Sion mater* eſt eccleſia, et *liberi* quos parit ſunt gentiles ei aſſociandi. Miratur propheta Sionem ſine doloribus, qui alias partum praecedunt et comitantur, parere, nempe quoniam praedicatio evangelii Chriſti inter gentes celerrimos progreſſus faciebat. Ratio vero *partus illius tam facilis* redditur verſu 9. An ego, inquit Deus, qui huc usque tot gentes genui et generationibus omnibus praeſedi, hoc tempore continerem Sionem, cujus partus aliarum gentium partubus videri debet excellentior?

dem materno amore vos ſuſcipiet, fovebit, ſuſtentabit. 13. Ut filium mater ſolatur, ita vos ſolabor, dum ex Hieroſolyma ſolatium percipietis. 14. Quae cum videritis, gaudebitis, et membra veſtra inſtar graminis vireſcent, potentiam enim meam ſentient mei cultores, uti indignationem mei adverſarii. — — 15. In igne vero apparebo, tempeſtate tanquam curru vectus, magna cum irae vehementia rependam, mea judicia ignes erunt flammantes. 16. Immo cum flammante gladio judicia exercebo in omnes homines, et magnus erit numerus a me occiſorum. 17. Qui ſemet conſecrant et purificant in lucis, Achadum c) palam ſectan-

c) Non poſſum a me impetrare ut in hoc loco criſin exerceam atque adeo ea opus eſſe putem. Non me movet diſſenſus interpretum antiquorum, qui vel rem eis obſcuram per verba aeque obſcura verterunt, vel aliter legerunt, quod nolim prorſus negare. Sed quis ex ſingulis ſingulorum lectionibus diverſis novam cum aliqua veri ſpecie exſculpat? Conjecturae vero in hujus generis locis, cujus noſter eſt, magis quam in ullo alio mihi quidem videntur incertae. Quoniam igitur lectionis receptae dari poteſt explicatio non improbabilis, eam quoque ſervandam exiſtimavi, donec *Kennicottii* Codicum hebraeorum collatio aliam meliorem offerat. Conſentiunt autem fere inter ſe Viri Doctiſſimi, qui hujus loci obſcuritati lucem accendere allaborarunt, *Seldenus*, *Druſius*, *Voſſius*, *Bochartus*, alii, *Achad* h. l. eſſe nomen Idoli, quo

ſectantur, qui carnem ſuillam, alia abominanda, et mures comedunt, ad unum omnes auferentur, inquit Jova. 18. Novi enim omnia quae agant et cogitent *d*). Inſtat tempus, quo omnes gentes et nationes congregentur, ut meam videant majeſtatem. 19. Signum eis dabo, nempe mittam quosdam ex illis qui ſervati ſunt *e*) ad gentes Tarteſſum Phulem et Ludum, ſagittarios

quo Aſſyrii *ſolem* coluerint. Teſtimonium, ex quo inprimis hoc probatur, extat apud *Macrobium* Saturnal. Lib. I. Cap. 23. Cujus cum pauca verba ſint, ea adſcribam: *Accipe quid Aſſyrii de ſolis potentia opinentur. Deo enim, quem ſummum maximumque venerantur, Adad nomen dederunt, ejus nominis interpretatio ſignificat unus.* — — אַחַר אֶחָד *poſt Achadum* i. q. ſectari Achadum. Dicendi formula de vero et falſo cultu religioſo uſurpata. *Ire poſt Jovam* Hoſ. XI, 10. *poſt alios Deos* Jer. VII, 9. Ezech. XIII, 3. Fortaſſe reſpicitur etiam ad pompam ſolemnem, qua interdum ſimulacrum illud vehiculo ferebatur ſequente multo populo, uti *Macrobius* l. c. narrat. — בַּתָּוֶךְ *in medio* i. q. palam.

d) Eſt apoſiopeſis ex contextu facile ſupplenda: *abominor ea* ſ. *puniam.*

e) Manifeſte h. l. agit de praedicatione Evangelii inter gentes. פְּלֵיטִים igitur, *qui evaſerunt* ſ. *ſervati*, vocantur omnes qui ex Judaeis in Chriſtum crediderunt. — *Signum*, quod Deus dicitur erigere inter has gentes, *Vitringa* explicat de donis extraordinariis Sp. S. ut ſigno miſſio-

tarios Thubalem et Javanem ad terras remotiſſimas, quae nihil unquam de me audiverunt, nec de mea majeſtate cognoverunt, ut eam his gentibus annuntient.
20. Illi igitur adducent magnum fratrum *f*) veſtrorum numerum ex omnibus gentibus mihi ut oblationem, cum equis, curribus, pilentis, mulis et dromadibus, ad montem meum ſanctum Hieroſolymae, inquit Jova, quemadmodum Iſraëlitae oblationes offerunt in vaſis mundis ad templum meum.
21. Atque ex illis quosdam ſacerdotes et Levitas *g*) conſtituam, inquit Jova.
22. Quemadmodum enim coelum novum et terra nova, quae creaturus ſum, perpetuo durabunt: ita et progenies et memoria veſtra perſiſtent.
23. Tum ſingulis menſibus et ſingulis ſabbatis omnes homines liberum coram me adorandi aditum habebunt.
24. Et videbunt cadavera iſtorum defectorum ad aeternos cruciatus et perpetuum ignem damnatorum foras projecta cum deteſtatione.

miſſionis Apoſtolorum, quibus ſibi aditum inter gentes faciebant.

f) *Fratres* vocantur gentiles reſpectu cognationis ſpiritualis eundem Deum patrem in Chriſto Jeſu venerantes et adorantes.

g) In nova oeconomia omne diſcrimen tribuum et familiarum ceſſabit, omnes ſacerdotio digni et apti erunt.

JERE-

JEREMIAS

SECTIO I. CAPUT I

1. Hiſtoria Jeremiae Hilkiae filii, ex ſacerdotibus Anathotenſibus in terra Benjaminitica. 2. Quocum Jova locutus eſt anno tertio decimo Joſiae, Ammonis filii, regis Judaeae, 3. nec non ſub Jojakimo rege Judaeae filio Joſiae usque ad finem undecimi anni Sedekiae Joſiae filii regis Judaeae, cujus anni quinto menſe Hieroſolymitani in captivitatem abducti ſunt. a) — — 4. *Primum* Jova me hunc in modum allocutus eſt: 5. Antequam in utero formatus eſſes, te novi; antequam in lucem eſſes editus, te conſecravi, gentiumque prophetam deſtinavi. 6. Ad haec, mi domine Deus, inquiebam, arte loquendi non valeo, nam puer ſum. 7. Sed Jova mihi reſpondit, noli te ob pueritiam tuam excuſare. Eundum tibi eſt, quocunque te mittam, et dicenda, quaecunque tibi praecipiam. 8. Ne eos timeas, tibi enim

a) Haec eſt inſcriptio prioris partis libri, quae nempe continet fata et ſermones prophetae durante republica habitos, usque ad Cap. XL. in quo altera pars incipit, quae etiam novam habet inſcriptionem. Nam Jeremias munere ſuo etiam ultra regnum Sedekiae functus eſt.

enim adero ut te defendam, inquit Jova. 9. Tum manu os meum tangens dixit: en! verba mea ori tuo indidi. 10. Vide! te hodie gentibus et regnis praefeci ad diruendum, evertendum, perdendum, deſtruendum, ad aedificandum et plantandum. *b*) — — 11. Deinde me interrogavit, quid viderem. Cumque me amygdalum videre reſpondiſſem, 12. Recte vidiſti, inquit, curabo enim ut dicta mea mature impleantur. *c*) 13. Iterum Jova me allocutus ex me quaeſivit, quid viderem. Reſpondi, me videre ollam ebullientem, cujus pars anterior ab aquilone conſpiceretur. 14. Ex aquilone, inquit Jova, erumpet malum contra omnes hujus terrae incolas. 15. Etenim convocabo omnes Septentrionis nationes, quae caſtra ſua ad Hieroſolymae portas ponent, eamque et omnia omnino Judaeae oppida oppugnabunt. 16. Tum poenas repetam ab eis tot eorum ſcelerum,

b) Verba activa h. l. de notificatione ſ. praedictione ſunt intelligenda, ex Hebraiſmo, de quo eſt regula apud *Glaſſium* p. 216.

c) Paronomaſia eſt in his verbis, quae, uti ſimiles, in verſione non poteſt exprimi. שָׁקֵד eſt amygdalus (de qua *Celſius* egit in Hierobot. P. I. p. 297.) a שָׁקַד *promtus, alacris fuit*, quia illa arbor florem et fructus prae aliis arboribus feſtinat ſ. maturat. Cum igitur Jeremias dixerat ſeſe videre שָׁקֵד Deus reſpondet שֹׁקֵד אֲנִי עַל דְּבָרִי

rum, cum me relicto ſuffitum obtulerint diis aliis et effica ab ipſis ſimulacra adoraverint. 17. Tu vero promte et alacri animo eloquere eis omnia, quae tibi praecepero. Noli eos extimeſcere, quod tibi perniciosum futurum eſſet. 18. Inde ab hoc tempore ſimilem te facio urbi munitae, columnae ferreae, muro aheneo, toti huic terrae infeſto, regibus Judaeae, ſacerdotibus omnibusque ejus incolis. 19. Pugnabunt quidem adverſus te, ſed tibi non praevalebunt. Etenim ego, inquit Jova, tibi adero teque defendam.

SECTIO II. CAPUT II. — III, 6. *a*)

1. 2. Jova me juſſit Hieroſolymae haec proclamare: Recordor, inquit Jova, beneficiorum olim in vos collatorum *b*), quomodo vos arctiori vinculo mihi junctos ama-

a) Videtur hic prophetae ſermo, qui deſinit Cap. III, 6. quod ex nova illius loci inſcriptione apparet, omnium eſſe primus, revelatus quidem Anathoti, habitus vero Hieroſolymae. Eſt vero totus elencticus, et reprehendit inobedientiam et defectionem populi a Deo, a quo tamen ſummis affectus erat beneficiis. Directus eſt non ad regnum Judae tantum, ſed ad univerſum populum, inde ab eo tempore, ex quo terram promiſſam erat ingreſſus. Duae ejus partes poſſunt conſtitui. Prior occaſionem et rationem reprehenſionis exponit v. 2-8. Poſterior reprehenſionem ipſam v. 9 - fin.

b) In textu eſt חֶסֶד נְעוּרַיִךְ *amoris juventutis tuae*, quod plurimi

amaverim, cum me duce deſertum, terram incultam, peragraretis. 3. Tunc ſacri mihi eratis, primitiae meorum proventuum c), quas nemo comedere audebat, niſi hujus ſuae temeritatis gravem poenam dediſſet. 4. Jam porro, o Jacobitae, omnesque Iſraëlitarum familiae audite, 5. quae Jova dicit: Num unquam majores veſtri juſtam cauſam habuerunt, ut me deſerto per ſummam dementiam idola ſectarentur? 6. Cur mei

plurimi interpretes de amore populi erga Deum explicant, quo ab initio Deo deditus fuerit. Sed repugnare videtur contextus, qui totus in eo eſt, ut demonſtret populi ingratitudinem erga ſumma Dei beneficia, cf. verſ. 20. Repugnat quoque hiſtoria, quae ſatis abundeque docet, populum inde ab exitu ex Aegypto, qui ſaepiſſime tempus juventutis ſ. deſponſationis dicitur, contumacem fuiſſe et rebellem. — Igitur חסד intelligo de benignitate Dei erga populum, et ſic quoque ſequens אהבה de amore, quem Deus erga populum oſtendit, dum eum ex tot aliis elegerat, ut ipſi ſacer eſſet, qui vocatur *amor deſponſationis*. — — *Ire poſt Deum* eſt ſub ductu et protectione Dei ire, quem ſenſum etiam contextus probat atque adeo requirit.

c) Sicuti frugum primitiae ex lege levitica Deo ſacrae erant, ita populus Iſraëliticus primus ex omnibus populis ſelectus Deo ſacratus erat. In ſequenti membro propheta tropum continuat. Primitias qui comedebat, reatum contrahebat. Sacerdotibus Deo ſacris tantum eis veſci licebat. Sic, inquit propheta, qui Iſraëlitis adverſabatur, Dei hoſtis erat.

mei non memores fuerunt, qui eos ex Aegypto egreſſos duxerim in deſerto, in loco ſterili et arenoſo, in loco ſicco et periculis pleno, in terra a nemine peragrata aut habitata. 7. Habitandam vobis tradidi terram cultam, cujus fructibus praeſtantiſſimis veſceremini. Sed vos hanc terram meam contaminaſtis, regionem mihi ſacram reddidiſtis abominabilem. 8. Sacerdotes me non curarunt, qui ſe legis peritos profitebantur, me ignorarunt. Principes a me defecerunt, prophetae per Baalem ſunt vaticinati, et confiſi ſunt ei, qui nullo modo prodeſſe poteſt. — — 9. Propterea *uti olim* ita nunc amplius vos veſtrosque poſteros redarguam. 10. Abite ad Chittaeorum inſulas et videte, mittite ad Cedarenos et diligenter conſiderate, videte an tale quid factum ſit. 11. Num mutarit gens Deos, qui tamen dii non ſunt. Sed populus meus mutavit id, quod ſummae ei gloriae eſt, cum eo a quo nullam habet utilitatem. 12. Obſtupeſce coelum ad hoc! vehementer conſternare, inquit Jova. 13. Duplex enim ſcelus commiſit meus populus: me fontem aquae perennis reliquerunt, et ciſternas ſibi exciderunt fractas, quae aquam tenere non poſſunt. — — 14. Num ſervus eſt Iſraël, num verna *d*)? cur igi-

d) Haec pars reprehenſionis pertinet ad regnum Judae, quod ex exemplo regni Iſraëlitici diſcere debebat, et ſibi cavere a ſimili poena ei eventura. Igitur verſu 14. dicit propheta

tur eſt direptus? 15. Leones rugientes terram ejus vaſtarunt, urbes ita deſtruxerunt, ut nemo eas inhabitet. 16. Ita et tibi Memphis et Daphne erunt pernicioſae *e*). 17. Idque propterea, quod Jovam Deum tuum deſeris eo tempore, quo te in rectam viam ducere cupit. *f*) 18. Quid eſt quod in Aegyptum abis ad Nili aquas bibendas? *g*) aut quod Aſſyriam petis ad Euphratis aquas hauriendas? 19. Tua te malitia caſtigabit, puniet te tua improbitas. Videbis atque intelliges, quantorum malorum cauſa ſit, quod me Deo tuo deſerto omnem mei timorem abjeceris, inquit Dominus Jova omnipotens. - - 20. Sed jam olim jugi impatiens fuiſti * ruptisque omnibus vinculis te nemini ſubjectum eſſe velle declaraſti. Hinc etiam ſuper omni colle elato, aut ſub arbore viridi, ut ſcortum tui copiam *h*) facis.

21. Ego

pheta, Iſraëlitas ſ. decem tribus aeque populum Dei eique aeque caras fuiſſe quam reliquos Judaeos.

e) Applicat propheta exemplum regni Iſraëlitici ad regnum Judae, et minatur ei ab Aegyptiis, quibus magis quam Deo fidebat, nil niſi damnum expectandum eſſe.

f) Reſpicit reformationem eccleſiaſticam a Joſia inſtitutam 2 Reg. XXIII.

g) vid. *Faber* ad Harmarum P. II. p. 311. qui ex praeſtantia aquae Nili, quae ei ab Aegyptiis tribuitur, verba explicat.

h) De verbo צעה vid. *Schroederus* in Obſervatt. ad Orig. Hebr. p. 41. Bis adfuit in Jeſaia Cap. LI, 14. LXIII, 1.

21. Ego vero te plantaveram ex vitibus praeſtantiſſimis et ſemine optimo; quomodo degeneraſti in vitem alienam? 22. Si vel nitro lavaris et ſmegma *i*) copioſe tibi adhibes, tamen altius inuſta *k*) tua iniquitas perpetuo mihi ob oculos verſatur. 23. Quomodo enim negare audes te idolorum cultu eſſe pollutum? vide modo quid in valle *Hinnom* peragere ſoles. Annon ſimilis ſis camelae velocis vias ſuas ſubinde repetentis. *l*) 24. Aut onagrae ſilvis adſuetae, quae prae libidinis aviditate anxie ſpiritum

 ducit,

i) Hebr. בֹּרִית de quo vid. *Celſius* in Hierobot. P. I. p. 449.

k) Verbum *ἅπαξ λεγ.* נִכְתָּם non eſt *occultari*, ſ. *abſconditum eſſe*, ſed in lingua Syriaca eſt: *ſignavit*, *cicatrices impreſſit*.

l) Varie explicatur verbum שָׂרַךְ tantum h. l. obvium. Arab. شرك *colligavit*, *connexuit*, hinc ſine dubio Hebraeorum שְׂרוֹךְ *corrigia*, quod ſoleam plantae pedis connectit, ſ. alligat. Jam phraſis *connectere vias* minime coacte, uti arbitror, de curſu celeriori et repetito explicatur, quo camela tempore aeſtus libidinoſi marem ſequitur. cf. v. 36. Notio *aſſociandi*, quae hoc verbo de idololatria dicitur, quam *Schultenſius* ad h. l. transfert, minus apta videtur, propter additum ſubſtantivum *vias*, etſi, de quo non dubitatur, idololatriae inſana cupiditas reprehenditur. *Lud. de Dieu* ex linguae Aethiopicae uſu hujus verbi, vertit *ferotinat vias ſuas*, h. e. in tenebris mavult, quam plena luce incedere; quod etiam nimis longe petitum videtur.

ducit, cujus occurſum nemo poteſt inhibere. Non diu quaerenda eſt, menſe ſuo *m*) eam paratam invenient. 25. Noli te adeo impudenter denudare, aut nimis avide ſitim reſtinguere. Non, inquis, non poſſum me continere, quin alienos amores inſequar. 26. Ut pudet furem deprehenſum, ſic pudebit Iſraëlitas, eorum reges, principes, ſacerdotes, prophetas. 27. Qui arborem patrem ſuum vocant, et lapidem genitorem. Qui cum mihi tergum obverterint, non faciem, tamen calamitatis tempore ad me clamant, meumque implorant auxilium. 28. Ubi igitur ſunt dii veſtri, quos vobis feciſtis? Adſint, ſervent vos tempore adverſo; Quot enim urbes, tot deos habetis, o Judaei! 29. Quid conquerimini de me? omnes a me defeciſtis, inquit Jova. 30. Fruſtra afflixi filios veſtros, nullam admittunt diſciplinam. Gladius veſter ſaeviit in prophetas inſtar leonis crudelis. — — 31. O homines attendite ad id quod vobis nomine Dei dicam: An nulla a me commoda percepit Iſraël? an auxilii lucem ei ſubtraxi? quid igitur recuſat meus populus ad me accedere et mavult ultro citroque divagari? *n*) 32. Virgo quidem deſponſata non obliviſcitur

m) *Menſem* intelligo de menſe onagrae, quo libidine maxime ardet: ut ſolent animalia libidinis ſuae certa habere tempora.

n) רָדְנוּ *ultro citroque vagabimur*, quae notio primaria eſt verbi

ſcitur ornatus et mundi ſui, ſed populus meus mei immemor eſt inde a longo tempore. — — 33. Quid ornas te ad amorem meum tibi conciliandum, cum omnem tuam vitam ita inſtruis, ut eo ſecurius omnia ſcelera patrare poſſis? *o*) 34. Terra tua *p*) conſperſa eſt ſanguine pauperum innocentum, quos nunquam criminum reos deprehendiſti. 25. Atque tamen his non obſtantibus, *q*) dicis: purus ſum, avertat a me iram

verbi רוד hinc eſt notio *pabulandi* et *deſiderandi*, vid. *Ikenii* Symbol. litt. Tom. III. p. 574. et *Schroederus* in Obſervatt. ad Origg. Hebr. p. 9.

o) Sic *Venema* locum hunc difficilem explicavit: לְכֵן non eſt h. l. *propterea*, ſed infinitivus in Hiphil a כּוּן pro לְהָכֵן (ut Dan. II, 35. לַהְלְבֵּן pro לְהַלְבֵּן) *ad confirmandam malitiam.* Phraſis לַמֵּד אֶת־דֶּרֶךְ eſt: *ſe vel alios in ſuis inſtitutis obfirmare et inſtruere:* quae Conjugationis Piel ſignificatio illuſtrari poteſt ex v. 24. לִמֻּד *aſſuetus.* — Reprehendit propheta hypocriſin populi, qua poſt Joſiae reformationem externae vitae emendationem ſimulabant.

p) בִּכְנָפַיִךְ *in oris tuis*, ſc. terrae tuae. Subeſt enim ellipſis *τοῦ* ארץ quod aliis locis additur, e. g. Jeſ. XXIV, 16. כְּנַף הָאָרֶץ et Jeſ. XI, 12. כַּנְפוֹת הָאָרֶץ

q) Verba ultima verſus 34. כִּי עַל כָּל־אֵלֶּה jungo cum ſequenti verſu et עַל explico per *quantumvis*, *non obſtante*, quam ſignificationem ei adſtruxit *Schultenſius* ad Jobum Cap. X, 7. Convenit cum Arabico علي Vulgarem

iram ſuam. En! propter id ipſum te puniam, quod te peccaſſe negas. 36. Quid tam anxie diſcurris et eandem viam repetis? In Aegypto non minus ſpes tua fruſtrabitur, ac in Aſſyria jam falſa fuit. 37. Redibis exinde manibus ſuper caput ſublatis. Vehementer enim improbo iſtam ſpem tuam, nec proſperos ei ſucceſſus largiar. — CAPUT III, 1. Lex quidem praecipit, *a*) ut ſi quis uxorem ſuam repudiaverit, eaque

rem notionem *ſuper*, verbis, etiamſi אלה aliis punctis ſubjectis legas *quercum*, parum aptam eſſe facile intelligitur. Sed ex hac, quam in hac verſione poſui, explicatione, omnia plana ſunt, nec egent emendatione critica, quam quidam ex verſionibus antiquis afferunt.

a) In verbo לֵאמֹר offenderunt cum antiquiores, tum recentiores interpretes. Οἱ ό et Syrus illud omittunt. *Hubigantius* quidem rem inauditam dicit gerundium in oratione eſſe nullo alio verbo id regente. Igitur ſupplet more ſuo quae ei videntur excidiſſe הֵן יֹאמַר לֵאמֹר *en dicendo dicitur*. Sed nihil excidit, neque conſtructio eſt inaudita. Sunt enim ſimillima exempla Joſ. XXII, 11. Jud. XVI, 2. Utique ellipſis ſubeſt ex idiotiſmo linguae, ſed ſcribarum errore nihil deeſt. Frequentiſſima eſt conſtructio per gerundium Hebraeorum, ad quam alii verbum היה alii verbum finitum ejusdem radicis ſupplent. Quod h. l. quoque poteſt admitti: *dicendo dicunt*, et paſſive, ſ. imperſonaliter explicandum eſt. Sicuti a Vulgato interprete recte verſum eſt: *dicitur*, modo non addi-

que ab eo digreſſa alii nupſerit, ille eam nunquam recipiat, ipſa enim terra turpiſſima labe inficeretur. *b*) — — — Tu quidem cum multis amicis ſcortata es, tamen redi ad me, inquit Jova. 2. Attolle oculos verſus loca eminentiora, et vide ubi non ſtuprata ſis. In viis eos (amaſios) expectaſti uti Arabs in deſerto *ſolet inſidiari:* et ſic terram turpiſſima tua ſcortatione inquinaſti. 3. Et quanquam imbres retenti ſint et pluvia verna deficiat, tamen ibi manet frons meretricis et erubeſcere neſcis. 4. Jam quidem me patrem aut maritum tuum appellas, 5. qui non poſſit in perpetuum iram ſervare, aut nimium iraſci. Sed eodem tempore, quo haec precaris, iſta peccata committis a quibus nullo modo potes retineri.

SECTIO

addidiſſet *vulgo*, quod additamentum ineptum eſt, nam manifeſte reſpicitur lex Deut. XXIV, 2. 3. 4. quam propterea quoque in verſione ſupplevi.

b) Pro הָאָרֶץ הַהִיא *οἱ ὁ*, Arabs, Vulgatus legerunt הָאִשָּׁה *ἡ γυνὴ ἐκείνη, numquid non polluta et contaminata erit mulier illa.* Habet quo ſe commendet haec lectio contextui inprimis aptiſſima. Propterea etiam *Hubigantius* eam defendit contra *Maſium*, qui eam rejecerat. Atque ego quoque eam non admittendam cenſeo propter legem Moſaicam ſupra citatam, in qua verſ. 4. haec ipſa ratio affertur, cur ſcelus iſtud admittendum non ſit. Syrus quoque et Chaldaeus exhibent receptam lectionem.

SECTIO III. CAPUT III, 6 — VI. *a*)

6. Regnante Joſia Jova me hunc in modum eſt allocutus: vidiſtine, quae fecerit peccatrix Iſraël; quomodo ſuper montibus altis et ſub arboribus virentibus ſcortata ſit? 7. Quae, cum eam hortarer, licet iſta omnia commiſiſſet, ut ad me rediret, tamen non rediit. Vidit haec perfida ejus ſoror Judaea. 8. Vidit *, inquam, me propter nimia adulteria peccatricem Iſraëlem dimiſiſſe, eique repudii libellum dediſſe *b*), tantum tamen abfuit ut ſibi timeret, ut et ipſa meretricatum abiret. 9. Et quanquam famoſa iſta ſua ſcortatione terram contaminaſſet, cum lapidibus et lignis moechata, 10. ne ſic quidem ad me rediit animo ſincero, ſed fallaci tantum, inquit Jova. — — 11. Porro Jova mihi dixit: Proba videri poteſt peccatrix Iſraël prae perfida Judaea. 12. Age, proclama haec verſus ſeptentrionem: Redi peccatrix Iſraël, inquit

a) Hic prophetae ſermo, qui in Capite VI. deſinit, habitus eſſe videtur non diu poſt praecedentem, cum reformatio Joſiae aliquos in populo effectus produxiſſet, qui vana eum opinione impleverant de emendatione inſigni, quae eum gratia divina dignum faceret. Hunc errorem Propheta refellit, populum peccatorum graviſſimorum convincit, judicia divina imminere praedicit et ad ſeriam poenitentiam adhortatur.

b) Quod factum eſt per abductionem decem tribuum ſub Hoſea in captivitatem Aſſyriacam. 2 Reg. XVII.

quit Jova, non ſeverius in te animadvertam, benignus ego ſum, non perpetuo iraſcar. 13. Modo agnoſce culpam tuam, te contra me Deum tuum peccaſſe et ad alienos Deos ſub quacunque arbore viridi colendos eſſe divagatam, meae vero voluntati nequaquam obtemperaſſe. 14. Revertimini, peccatores, inquit Jova, Quanquam enim vos cum faſtidio rejecerim, tamen vos omnes, ſingulos adeo ex ſingulis urbibus aut gentibus Sionem reducam. 15. Dabo vobis principes mihi probatos, qui vos perite et ſapienter gubernent. — — 16. Quando vero, inquit Deus, in terra veſtra multiplicati fueritis, non amplius mentio fiet arcae foederalis, nec quisquam de ea cogitabit, aut ejus recordabitur, aut eam curabit. Nec alia fabricabitur c). 17. Illo tempore Hieroſolyma erit ſedes Jovae,

c) Multi quidem interpretes hunc locum de abrogatione cultus levitici et temporibus Nov. Teſt. explicant, ſed invito contextu, quod facile poteſt demonſtrari. Etenim promittuntur Iſraëlitis e captivitate reducibus feliciſſima tempora. Non ſolum eis, qui ex captivitate Babylonica, ſed etiam Aſſyriaca eſſent redituri; inſignis gentis multiplicatio, ſtatus reip. proſperrimus Deo defenſore, ad cujus cognitionem aliae quoque gentes eſſent perventurae. verſ. 16 - 20. — Jam vero quis ignorat cultus levitici abrogationem, religionis Chriſtianae propagationem et gentilium ad eam converſionem conjunctam fuiſſe cum deſtructione reip. Judaicae et nova Judaeorum per totum terra:

Jovae, ad quem omnes gentes confluent, ad eum ibi adorandum, nec amplius ſecundum corruptos cordis ſui affectus vivent. 18. Tunc Judaei una cum Iſraëlitis redibunt *d*) ex Septentrione in terram quam majo-

terrarum orbem diſperſione? Igitur non ſatis accurate hae promiſſiones Judaeis datae ad felicitatem eccleſiae Chriſtianae transferuntur. Quod eo minus fieri debebat, quo facilius earum implementum in illis ipſis temporibus, quae claris verbis nominantur, oſtendi poteſt. Defuit quidem templo ſecundo ſymbolum illud viſibile praeſentiae divinae omnibus Iſraëlitis venerandum, arca foederis verſ. 16. Sed Deus multis modis adeo clare monſtravit, ſe curam gerere hujus populi, ut, cum aliae gentes, tum multo magis Judaei eam poſſent agnoſcere, neque aliud benevolentiae divinae ſignum deſiderarent. Quod ipſum in verſu 16. praedicitur. Multiplicationem vero gentis cum in terra ſua, tum in aliis regionibus nemo niſi hiſtoriarum ignarus negabit. — Sic quoque locum hunc explicavit Illuſtris *Michaelis* in notis ad verſionem germ. ubi etiam plura dixit de fatis Judaeorum inter alias gentes et magno proſelytorum numero, digna quae legantur.

d) Recte obſervat laudatus modo Illuſtris *Michaelis* magnam eſſe lacunam in fragmentis hiſtoriae ſacrae, quae de fatis decem tribuum ex captivitate reducum nihil habent, ſed tantum coloniarum Hieroſolymam et in Judaeam redeuntium hiſtoriam, atque hanc quoque admodum breviter narrant. Exiſtimat Vir Celeb. Galilaeam inprimis ab

majoribus eorum dedi poſſidendam. 19. Atque promitto me effecturum eſſe, ut multa ſobole floreatis, ut terra veſtra laetiſſima ſit multisque gentibus deſiderata; ſed ſub hac conditione, ut me tanquam patrem veſtrum colatis, neque a praeceptis meis deflectatis. 20. Profecto enim ut mulier marito ſuo fidem datam fallit: ita vos, o Iſraëlitae, perfide erga me egiſtis, inquit Jova. — — 21. In collibus vox auditur clamantium et deprecantium Iſraëlitarum, qui in vitae ſuae impietate Jovae Dei ſui obliti ſunt. 22. Redite, o filii immorigeri, ignoſcam veſtrae defectioni. — En! nos venimus ad te, *e*) tu es Jova, Deus noſter. 23. Profecto fucus ſunt colles *f*), montes animum reddunt attonitum. Tantum a Jova Deo noſtro ſalus venit

ab exulibus decem tribuum eſſe iterum occupatam, quae etiam inde ab illis temporibus florentiſſima terrae Judaicae pars fuerit, ita ut promiſſiones Iſraëlitis illarum tribuum factae abunde dici poſſint impletae. — Extat peculiaris ſuper hoc argumento libellus *Herm. Witſii*, qui adjectus eſt ejus Aegyptiacis ſub titulo: de decem tribubus Iſraëlis.

e) Reſpondent Iſraëlitae poenitentes ad praecedentem Dei invitationem.

f) h. e. nos deceperunt. Lamed eſt nota eſſentiae, et nominativo etiam praefigitur, vid. *Glaſſii* Philol. S. p. 588. — — הָמוֹן notat *vertiginem animi aeſtuantem*, h. l. ſtatum animi valde turbatum et attonitum, ab הָמָה *aeſtuavit.*

venit Iſraëli. 24. Majores noſtri, quantum recordari poſſumus, in turpiſſimam iſtam idololatriam laborum ſuorum fructus inſumſerunt, greges et armenta ſua atque adeo liberos ſuos. 25. Turpitudine oppreſſi ſumus, ignominia tecti, quod nos aeque ac majores noſtri inde a primis juventutis annis usque in hunc diem contra Jovam Deum noſtrum peccavimus, nec dictis ejus morem geſſimus. CAPUT IV, 1. Si ad me redieris, o Iſraël, inquit Jova *a*), redibis *etiam in patriam*, et ſi idola tua abominabilia removeris, non amplius exulabis. 2. Tunc jurabis per Jovam vere, juſte, ſancte; atque etiam aliae gentes ſe in eo felices praedicabunt et de eo gloriabuntur. — — — 3. Judaeis vero et Hieroſolymitanis dicit Jova: Parate agrum ſementi, nec ſerite inter ſpinas. 4. Vosmet mihi circumcidite et cordis veſtri praeputium removete, o Judaei et incolae Hieroſolymae, ne inſtar ignis erumpat ira mea atque inextincta ardeat propter mentis veſtrae pravitatem. — — 5. Nuntiate per Judaeam *b*) atque Hieroſolymae proclamate, ut tuba clangatur per totam terram, ut alta voce ubique indicetur ad urbes munitas eſſe fugiendum. 6. Erigite vexilla verſus Sio-

a) Verſſ. 1. et 2. reſpondet Deus ad praecedentes populi promiſſiones, et monet ut modo ſeriae eſſent, etc. תָּשׁוּב eſt in Dilogia.

b) Ab hoc verſu usque ad 15. eſt deſcriptio imminentis oppugnationis Hieroſolymae a Nebucadnezare.

Sionem, confugite ad aſylum ſine mora, ego enim ingentem calamitatem invecturus ſum e Septentrione. 7. Aſcendit leo e luſtro ſuo, perdens gentes. Egreditur e loco ſuo ad terram tuam vaſtandam, ad urbes tuas ita deſtruendas, ut nemo eas inhabitet. 8. Propterea veſtitu lugubri induti plangite et ejulate, quod vehementior illa Jovae ira a nobis averti non poteſt. 9. Illo tempore, inquit Jova, rex et principes animum deſpondebunt, ſacerdotes terrore erunt perculſi, et prophetae obſtupeſcent. — 10. Tum ego, o Domine Jova, inquam, permiſiſti, ut hic populus civesque Hieroſolymitani vehementer deciperentur, dum illis pax promittebatur, cum tamen gladius ubique graſſetur. — 11. Illo tempore indicabitur huic populo atque Hieroſolymae, ventum aeſtuoſum per deſerti cacumina r) tendere verſus eum, non ad ventilandum aut purgandum d). 12. Ventum eſſe vehementiorem, quam qui his uſibus inſerviat. Poenas enim jam de eis ſumam. 13. En aſcendit ut nubes, turbinis ſimiles ſunt ejus currus, velociores aquilis ſunt equi — heu nobis!

r) Chaldaeos comparat cum vento illo orientali omnia adurente et perdente, *Smum* dicto, de quo cf. *Michaelis* Quaeſtiones Arab. p. 44. et *Niebuhr* in Deſcriptione Arab. p. 7.

d) Haec intelligenda ſunt ex moribus Orientis. Areas exſtruunt ſub dio in loco aperto et vento expoſito, eoque excelſo, ut ventus paleam diſpergere poſſit. vid. *Paulſen* Relatt. de agricultura Orientalium p. 142.

nobis! perimus. 14. Emenda, o Hieroſolyma, tua vitia, ut ſerveris. Quousque vana ſpe te lactabis? 15. Nuntius venit e Dané, triſtis nuncius ex montanis Ephraimi. 16. Indicate omnibus, annunciate Hieroſolymae, cuſtodes venire e regione longinqua, qui contra Judaeae urbes clamorem tollent. 17. Ut agrorum cuſtodes eam ubique cingent, nam contra me rebellavit, inquit Jova. 18. Summa tua corruptio in cauſa eſt, ut malum iſtud adeo grave ſit futurum, ut extremam tibi perniciem minetur. — — 19. Viſcera mihi *e*) dolent, praecordia mea turbantur, cor meum adeo me angit, ut tacere non poſſim, quia tubae clangorem bellique ſtrepitum ubique audio. 20. Clades cladem ſequitur. Tota illa terra jam vaſtata eſt, mox et meorum tentoriorum vela auferentur. 21. Quousque videbo iſta vexilla? quousque audiam tubae ſonum? — — 22. Profecto ſtulte agit meus populus, me non curat: Dementes ſunt liberi, non prudentes. Sapientes ad malum, ad bonum indocti. — — 23. Terram adſpicio *f*) et en! vacuam et deſertam, coelum intueor, ſed obſcuratum. 24. Montes conſidero: en moventur, et colles trepidant. 25. Nullibi homo conſpicitur, adeo aves aufugerunt. 26. Arva amoeniſſima inculta jacent, urbes deſtructae ſunt per iram

e) Sunt verba prophetae conquerentis patriae ſuae miſeriam usque ad v. 21.

f) Iterum propheta Deum interpellat usque ad v. 26.

iram meam ferventem. — — 27. Haec porro Jova minatur: Tota haec terra vaſtabitur, nec tamen prorſus eam perdam. 28. Propterea luget terra, et coelum eſt obſcuratum. Nam quod ego pronunciavi et decrevi, non mutabo, neque ab eo deducar. 29. Propter tumultum equitum et ſagittariorum tota urbs (Hieroſ.) aufugit, in ſilvis ſe occultarunt, ad petras adſcenderunt, omnes omnino urbes ſunt deſertae ab incolis ſuis. 30. Tu igitur, o vaſtate! quid facies? ſi vel purpuream veſtem induas et auro te ornes, ſi vel ſtibio tuos pinxeris oculos, fruſtra te pulcram reddere ſtudes, ſpernunt te amaſii tui, optant tuum interitum. 31. Hinc audio vocem quaſi parturientis, clamorem quaſi primo parientis, vocem filiae Sionis, ſuſpirantis, manus ſuas expandentis: heu mihi, exanimor ab interfectoribus. CAPUT V, 1. Circuite vicos Hieroſolymae, videte et diligenter inquirite in plateis ejus, num ſit aliquis qui jus ſervet, fideique ſtudeat, tum ero ei propitius. 2. Quanquam enim per me jurant, falſo tamen jurant. — — 3. Aſt tu, o Jova, verum noſti. Affligis eos, ſed non dolent, conficis eos, nolunt admittere correctionem, faciem habent ſaxo duriorem, renuunt poenitentiam agere. 4. Equidem exiſtimabam pauperes modo deſipere, qui legem et praecepta Dei ignorent. 5. Adibo, inquiebam, principes, hos alloquar, hi Jovae legem Deique ſtatuta norunt. At enim vero hi quoque ad unum omnes ju-

gum fregerunt, ruperunt vincula. — — 6. Propterea trucidabit eos leo ſilveſtris, vaſtabit eos lupus veſpertinus, urbibus eorum inſidiabitur pardus, ita ut quicunque ex iis egreſſus fuerit, dilaceretur. Multa enim ſunt eorum delicta, graviſſima eorum peccata. 7. Quomodo haec tibi potero condonare? Filii tui me relicto jurant per falſos Deos, a me ſatiati adulterant et in lupanari turmatim conveniunt. 8. Equis bene paſtis et indomitis *a*) ſimiles ſunt, alter alterius uxori adhinnit. 9. Num in iſta non animadvertam? inquit Jova: num de tali gente poenas non repetam? — — 10. Aſcendite pedamenta ejus *b*) et perdite, ita tamen ut

a) Hebr. מְיֻשָּׁכִים vulgo vertitur *matutini* a שׁכם ſed tunc eſſe deberet מַשְׁכִּימִים et contractioni tali repugnat analogia. Aquila, Symmachus, Theodotion vertunt: *ἕλκοντες*, *trabentes*, a משך, *equi* vero *trabentes* ſtilo Arab. dicuntur *equi inciati rapidi*: Sic *Schultenſius* in Animadv. philol. ad h. l. *Lud. de Dieu* in Critica S. ad h. l. etiam derivat a מָשַׁךְ ſed explicat per *ire*, *incedere*, quam ſignificationem huic verbo ex pluribus locis adſtruit, et ſic h. l. *ut equi bene paſti incedunt.*

b) Sunt verba Dei ad Chaldaeos. In quibus metaphora eſt ſumta a vite, cujus palmites longe lateque diffuſi et pedamentis ſuſtentati fulciuntur. Hunc tropum ſubeſſe his verbis apparet ex ſequenti נְטִישׁוֹת quod haud dubie de vitium palmitibus dicitur. Igitur שָׁרוֹת h. l. non ſunt *muri*,

ut non omnia auferatis: Tollite propagines ejus, nam mei non ſunt. 11. Fidem mihi datam fallunt Iſraëlitae et Judaei, inquit Jova. 12. Me abnegant, ſed nihil, inquiunt, ex eo mali metuendum eſt, c) nulla nobis calamitas eveniet, bellum et famem non experiemur. 13. Vanae erunt iſtae prophetarum minae, ne ſunt quidem divinae. Sic fiat ipſis! — — 14. Propterea ſic dicit Jova Deus omnipotens. Quoniam iſti ita ſentiunt, juſſa quae tibi dedero, erunt quaſi ignis, populus vero iſte materia ab eo conſumenda. 15. En ego adducam contra vos, o Iſraëlitae, gentem remotam, inquit Jova, gentem fortem et antiquam,

muri, ſed *pedamenta*, ab Arab. سار *aſcendit*, hinc ſubſtantivum *Suratou*, quod etiam ſic extat Geneſ. XLIX, 22.

c) In textu eſt; *et dicunt* לֹא הוּא quae verba duplicem admittunt explicationem. Vel, *nihil hoc*, (ſic enim utrumque vocabulum ſaepe dici, non opus eſt ut probetur) h. e. nihil in eo vitii eſt, nihil mali ex eo eſt metuendum. Vel, ut הוּא ad יהוה referatur; *non ille*, ſc. eſt. Sic ut הוּא *κατ᾽ ἐξοχὴν* dictum ſit, pro *vero Deo* (de qua pronominis הוּא emphatica ſignificatione vid. *Glaſſii* Philol. S. pag. 153.) Priorem explicationem praefero, quoniam non videntur deſcribi, et fortaſſe nec extiterunt unquam inter Iſraëlitas, athei ſic dicti theoretici, ſed practici, homines profani, dictis prophetarum fidem non habentes, quod etiam ſequens membrum plane dicit. Et ſic priora verba: *Jovam abnegant*, etiam tantum de abnegatione per vitam impiam ſunt intelligenda. cf. v. 19.

gentem cujus linguam ignoratis, quam loquentem non intelligitis. 16. Cujus pharetra eſt ſepulcrum apertum, omnes ſunt bellatores. 17. Haec abſumet meſſem veſtram, panem comedet liberis veſtris ſuſtentandis deſtinatum, comedet pecus et armentum veſtrum, vites et ficus veſtras, ferro exſcindet urbes munitas, quibus confiditis. 18. Sed ne tunc quidem vos penitus perdam, inquit Jova. — — 19. Quodſi ſcire velint, cur ego ita illis facturus ſim, reſpondebis: quemadmodum relicto Jova Deo veſtro, peregrinis Diis in terra veſtra ſerviiſtis, ita aliorum ſervi eritis in terra peregrina. 20. Dicite hoc Jacobitis, proclamate hoc per Judaeam: 21. Audite homines ſtulti, et vecordes, qui oculos habetis, nec videtis, qui aures habetis, nec auditis. 22. Num me timere non debebatis, inquit Jova, num ad iram meam non contremiſcere? qui arenam mari terminum conſtitui, limites aeternos quos non egrediatur, et quamvis commoti fluctus agitentur, nec tamen terminum illum poſſunt ſuperare. 23. Sed iſti homines rebelles ſunt et contumaces, et tales ſe ſemper gerunt. 24. Nunquam ita apud ſe cogitant: Timeamus Jovam Deum noſtrum, qui pluviam autumni et veris nobis dare debet et ſeptimanas meſſi deſtinatas fructuoſas efficere *d*). 25. Etenim iniquitates ve-

d) Septem hebdomadibus meſſi deſtinatis magna eſt in Palaeſtina coeli ſerenitas frugum collectioni perquam opportuna. Quam ut inſigne Dei beneficium propheta h. l. commemorat. vid. *Michaelis* Jus Moſaicum P. IV. p. 128.

veſtrae illa bona a vobis avertunt et peccata veſtra ea prohibent. 26. Sunt enim in populo meo impii, qui obſervant alios, ut aucupes inſidiari ſolent; qui foveas ſtruunt hominibus, in quibus capiantur. 27. Ut cavea plena eſt avibus, ſic domus eorum bonis refertae ſunt dolo acquiſitis, hinc opes eorum et divitiae. 28. Pingueſcunt et niteſcunt, nec modum ſtatuunt ſcelerum. Cauſam nullius agunt, nec cauſam pupilli. Proſpere illis omnia ſuccedunt, nec tamen pauperi patrocinantur. 29. Num in iſta non animadvertam? inquit Jovâ: an de tali gente non poenas repetam. 30. Stupenda eſt hujus terrae corruptio. 31. Prophetae falſo vaticinantur, ſacerdotes horum opera et auxilio dominantur. Et populus meus his omnibus annuit. Quousque tandem ruetis? CAPUT VI, 1. Fugite ad aſylum, Benjaminitae, relinquite Hieroſolymam, Thekoae tuba canite et Bethcheremi vexillum erigite. Etenim malum exoritur e Septentrione, imo gravis calamitas. 2. Amoeno et opimo paſcuo aſſimilavi Sionem. 3. Ad quod paſtores venient cum gregibus ſuis, et tentoria ſua ubique in eo figentes quisque locum ſuum depaſcet. — — 4. Oppugnationem parate a) — Aſcendamus hac ipſa meridie. Heu nobis,

a) Verba Dei ſunt ad Chaldaeos directa, qui in ſequentibus loquentes inducuntur ſeſe mutuo cohortantes ad oppugnationem Hieroſolymae alacriter et ſine mora ſuſcipiendam.

bis, quod majores umbrae, diei vergentis indicia adſunt. 5. Sed quidni noctu aſcendamus et deſtruâmus ejus palatia? — 6. Immo ſic jubet Deus omnipotens: ligna caedite et Hieroſolymae aggerem admovete: haec enim eſt urbs, a qua ultio ſumetur, quae tota violentia eſt repleta. 7. Ut fons aquam ſcaturit, ſic illa violentiam ebullit. Vis et direptio perpetuo in ea auditur, nil niſi damnum et violentiam video. — — 8. Reſipiſce, Hieroſolyma, ne cogar tibi omnem meum amorem ſubtrahere; ne te ita vaſtari jubeam, ut prorſus inculta terra ſuperſit. 9. Haec dicit Jova omnipotens: prorſus racemabunt uti vitem Iſraëlitas ſuperſtites. Redite ut vindemiator cum qualis *b*). — 10. Ad quem me convertam? quem obteſter ut audiat? Aures eorum obſtructae ſunt, ut audire non poſſint, contumelioſe tractant verbum Dei, nec ullo tenentur ejus deſiderio. 11. Propterea iram Jovae graviſſimam, quanquam invitus, annuncio. Effunde, (inquit Jova, iram meam) in parvulos et juvenes, viri aeque ac foeminae capientur, ſeneſcentes non minus, quam qui jam aetate ſunt provecti. 12. Eorum domos, agros, mulieres alii poſſidebunt, poenas enim ſumam de omnibus hujus terrae incolis, inquit Jova. 13. Infimi aeque ac ſummi omnes lucro dediti ſunt, prophetae juxta

b) Apoſtrophe ad Chaldaeos, in qua metaphora continuatur a vindemia ſumta, cui depraedationem urbis comparaverat.

juxta ac ſacerdotes nefarie agunt. 14. Conſiderant populi mei calamitatem ut rem levem. Pacem promittunt, cum nil minus quam pax expectanda ſit. 15. Tam turpis facti pudere eos debebat. Sed quid dico eos pudere? immo pudoris nihil iis reſtat. Propterea inter reliquos occiſos, tum cum poenas ſummam, cadent et corruent, inquit Jova. 16. Ita enim eos admonere ſolebam: State juxta vias, videte et quaerite de ſemitis antiquis, quaenam ſint viae illae rectae; has ingredimini, et loca, in quibus abunde vobis omnia ſuppetant *c*), invenietis. Sed negarunt ſe hoc facturos eſſe. 17. Speculatores eis praefeci, et juſſi ad tubae ſonum attendere. Sed noluerunt attendere. 18. Propterea vos jam compello, gentes, videte homines, quales iſti ſint. 19. Audi, terra, adduco contra hos homines poenam, quae eorum vitae reſpondeat. Juſſa enim mea non attenderunt, legem meam ſpreverunt. — — 20. Quorſum mihi thus ex Arabia allatum? et canna odorifera e terra remota? holocauſtis veſtris non delector, neo ſacrificia veſtra mihi placent. 21. Propterea haec dicit Jova: Struam contra hunc populum impedimenta, in quibus offendant patres et filii, propinqui et amici pereant,

22.

c) מַרְגּוֹעַ tantum h. l. extat. Significat locum copiae et abundantiae, ab رجع redire, quod deinde de *reditu repetito rerum*, quae *utiles*, *gratae* et *jucundae* ſunt, uſurpatur. cf. *Vriemoet* ad dicta claſſ. V. T. Tom. I. p. 79.

22. Nimirum populus veniet e Septentrione, populus magnus excitabitur ex extremis terris. 23. Arcu et haſta eſt armatus, crudelis, immiſericos, ſtrepitum excitat inſtar maris, equis vehitur, acie inſtructa ut fortes bellatores incedit adverſus te, o Sion! — 24. Ad famam ejus animus nobis excidit, metu et dolore correpti ſumus, qualis eſt parturientis. 25. Ne rus exite, ne iter facite, nam hoſtilis gladius ubique eſt timendus. — 26. O filia populi mei, veſtitum lugubrem indue, voluta te in cinere, luctum ede ac ſi unicum filium lugeres, luctum acerbiſſimum, repente enim in nos vaſtator irruet. — — 27. Lapidem lydium te conſtitui *d*) in populo meo arcis munitae, accu-

d) In textu hebraeo eſt: בָּחוֹן נְתַתִּיךָ בְעַמִּי מִבְצָר quae vulgo vertuntur: *turrim ſpeculatoriam te conſtitui in populo meo munitam.* Sed parum apte convenit haec comparatio cum verbis proxime ſequentibus: *cognoſce et explora viam eorum.* Quod ſi facere debebat, in turri ſpeculatoria conſtituendus erat: non cum ea comparari. — Equidem malim בחון explicare per *lapidem lydium*, quod manifeſte propheta in ſequentibus metaphoram a metallis ſumtam continuat. Dictum vero fuiſſe verbum בחן hac de re, apparet ex Jeſ. XXVIII, 16, et ex ſignificatione verbi primaria *laevigare*, *terere*, de qua *Schultenſius* egit ad Harir. II. p. 95. Sic etiam intellexerunt *οἱ ό· δοκιμαστὴν δέδωκά σε*, et Vulgatus: *Probatorem dedi te.* — — מִבְצָר conſtruo cum עַמִּי atque explico de arce munita Sionis, ita ut periphraſis ſit civium Hieroſolymitanorum.

curate explora quales ſint. 28. Omnes ſunt defectores contumaciſſimi, fraudulenti, aenei, ferrei, omnes perditiſſimi. 29. Vehementer agitatûr follis, plumbum ab igne eſt conſumtum, fruſtra purgatio tentatur, mali non auferuntur. *c*) 30. Argentum reprobum ſunt, nam ego eos repudiavi.

SECTIO IV. CAPUT VII — X. *a*)

1. 2. Juſſit Jova Jeremiam in porta templi haec pronunciare: Audite, vos Judaei omnes, qui hanc portam ingredimini ad Jovam adorandum. 3. Haec dicit Jova omnipotens Iſraëlitarum Deus: emendate vitam moresque veſtros, tunc efficiam, ut hunc locum quiete inhabitetis. 4. Ne fidem habeatis dictis mendacibus, dum clamant, templum Jovae! templum Jovae! templum

c) Allegoriae, qua propheta utitur, cui occaſionem dediſſe videtur, quod Deus verſ. 27. eum cum lapide lydio comparaverat, ſenſus eſt: Deum omnia tentaſſe, dura etiam media adhibuiſſe, ut aurifaber in purgandis metallis, ad populum emendandum, ſed ſine fructu.

a) Editum videtur hoc vaticinium ſub initium regni Jojakimi, poſt reformationem eccleſiae a Joſia inſtitutam, cujus fructus omnes periiſſe videntur. Nam Cap. VII, 17. 30. 31. idololatria manifeſte Hieroſolymae, atque adeo in templo patrata dicitur, quod temporibus Joſiae minime convenit. Deinde Cap. VII, 27. dicuntur Judaei rejicere ſermones Jeremiae, ad eos prorſus non attendere, quae ſummam populi corruptionem arguunt.

plum Jovae! *b*). 5. Etenim ſi vitae veſtrae rationem
emendaveritis, ſi jus inter homines ex aequo dixeri-
tis, 6. ſi abſtinueritis ab omni injuria pupillis et vi-
duis illata, ſi caedes hoc in loco non commiſeritis, ſi
alios Deos non colueritis, quod ſemper vobis perni-
cioſum fuit, 7. tunc faciam ut tranquille poſſideatis
hanc terram, quam majoribus veſtris perpetuo poſſi-
dendam aſſignavi. — — 8. Sed vos creditis dictis
mendacibus nullo modo profuturis. 9. Quin immo
c) furamini, occiditis, adulteratis, pejeratis, ſuffitis
Baali, et omnino alios Deos vobis ignotos ſectamini.
10. Et tum venitis et comparetis coram me hac in ae-
de a me nominata, et ſic putatis ab culpa eſſe libera-
ti. — — Quae tanta ſcelera cum a vobis commit-
tantur, 11. neceſſe eſt, ut vobis haec aedes, quae ex
nomine meo vocatur, latronum ſpelunca eſſe videatur.
Quod non inultus feram. 12. Abite Siluntem, ad eum
locum, in quo olim ſacra mihi fiebant: et videte,
quae ei propter Iſraëlitarum impietatem fecerim. —

13.

b) Perſuadebant falſi prophetae populo, propter templi ſanctitatem Deum non permiſſurum eſſe, ut locus ei ſacratus profanetur.

c) *Lud. de Dieu* ad h. l. tribuit τῷ ה ſignificationem *intenſivam; quam maxime inter vos obtinet furari.* Sic alias quoque Jer. XXXI, 20. 1 Sam. II, 27. 1 Reg. XVI, 31. Poteſt tamen etiam *interrogative* explicari: *Num furari, occidere* etc. *poteſtis?* v. 10. *et tamen in aede mihi ſacra comparere?*

13. Jam igitur quoniam vos iſta omnia facitis, inquit Jova, quanquam vos continuo et ſine intermiſſione dehortatus ſim, nec mihi monenti obtemperatis: 14. Ego quoque huic aedi a me nominatae, cui vos adeo confiditis, atque huic terrae, quam vobis et majoribus veſtris dedi poſſidendam, idem faciam quod Siluntî. 15. Vos repudiabo, quemadmodum repudiavi populares veſtros, Ephraimi poſteros. — 16. Noli igitur orare pro iſtis hominibus, aut precibus tam ſerio apud me pro iis intercedere. Ego te non audiam. 17. Vidiſtine quod facere ſoleant in Judaeae urbibus et plateis Hieroſolymae? 18. Filii ligna colligunt, patres incendunt ignem, et mulieres maſſam fermentatam depſunt, ex qua placentas *d*) faciant lunae. Libami-

d) Hebr. כַּוָּנִים quod bis legitur, h. l. et infra Cap. XLIV, 19. Conſentiunt fere viri docti *placentas* fuiſſe in honorem idoli a cultoribus ejus factas et oblatas; a verbo כּוָה *uſſit*, *frixit*. Imaginem idoli his placentis impreſſam fuiſſe Judaei narrant, et probabile ſit ex Cap. XLIV, 19. ubi placentae iſtae fieri dicuntur לְהַעֲצִבָה ad *effingendam* reginam coeli: *οἱ ό* retinent vocabulum hebraeum: *τοῦ ποιῆσαι χαυῶνας τῇ στρατιᾷ τοῦ οὐρανοῦ*: Vulg. *ut faciant placentas reginae coeli.* Syrus: *ad faciendum* ܟܘܢܐ *placentas ad cultum coeli.* De ſpecie vero idololatriae, de qua h. l. ſermo ſit, cf. *Spencerus* de Legg. Hebr. rit. Lib. III. Diſp. 4. p. 804. edit. Tubing. et *Petrus Zornius* in Biblioth. Antiq. exeget. T. I. p. 797.

bamina offerunt diis alienis, indignationem meam
verentes. 19. Sed quid? an me tantum irritant
quit Jova, et non potius ſe ipſos cum ſumma ſui
fuſione? 20. Propterea haec dicit dominus Jova
mea magno cum impetu effundetur in hunc locun
homines et beſtias, in arbores et terrae fruges, e
debit inextincta. 21. Multiplicate, inquit Jova o
potens Deus Iſraëlitarum, holocauſta et ſacrifici
ſtra, quantum voletis. Vos carnem comeditis, *e*
ego. 22. Majoribus veſtris, cum eos ex Aegypto
cerem, nihil praecepi de holocauſtis et ſacrif
23. Sed hae erant leges, quas eis dedi: Nimirum, ut
obtemperarent, tum me eorum Deum futurum
illos meum populum: et ſi ſecundum voluntatem m
vitam ſuam inſtituerent, tunc eos felices eſſe futu
24. Sed non obtemperarunt, nec aurem praebuer
ſed ſua conſilia mentisque ſuae peſſimae obſtinatio
ſecuti, tergum, non faciem obverterunt. 25. Ind
eo tempore, quo majores veſtri ex Aegypto eg
ſunt, usque ad hunc diem, nunquam intermiſi pro
tas ſervos meos ad vos mittere. 26. Sed me non
diviſtis, nec morem mihi geſſiſtis, quin etiam maj

*) Innuitur Judaeos exiſtimaſſe Deum ſacrificiis recrea
delectari, ut homo qui carne veſcitur. Senſus ve
rum eſt: Alium ex ſacrificiis veſtris fructum non h
bitis, quam ut carnem comedatis ipſi. Mihi prop
non probamini.

bus veſtris fuiſtis pertinaciores. — — 27. Quae cum eis dixeris, *quanquam te non audient, cum ſic eos monueris, et ne reſpondebunt quidem:* 28. Tunc ita perges: Hic eſt iſte populus, qui non vult Jovae Deo ſuo morem gerere, nec ullam admittere diſciplinam. Apud quem omnes fides periit, immo prorſus eſt exciſa. — — 29. Tonde *f*) comam et abjice, tolle ſuper locis editis lamenta. Nam Jova averſatur et deſerit populum cui indignatur. 30. Judaei, inquit, me graviter offenderunt. Poſuerunt idola ſua turpiſſima in aede a me nominata; quo facto foede polluitur. 31. Exſtruxerunt excelſa Tophet in valle filii Hinnom *g*) ut igne comburant filios filiasque ſuas. Quae tantum abeſt ut eis praeceperim, ut ne in mentem unquam venerint. 32. Propterea futurum eſt aliquando, inquit Jova, ut iſtud Tophet et vallis filii Hinnom non amplius ſuo nomine vocetur, ſed vallis caedis, et ſepelient in Tophet alio loco non ſuppetente. 33. Cadavera praeterea iſtorum hominum depaſcentur ab avibus rapacibus et feris agreſtibus, nec erit qui eas abſterreat. 34. Et ſic auferam ex urbibus Judaeae Hieroſolymaeque plateis omnes gaudii et laetitiae clamores et laeta jubila ſponſi

f) Alloquitur Sionem ut foeminam. Mos vero erat lugentium, tondere caeſariem. cf. Job. I, 20.

g) De Tophet vid. Jeſ. XXX, 33. et hiſtoriam ejus in *Bachiene* Deſcript. Palaeſtinae Vol. II. P. I. p. 312 ſeqq.

ſponſi ſponſaeque. Nam tota haec terra vaſtabitur.
CAPUT VIII, 1. Illo tempore, inquit Jova, ejecta e
ſepulcris oſſa regum Judae, principum, ſacerdotum,
prophetarum civiumque Hieroſolymitanorum, 2. expo-
nentur ſoli, lunae, reliquisque aſtris coeleſtibus, quae
adamarunt, coluerunt et ſectati ſunt; quae conſulta-
runt et adorarunt. Nec iterum collecta ſepelientur, ſed
humum ſtercorabunt. 3. Tum mori quam vivere opta-
bilius erit paucis iſtis reliquiis nationis hujus peſſimae,
quae in locis illis, ad quae eas diſpulero, ſuperabunt:
inquit Jova omnipotens. — 4. Porro eis meo nomine
dices: Num quis ita cadit, ut non reſurgat, aut ita
deficit, ut non reſipiſcat? 5. Cur igitur populus iſte
Hieroſolymitanus in defectione ſua perſeverat atque
in perfidia ſua adeo pertinax eſt, ut redire nolit?
6. Diligenter attendi, num forſan recte ſentire inci-
piant, ſed nullus eſt, quem malitiae ſuae poeniteat,
ut diceret quid feci? omnes concitato curſu pergunt,
ut equus in praelio praeceps ruit. 7. Ciconia quidem
novit tempus ſuum, turtur, hirundo et luſcinia *a*) ob-
ſervant adventus ſui tempus, ſed populus meus mea
ſtatuta ignorat. 8. Quomodo igitur ſapientiam ve-
ſtram jactatis, aut gloriamini vos legem meam tenere?
En! quot ſtilo mendaci doctores *b*) *veſtri* mendacia fin-
gunt!

a) Cf. not. *i.* ad Jeſ. XXXVIII, 14.

b) Ad verbum eſt: profecto mendacia facit ſ. operatur ſti-
lus mendax ſcribarum. In ſequenti verſu poena eorum
deſcribitur.

gunt! 9. Sed iſti ſapientes, ſuae falſitatis convicti, poenas dabunt. Et quomodo ſapientes eſſe poſſunt, qui legem meam contemnunt? — 10. Propterea tradam mulieres agrosque eorum aliis poſſidendos. Etenim cum ſummi, tum infimi, omnes turpi lucro inhiant. Prophetae aeque ac ſacerdotes fraudulenter agunt. 11. Habent populi mei calamitatem pro re levi. Fauſta omnia promittunt, quanquam nulla boni obtinendi ſpes ſit. 12. Cujus impietatis pudere eos debebat, ſed omnem pudorem depoſuerunt, quid ſit erubeſcere neſciunt. Propterea cadent inter alios occiſos, corruent, quando poenam de iis ſumam, inquit Jova. 13. Immo prorſus eos perdam. Non uvam in vite, non ficum in ficu relinquam, omnia folia marceſcent, tradam eos *hoſtibus qui* omnia auferent *c*). — — 14. Quid hic deſidemus? *d*) coeamus, recipiamus nos in urbes munitas, ubi tuti ſumus. Jova Deus noſter nos propter peccata noſtra perdit, potum nobis praebet aquae amarae. 15. Bona expectavimus, ſed fruſtra. Meliora tempora, ſed terror augetur. 16. Inde a Dane auditur ronchus equorum ejus (Aſſyrii). Ad hinnitum equorum ejus, tota terra concutitur.

 Ve-

c) עבר proprie dicitur de *flumine inundante*, deinde metaph. de *hoſte invadente et auferente omnia.* Ante יַעַבְרוּם ſupplendum eſt אשר.

d) Verba ſunt eorum, qui in oppidis minoribus habitabant et in urbibus munitis ab hoſte tutos fore exiſtimabant.

Veniunt regionem et quae ea continentur, urbem et ejus incolas conſumturi. — — 17. Immo mittam in vos baſiliſcos incantari neſcios, qui vos mordeant, inquit Jova. 18. O quae mihi renides ſuper dolore *e*): in me cor meum condoluit! — — 19. En querulam vocem populi mei e terra longinqua: Num Jova non amplius adeſt Sioni? Num regem non habet? — — *Si Deus et rex eorum ſum*, quid me ſculptis ſuis ſimulacris diisque peregrinis irritarunt? — — 20. Meſſis praeteriit, aeſtas eſt peracta, necdum liberati ſumus. — 21. Propter tantam popularium meorum calamitatem vehementer doleo. Pullatus incedo pudore correptus. 22. Num reſina non eſt in Gileaditide? num nullus ibi medicus? Cur igitur non procedit ſanatio populi mei? 23. Utinam caput meum ſat aquae haberet! oculique mei lacrimarum fontem, ut diu noctuque deflere poſſim popularium meorum confoſſos.

CAPUT

e) Explicatio haec loci difficilis eſt *Schultenſii* ex Diſſertationibus ejus, de verbis et ſententiis ambigua et duplici ſignificatione valentibus, quarum excerpta quaedam dedi ad *Glaſſium* p. 1325. Eſt nempe in his verbis Syllepſis ex duplici ſignificatione verbi בלג *renidere*, *μειδιᾷν*, ſive vero riſu, ſive in dolore riſum mentiente. Hinc ſenſus verborum eſt: Tu, Sion, quae antea dicta mea irriſiſti, jam alium riſum ridere cogeris, riſum Sardonium. Ultima verba: עָלַי לִבִּי דַוָּי per Mimeſin verba Sionis ringentis et prae acerbitate dolorum exclamantis exprimunt.

CAPUT IX, 1. Utinam ſcirem in deſerto diverſorium, relicturus eſſem populares meos et ab eis diſceſſurus, omnes enim ſunt adulteri (idololatrae), coetus hominum perfidorum. 2. Tendunt linguae ſuae arcum mendacio, non veritati, inſolenter ſe gerunt erga alios. Subinde pejores fiunt, me vero non curant, inquit Jova. 3. Quisque ſibi ab altero cavere debet, ne fratri quidem fides haberi poteſt; Nam et frater fratrem ſupplantare et amicus amicum defraudare non dubitat. 4. Alter alterum inſultat, nec vera loquuntur, docent mentiri, atque hac ſua iniquitate laſſantur. 5. Habitas * in medio hominum fallaciſſimorum, qui prae fallendi ſtudio recuſant mihi obedire, inquit Jova omnipotens; 6. Propterea eos amplius probaturus ſum *a*), ſicuti jam probavi: quid enim aliud facere poteram propter populi mei * impietatem? 7. Lingua eorum eſt veluti ſagitta acuta, fraudem loquuntur. Ore quidem amicitiam erga alios ſimulant, ſed in pectore ſtruunt inſidias. 8. Num in iſta non animadvertam? inquit Jova. Num de tali gente poenas non repetam? 9. Propter montes

 fle-

a) In verbis צרף et בחן eadem ſimilitudo eſt a purgatione metallorum, quae ſupra adfuit Cap. VI, 29. Intelliguntur minora mala ſub regibus Joſia et Jojakimo, quibus Deus populum emendare ſtuduerat. In verbo ובחנתים quod de tempore praeterito loquitur, Vau vertendum eſt per *ſicuti*.

b) flebunt et lugebunt, propter paſcua deſerti dolebunt, ita enim vaſtabuntur, ut nemo eo iter faciat, ut pecoris clamores non amplius audiantur, ut volucres aeque ac alia animalia aufugiant. 10. Quin etiam Hieroſolymam redigam in tumulum, in draconum domicilium, urbes vero Judaeae ita deſtruam, ut incolis careant. — — 11. Quis eſt ita ſapiens, ut hoc poſſit explicare, aut ex divina revelatione indicare, cur haec terra in tantam ſit redacta vaſtitatem, ut nemo eo iter faciat? 12. Atqui Jova dicit: Quod lege mea neglecta, quam eis dederam, meae voluntati non obtemperarunt. 13. Sed pro animi ſui pertinacia idola ſectati ſunt, prouti a majoribus ſuis fuerunt edocti. 14. Propterea ſic dicit Jova omnipotens, Iſraëlitarum Deus: En! cibabo hunc populum abſinthio, potabo eum aqua fellea. 15. Diſpergam eum inter alias gentes ei et majoribus ejus ignotas, et tum quoque eum gladio ad internecionem usque perſequar. — — 16. Circumſpicite, ſic Jova jubet, unde praeficas convocetis, artis ſuae peritas. Veniant, 17. et ſine mora de nobis naenias dicant, ut lacrimas fundere, ut acer-

b) In textu eſt prima perſona אֶשָּׂא בְכִי quam nonnulli interpretes prophetae eſſe putant, qui dicat ſe lugere velle patriae ſuae vaſtationem. Sed poſſunt etiam eſſe verba Dei, ſi verba activa de permiſſione explicantur, (Glasſius p. 207.) idque melius videtur propter verſum ſequentem.

acerbe dolere poſſimus: *c*) 18. Vocem lamentantem ex Sione audimus: o nos vaſtatos! pudet nos vehementer terram nobis linquendam fuiſſe, ex ſedibus noſtris nos eſſe ejectos. — — 19. Audite mulieres quod Jova jubet, diligenter attendite ad ea quae dicit: docete filias veſtras lamenta, altera alteram naenias. 20. Mors per feneſtras noſtras ingreſſa eſt, noſtraque palatia invadit. Infantes in vicis et juvenes in plateis trucidat. — — 21. Porro nomine meo dices: cadavera humana disjecta jacebunt in terra, ut ſtercus in agro, ut manipuli poſt meſſorem, colligente nullo. 22. Ne ſe jactet, inquit Jova, ſapiens de ſua ſapientia, nec fortis de fortitudine ſua, nec dives de divitiis ſuis. 23. Sed qui ſe jactat, jactet mei cognitionem. Nimirum me Jovam eſſe, qui benignitatem, aequitatem et juſtitiam in terrarum orbe exerceat. His delector, inquit Jova. 24. Futurum autem eſt, ut animadvertam in circumciſum aeque ac in eum qui praeputium habet. 25. In Aegyptios, Judaeos, Edomitas, Ammonitas, Moabitas, in eos qui comam tondent *d*) et deſer-

c) Sequitur formula carminis praeficarum.

d) קְצוּצֵי פֵאָה Hac phraſi Jeremias praeter h. l. bis adhuc deſcribit Arabes ſcenitas Cap. XXV, 23. XLIX, 32. de quibus *Herodotus* narrat Lib. III. Cap. 8. eos in honorem Bacchi comam in orbem tondere circumraſis temporibus. Morem illum ſuperſtitioſum interdixit Deus Iſraë-

deſertum incolunt. — — Quae quidem gentes omnes praeputium habent; ſed Iſraëlitae corde ſunt praeputiati. CAPUT X, 1. Attendite, Iſraëlitae, ad id quod Jova vobis dicit *a*). 2. Ita vero vos hortatur: No

Iſraëlitis Levit. XIX, 27. XXI, 5. Quam legem Illuſtris *Michaelis* in Iure Moſaico P. IV. p. 359. non ſolum de tonſura comae, ſed etiam myſtacis explicat, quem putat hebraice פאה dictum eſſe, primo quoniam Moſes l. c. illud פאה τῷ זקן junxit: *ne perdas* אֵת פְּאַת זְקָנֶךָ ex quo colligit פאה non poſſe eſſe *comam*, ſed *myſtacem*. Deinde quoniam in lingua Syriaca hoc vocabulum פאתא *myſtacem* ſignificat, et recentiores peregrinatores teſtantur Arabes myſtacem vel amputare, vel tondere. Quae quanquam veriſſime a Viro Illuſtri obſervata ſunt, tamen adhuc ſubdubito an פאה abſolute poſitum hebraice myſtacem ſignificarit. Etenim eo ipſo in loco Levitici, Moſes in priori legis parte interdixit tondere פְּאַת רֹאשׁ deinde in altera פְּאַת זְקָן. Adjuncta igitur vocabula videntur determinare veram τοῦ פאה ſignificationem. Quid igitur, ſi nude ponitur, ut in locis citatis Jeremiae? Syriaca verſio non ſufficiens lumen affert illuſtrandae obſcuritati, nam in his locis eadem vocabula habet, quae textus hebraeus. Etiam Levit. XIX, 27. in poſteriori membro; in priori vero פאת explicat per סער. In Nov. Teſt. ſemel occurrit Apoc. I, 16. ubi in textu graeco eſt ὄψις Ex quorum locorum collatione mihi quoque Syriaca ſignificatio hujus vocis non adeo certa videtur.

a) A verſu 1 — 17. dehortatio eſt ab idololatria, cujus ſtultitiam

Ne imitemini mores gentium. Propter aſtra coeleſtia nolite terreri, quamvis aliae gentes ad ea contremiſcant. 3. Atque omnino ritus earum ſacri ſunt ineptiſſimi. Caeditur arbor in ſilva, quam deinde a fabro lignario ſecuri exaſciatam 4. argento et auro ornant, clavis et malleis firmant, ne vacillet. 5. Trunci ſunt *dii iſti lignei*, tornati. Loqui non poſſunt, nec incedere, ideo quoque portandi. Ne igitur eos timete, qui neque nocere poſſint, neque prodeſſe. — — 6. Nihil omnino tecum eſt comparandum, o Jova. Magnus es, magnamque eſſe potentiam tuam re ipſa oſtendis. 7. Quis te non timeat, rex gentium! Tua majeſtas eſt reverenda, inter omnes gentium ſapientes, inter omnia regna nihil omnino tibi poteſt comparari. 8. Sed ſummam ſtultitiam omnes produnt in hoc uno, in cultu idolorum. *Arguunt eam* lignum ipſum, 9. argentum diductum, quod ex Tarteſſo affertur, aurum ex India, opus fabri aerarii, manuumque conflatoris, veſtes coeruleae et purpureae, et quod omnino opus ſunt artificis. 10. Verum enim vero Jova eſt verus Deus, vivus, rex aeternus; a cujus ira terra contremiſcit, cujus indignationem gentes non poſſunt ſuſtinere. 11. * Sic eis dicetis: dii, qui coelum et terram non crearunt, tollantur ex toto hoc univerſo. 12. Potentia ſua terram produxit, ſapientia

titiam propheta demonſtrat et veri Dei majeſtatem praedicat.

ſua omnia in ea diſpoſuit, intelligentia ſua coelum extendit. 13. Eo intonante ingens aquarum copia adeſt. Attollit undique vapores e terra, fulgura cum imbre demittit, ventumque e cellis ſuis educit. 14. Deſipit quicunque hac *veri Dei* cognitione deſtituitur. Vehementer fallitur qui idola fingit. Nam nihil ſunt iſta fuſilia, vita deſtituuntur. 15. Vana ſunt, ridenda. Peribunt quando Deus in iſtos *idololatras* animadvertet. 16. At enim vero talis non eſt, quem Jacobitae colunt. Is eſt creator totius hujus univerſi, Iſraëlitarum rex eſt Jova omnipotens. — — 17. Undique collige res quas habes pretioſas *b*), urbs obſidenda! 18. Etenim ſic Jova dicit: Tanquam funda projiciam hujus terrae incolas atque variis malis *c*) eos vexabo. — 19. Heu mihi! quanta eſt mea calamitas, quam grave vulnus mihi inflictum, quomodo ego tanto malo ferendo par ero? 20. Tabernaculum meum eſt deſtructum, funes abrupti, nati mei a me digreſſi non

b) Vocabulum *ἅπαξ λεγ.* כִּנְעָתֵךְ ſic verto ex auctoritate LXX interpretum, qui id explicant per *ὑπόστασιν*, et Chaldaei, qui habet סְחוֹרְתֵיךְ Syrus et Vulgatus reſpicientes ad radicem בָּנַע vertunt, ille צַעֲרָבַי *ignominiam tuam*, hic *confuſionem tuam*. Inepte. — Majorem lucem ex linguis cognatis ipſe deſidero.

c) לְמַעַן יִמְצָאוּ *ut varia mala ſentiant et experiantur*. Ita מצא nonnunquam in malam partem dicitur, e. c. Pſ. XXXII, 6. CXVI, 3.

non redierunt. Nemo eſt qui tentorium meum iterum erigere, aut aulaea ejus extendere velit. 21. Profecto ſtulte egerunt paſtores, quod Jovam neglexerunt; propter quam eorum imprudentiam greges etiam diſperſi ſunt. 22. Rumor ille venit, ingens calamitas e ſeptentrione, quae Judaeae oppida vaſtaret et in draconum domicilia converteret. 23. Novi ego, Domine, non eſſe in hominis voluntate, quales ſucceſſus habiturae ſint ejus actiones, nec pendere ab hominis prudentia, perficere quae ſuſceperit. 24. Quodſi tibi, Jova, me caſtigare placet, rogo ut hoc lenius agas, nec me irae tuae vehementia perdas. 25. Effunde eam in gentes, quae te non norunt, et in nationes quae te non invocant, quae Jacobum *d*) penitus conſumſerunt ejusque deſolarunt domicilium.

SECTIO V. CAPUT XI. et XII. *a*)

1. Sermo Jovae ad Jeremiam habitus hujus tenoris.

2.

d) וְאָכְלֻהוּ *Kennicottus* in Diſſert. I. p. 495. verſ. lat. expungere vult ut Scholion inſertum. Sed repetitio illa verbi non caret emphaſi. Antiquiores interpretes illud etiam legerunt praeter τοὺς ό.

a) Ad finem regni Joſiae videtur hic prophetae ſermo referendus, quoniam foederis mentio fit, initi cum Deo occaſione reformationis eccleſiaſticae a pio illo rege inſtitutae, a quo vero populus mox defecerat. Propter quam defectionem nomine Dei propheta eum reprehendit, et denuo judicia divina annunciat nullo modo avertenda.

2. * Attende ad ea, quae tibi de pacto illo dicentur, ut poſſis ea renunciare Judaeis et incolis Hieroſolymae. 3. Haec vero ſunt quae homine Jovae Dei Iſraelitarum dicere debes: Male pereat qui non impleverit illius pacti conditiones, 4. quas majoribus veſtris feci, cum eos ex Aegyptiorum duriſſima ſervitute liberaſſem: cum eis praeciperem ut mihi in omnibus obtemperarent, meusque eſſent populus. Ita enim me quoque eorum Deum eſſe futurum, 5. atque praeſtiturum eas promiſſiones, quas jurejurando interpoſito majoribus eorum feciſſem, de terra rebus praeſtantiſſimis abundante, eis tribuenda. Quod ipſa experientia teſtatur. — Tum ego me omnia facturum eſſe promiſi. — — 6. Porro Jova me juſſit haec in Judaeae urbibus et vicis Hieroſolymae proclamare: Operam date ut illius pacti conditiones impleatis. 7. Majores quidem veſtros inde ab eo tempore, quo eos ex Aegypto eduxi, ad hunc usque diem ſerio atque indeſinenter hortatus ſum, ut mihi obedirent. 8. Sed non obediverunt, nec aurem praebuerunt, ſed omnes ſecundum mentis ſuae contumaciam egerunt, hinc etiam minas foederi iſti ab eis violato additas implevi. — — 9. Tum porro Jova mihi dixit: Rebellarunt Judaei et cives Hieroſolymitani. 10. Redierunt ad priſtina majorum ſuorum, qui mihi obedire recuſarunt, peccata, atque aliorum Deorum cultum ſectantes violarunt Iſraëlitae aeque ac Judaei foedus meum

cum

eum iis initum. 11. Propterea haec Jova minatur: Adducam contra eos malum, ex quo ſe ipſos non poterunt liberare. Tum ad me clamabunt, ſed ego non audiam. 12. Tum oppidorum Judaeae et Hieroſolymae incolae invocabunt iſtos Deos, quibus ſuffitum obtulerant, ſed non ſervabunt eos tempore adverſo. 13. Quot enim urbes, tot Deos habetis Judaei, et quot plateae ſunt Hieroſolymae, tot aras exſtruxiſtis, in quibus ſuffitum offeratis pudendo iſti Baali. 14. Noli igitur orare pro iſtis hominibus, neque precibus pro eis intercedere. Ego non audiam, quando iſto calamitatis * tempore me invocabunt. — — 15. Quomodo dilectus meus * in aede mea ſcelera adeo gravia committere audet? Num vota aut ſacrificia occultabunt peccata illa tua; quibus tantopere delectaris? 16. Similem te feceram oleae viridi pulcherrimos fructus ferenti. Sed *b*) effuſo imbre cum fulminibus incendam ramos ejus, et palmites ejus frangentur, 17. Idem ego, Jova omnipotens, qui te plantaveram, mala tibi minitor, propter impietatem, qua vos, Iſraelitae et Judaei, ſuffitum Baali offerendo iram meam provocaſtis. — — 18. Tunc quoque Jova mihi indicavit, quaenam conſilia in perniciem meam *cives Ana-*

tho-

b) Vocabulum הֲמֻלָּה quod praeter h. l. Ezech. I, 24. occurrit, proprie dicitur de imbre effuſo et exundante, quod copioſe probavit *Scheidius* in Specimine Obſervatt. p. 14 ſeqq.

Anathotenſes machinarentur. 19. Ego vero non magis iſta opinabar, quam agnus cicuratus qui ad mactationem ducitur: Perdamus, *dicere ſolebant*, arborem cum fructu ſuo *e*), tollamus cum e vivis, nec ulla ejus amplius ſuperſit memoria. — 20. O Jova omnipotens, judex juſte, quem nec abditiſſima latent conſilia, ulciſceris injuriam mihi illatam, tibi committo cauſam meam. — — 21. Tunc Jova in Anathotenſes, qui vitae meae inſidiabantur, mihique ſub mortis comminatione vetabant apud eos nomine Dei vaticinari, 22. hanc tulit ſententiam: milites eorum gladio et liberos fame eſſe perituros, 23. neminem ex iis fore ſuperſtitem; ſe enim velle ſevere eos punire. CAPUT XII, 1. Tu quidem, Jova, juſtus es, ſi tecum contendere auderem. Sed liceat mihi de providentia tua judiciaria nonnulla quaerere. Qui fit, ut impiis omnia proſpere ſuccedant? ut homines perfidi vitam agant adeo tranquillam? 2. Inſtar arboris plantaſti eos, radices agunt et fructus ferunt. Ore quidem te profitentur, ſed in pectore te abnegant. 3. Me vero, Jova, noſti. Vides, quomodo erga te ſim affectus. — — Abige eos ut pecus ad mactationem, praefinias eis diem necis. 4. Quousque terra lugebit, omnesque agrorum fruges areſcent? propter incolarum impietatem beſtiae atque

e) *Schultenſius* in Animadverſſ. philol. ad h. l. obſervavit לחם apud Arabes de fructu arborum et plantarum dici.

atque adeo aves conſumtae ſunt: negant *a*) me viſurum eſſe minarum mearum implementum. — — 5. Si cum peditibus currens fatigaris, quomodo contendere poteris cum equis? et ſi in terra pacata occumbis, *b*) quid tibi eveniet in littore Jordani?

6.

a) Hebr. *dixerunt non videbit extremum noſtrum*, ſc. Jeremias, qui Anathotenſibus extremum excidium minatus fuerat. Negabant igitur iſti homines Jeremiam minarum ſuarum implementum eſſe viſurum.

b) Senſus utriusque membri hujus verſus non eſt difficilis intellectu. Deus prophetae reſpondet, levia atque exigua eſſe illa mala civium ſuorum Anathotenſium, de quibus conqueratur, prae iis, quae Hieroſolymitani ei eſſent illaturi. — Verbum תחרה praeter h. l. tantum infra Cap. XXII, 15. legitur. Fortaſſe ſpecies eſt conjugationis, cujus litera praeformativa eſt ת, (cujus et alia exempla habemus; cf. *Schultenſius* in Inſtitt. L. Hebr. p. 313.) a חרה *arſit*, *aeſtuavit*, hinc ſignificatio concertationis vehementioris, quam ſine dubio habet. — Poſterius membrum difficilius eſt, in quo interpretes variant. Mihi quidem placuit *Fabri* explicatio, quam in notis ad Harmarum P. II. p. 240. attulit. בטח confert cum Arab. بطح (*Golius* p. 285.) *proſtratus eſt*, *occubuit*, גְאוֹן vero non a גאה derivat, ſed a جبا *confluere*, hine ſubſtantivum ſignificat locum, in quo aqua confluit, h. e. alveum fluminis. Erant vero littus et ora Jordani ſilvoſa, hinc leonum refugium et latibulum, quod et aliis locis, in quibus ille גְאוֹן הַיַּרְדֵּן occurrit, nimirum in-

fra

6. Etiam conſanguinei tui et paterna domus perfide erga te ſe gerunt et principes *c*) adverſus te concitant. Noli eis confidere, quanquam amice tecum loquuntur. — — 7. Deſeram *d*) domum meam, relinquam populum mihi ſacrum, homines valde a me amatos tradam eorum hoſtibus. 8. Etenim populus ille meus quaſi leonis naturam induit, ſublato adverſus me rugitu, propterea odi eum. 9. Sed cum inſtar hyaenae *e*) adverſus me ſe gerat peculium meum, excitabo in illud alias hyaenas, venient fera animalia, quae iſtud conſumant. 10. Multi paſtores perdent vineam meam, conculcabunt fundum meum, redigent fundum mihi valde carum in vaſtam ſolitudinem. 11. Tota terra vaſtabitur et triſte ſui praebebit ſpectaculum; immo tota vaſtabitur, etenim nemo eſt, qui de emendatione ſit ſollicitus. 12. Ad omnia paſcuorum cacumina

fra Cap. XLIX, 19. L, 54. et Zach. XI, 3. in quibus profecto *ſuperbia Jordani* parum apta eſt, confirmatur. Hieroſolymam igitur cum incolis ſuis prophetae tam timendam eſſe monet Deus, quam paluſtria Jordani propter leones.

c) Hebr. מלא h. l. ex ſignificatione Arab. *nobiles* et *principes*. *Schultenſius* in Animadv. ad Geneſ. XLVIII, 19.

d) Jam continuatur ſententia Dei in populum, quae interrupta fuit revelatione prophetae facta de inſidiis intentatis ab Anathotenſibus Cap. XI, 17.

e) עיט צבוע non eſſe *avem rapacem*, ſed *hyaenam*, *Bochartus* probavit in Hieroz. P. I. Lib. III. Cap. XI. p. 838.

Digitized by Google

mina hoſtes pervadent. Gladius Jovae ab uno terrae extremo usque ad alterum perdet, nullibi homo tutus erit. 13. Triticum ſeminarunt, ſed ſpinas metent, viribus attriti ſunt, nihil proficient, ſpe omni proventuum excident, ira mea in eos ſaeviente. — — 14. De malis vero iſtis vicinis, qui terram quam populo meo Iſraëli poſſidendam tradideram, ſibi vindicarunt *f*), haec ego Jova edico: Ejiciam eos e terra ſua, quemadmodum Judaeos ex eorum terra ejeci. 15. Attamen horum iterum miſerebor, eosque reducam ad terrae ſuae poſſeſſionem. 16. Quodſi tunc illi religionem populi mei profiteantur, et per nomen meum jurent, quemadmodum antea per Baalem populum meum jurare docuerunt, una cum eo reſtituentur. 17. Quodſi hoc non fecerint, perdam eos et deſtruam, inquit Jova.

SECTIO VI. CAPUT XIII. *a*)

1. Juſſit me Jova zonam lineam comparare, eamque lateribus meis applicare, nec tamen antea aquae immit-

f) Gentes nempe vicinae, inprimis Edomitae, urbes a Judaeis deſertas occupabant, et in eis habitabant. cf. locus parall. Ezech. XXXVI, 4. 5.

a) Partim ſymbolice, partim verbis propriis praedicit propheta excidium urbis et totius reip. propter ſummam ejus corruptionem, fortaſſe ſub ultimo rege Sedekia, cf. v. 18.

mittere. 2. Quod cum ex mandato Jovae feciſſem,
3. is iterum juſſit, 4. zonam iſtam mihi compara-
tam et lateribus meis applicatam Ephratae *b*) in fiſ-
ſura petrae cujusdam abdere. 5. Feci igitur hoc
quoque, quod a Jovä juſſus eram. 6. Poſt tempus
deinde bene longum Jova me juſſit Ephratam abire,
et tollere zonam ex illo loco, in quo eam occul-
taſſem.

b) In textu legitur פְּרָתָה quod plerique interpretes de *Euphrate* flumine intelligunt, quo miſſum eſſe prophetam *Grotius* putat, quod populus Judaicus eo eſſet in exilium abducendus. Sed *Bochartus* contra hanc explicationem graviſſima dubia movit (in Diſſertt. Geograph. S. adjectis Tom. I. Opp. p. 956. edit. Lugd.). Nimirum, quotiescunque ſcriptura de Euphrate loquitur, eum vel fluvium, vel fluvium magnum appellat, ſed h. l. ſine illa nota nomen ſimpliciter ponitur. Porro nullum indicium adeſt, ex quo intelligatur, prophetam iter adeo longinquum ducentorum milliarium ſuſcepiſſe. Igitur aliis omiſſis, quae contra vulgarem explicationem dici poſſunt, *Bochartus* putat פְּרָת h. l. nomen eſſe regionis, pagi vel vici cujusdam non longe ab Hieroſolyma diſſiti, fortaſſe *Bethlehemi* et circumjacentis regionis, quae, quod ſatis conſtat, אפרת *Ephrat* dicta fuit. Non obſtat huic interpretationi Aleph ab initio vocis abjectum, cujus aphaereſeos exempla innumera extant. Quibus rectiſſime, uti arbitror, a *Bocharto* obſervatis, hoc modo addo, regionem Bethlehemo vicinam nomen *Ephratae* geſſiſſe, poſtquam de urbe illud Bethlehemi magis eſſet uſitatum. cf. *Bachiene* in Deſcript. Palaeſtinae Vol. II. P. II. p. 7.

taſſem. 7. Cum igitur Ephratam abiiſſem ablaturus zonam ex loco, in quo abdita eſſet, inveni eam corruptam, nec ulli rei aptam. 8. Tum Jova mihi dixit: 9. Eundem in modum perdam gloriam illam Judaeae et Hieroſolymae inſignem. 10. Populus iſte malus, qui non vult mihi obtemperare, ſed pro mentis ſuae pertinacia alios Deos ſectatur, colit et adorat, ſimilis eſt zonae iſti penitus corruptae. 11. Quemadmodum enim zona lateribus arcte ſolet adhaerere: ita mihi junxeram Iſraëlitas et Judaeos, ut populus eſſent mihi ſacer, nobiliſſimus et florentiſſimus. Sed noluerunt mihi morem gerere. — — 12. Porro eis nomine meo dices: Lagenae vino impleantur. Quodſi ex te quaerent, cur hoc fieri debeat? tum eis ſic reſponde: 13. Haec dicit Jova: Inebriabo omnes hujus terrae incolas, regis Davidis ſucceſſores, ſacerdotes, prophetas et omnes cives Hieroſolymitanos. 14. Eosque inter ſe colliđam, patres cum filiis, inquit Jova, nec ulla amplius erga eos indulgentia aut miſericordia utar. 15. Diligenter attendite absque contumacia, Jova loquitur. 16. Reveremini Deum veſtrum, antequam obtenebreſcat, antequam offendant pedes veſtri in montibus crepuſculi, quando vobis ſperata lux in tenebras, in denſam caliginem convertetur *c*). 17. Quodſi non au-

 dive-

c) Alluditur ad ſpem liberationis ab Aegyptiis, quae durante

diveritis, ego hanç veſtram pertinaciam in occulto deflebo et inter multas lacrymas lugebo gregem Jovae diſperſum. 18. Regi vero et reginae dicito: humillime ſedete, nam capitis veſtri ornamentum ſplendidum auferetur. 19. Urbes auſtrales ita claudentur, ut nemo eas poſſit aperire. Tota Judaea deportabitur, univerſa illa captiva abducetur. — —
20. Tolle oculos, vide qui veniant e Septentrione. Ubi eſt grex ille curae tuae commiſſus, de quo adeo gloriabaris? 21. Quid dices, quando *Deus* dominos tuos faciet, quos *antea* amicos tibi elegeras? Nonne tunc te dolores invadent, quales ſolent eſſe puerperae? 22. Quodſi quaeris, cur iſta tibi ſint eventura, *ſcias*, peccatorum tuorum multitudinem in cauſa eſſe: propter hanc retectis veſtium tuarum ſinibus obſcoena tua nudabuntur. 23. Num Aethiops cutem ſuam aut pardus maculas mutare poteſt? Ita vos quoque recte facietis malis adſueti. 24. Igitur vos diſpergam ut ſtipulas a vento ſilveſtri abactas.
25. Haec erit ſors tua et portio tibi a me admetienda, inquit Jova, quod me deſerto mendaciis fidem habuiſti.
26. Igitur ego veſtes tuas in faciem tibi ſubducam, ut vide-

rante obſidione ultima affulſit inſtar crepuſculi matutini. Sed laeta illa ſpes, quam Aegyptii opem ferentes oſtendebant, a Chaldaeis mox diſſipata eſt, et ſic lux, quae e longinquo apparuerat, iterum in denſas tenebras eſt converſa.

videantur verenda tua. 27. Adulteria tua, hinnitus, vagam libidinem in agrorum collibus, tua ſcelera, vidi. Vae tibi, o Hieroſolyma, quando tandem mundaberis!

SECTIO VII. CAPUT XIV. XV. a)

1. Occaſione ſterilitatis Jova cum Jeremia hunc in modum eſt collocutus: 2. Luget Juda, civitates ejus triſtes lamentantur. Clamor Hieroſolymae verſus coelum effertur. 3. Mittunt primores tenuiores aquatum. Qui ad aquarum receptacula delati aquam non inveniunt. Redeunt vaſis inanibus, *tum illi* ob ſpem deluſam capite operto *dolent*. 4. In tanta terrae afflictione, pluvia nempe deficiente, agricolae capitibus obvolutis dolent. 5. Adeo cerva ob paſtus inopiam cogitur relinquere foetum ſuum. 6. Onagri

a) Hoc et ſequens caput continuum fere colloquium continet inter Deum et prophetam occaſione ſiccitatis gravioris indeque ortae ſterilitatis. Primo propheta propter eam intercedit pro popularibus ſuis apud Deum. Deus reſpondet populum a ſe eſſe rejectum, omnes interceſſiones fruſtraneas eſſe v. 1 - 12. Propheta excuſat populum et culpam in Pſeudoprophetas conjicit v. 13. Utrisque propterea Deus denuo poenas et judicia ſua denuntiat v. 14 - Cap. XV, 14. Tandem propheta de perſecutionibus hoſtium ſuorum conqueritur. Tempus hujus ſermonis videtur eſſe initium regni Jojakimi.

ſtant in locis ſublimibus auram draconum more ducentes, oculisque ob herbarum defectum languentes. - -
7. Si quoque peccata noſtra, o Jova, contra nos teſtantur, age nobiscum pro benignitate tua. Quamvis multa ſint delicta noſtra, in te tantum peccavimus.
8. O ſpes Iſraëlis, ſervator tempore adverſo, cur te geris tanquam peregrinum in terra? tanquam viatorem, qui ad pernoctandum modo divertit? 9. Cur ſimilis es viro forti *b*), qui hoſtium in eum irruentium multitudine oppreſſus ſervare non poteſt? cum tamen te colamus, et de te nominemur. Noli nos deſerere. — — 10. Tum Jova reſpondit: Lubenter homines iſti divagantur, nec ſe coërceri patiuntur. Propterea ego, qui eos probare non poſſum, memor iniquitatis eorum, in peccata eorum animadvertam.
11. Noli igitur, inquit Jova, pro iis precari, aut pro felicitate eorum intercedere. 12. Quodſi jejunant, non audiam eorum ſupplicationes. Si holocauſta, aut oblationes mihi offerant, eis non placabor, ſed gladio, fame

b) Hebr. כְּאִישׁ נִדְהָם Vocabulum *ἅπαξ λεγ.* explicandum eſt ex Arab. دهم *obruit aliquem de improviſo*, in ſpecie de oppreſſione in bello dicitur. Quae explicatio bene convenit ſequentibus. Plura vide de h. l. in *Schultenſii* Animadv. philol. Syrus recte vertit גְּבְרָא בְּצִירָא *vir imbecillis*, *οἱ ό, ὥσπερ ἄνθρωπος ὑπνῶν*, legerunt נִרְדָּם Lectio non contemnenda, nec tamen receptae praeferenda. Vulgatus: *ut vir vagus.*

fame et peſte eos conſumam. — — 13. Tum ego, o Domine Jova, inquam, prophetae negant eos arma viſuros aut famem paſſuros eſſe, ſed te pacem perpetuam his locis eſſe conceſſurum. 14. Falſo ita vaticinantur nomine meo, inquit Jova, iſti prophetae: Non miſi eos, nec mandata dedi, nec locutus ſum cum eis; Mendacia ſunt iſta vaticinia et divinationes; futilia, fraudes vobis dicunt. 15. Propterea haec ſta tuo de iſtis prophetis, qui nomine meo vaticinantur cum tamen eos non miſerim, qui negant armis aut fame hanc terram vaſtatum iri: armis et fame conficientur. 16. Iſti prophetae *c*) et homines iſti quibus vaticinati ſunt, per plateas Hieroſolymae proſtrati jacebunt, fame et gladio confecti nemine eos ſepeliente, una cum mulieribus et liberis ſuis. Puniam eos prouti mali-

c) Melius ſine dubio verba ultima verſus 15. הַנְּבִיאִם הָהֵמָּה initium faciunt ſequentis, cum quo arcte cohaerent, quam finiunt illum, ubi prorſus ſuperflua ſunt. Quod ipſum quoque apparet ex verbis אֲשֶׁר הֵמָּה נִבְּאִים לָהֶם quae plane docent הנביאים ההמה et והעם nominativum eſſe; utrisque etiam eadem ſors praedicitur. — — Sed huic verſui jungenda ſunt priora ſequentis: וְאָמַרְתָּ אֲלֵיהֶם אֶת־הַדָּבָר הַזֶּה continent enim mandatum Dei de ſententia ejus decretoria populo annuncianda, neque poſſunt apte cum ſequentibus connecti, quod docent contortae verſiones, in quibus hoc tentatur.

tia ſua commeruerunt. Hoc igitur eis dicito. — —
17. Diu noctuque lacrimari non deſinam, magna eſt calamitas popularium meorum *d*), graviſſima eſt plaga eis inflicta. 18. Sive rus exeam, video gladio confoſſos; ſive in urbem redeam, incido in fame peremtos. Prophetae et ſacerdotes vagantur cum hominibus plebejis conſilii inopes. 19. Num prorſus repudiaſti Judam? Num faſtidio tibi eſt Sion? cur ita nos percuſſiſti, ut remedio careamus? Bona expectamus, ſed fruſtra. Meliora tempora, ſed en! terrores. 20. Agnoſcimus, o Jova, impietatem noſtram, culpam avitam, qui adverſus te peccaverimus. 21. Ne abjicias tui ipſius cauſa, ne removeas thronum majeſtatis tuae, abſit ut foedus, quod tibi nobiscum intercedit, rumpas. 22. Non eſt inter gentilium deos, qui pluviam dare, aut qui imbres ex coelo demittere poſſit. Te tantum Jovam Deum noſtrum expectamus. Nam tu creator es horum omnium.

CAPUT XV.

1. Reſpondit Jova: Si vel Moſes aut Samuel apud me intercederent, nec tamen poſſem huic populo favere. Declara eis quod ſint a me dimiſſi. 2. Quodſi ex te quaerent, quo abire debeant, dices eis meo nomine: *mihi*

d) Deplorat propheta non futuram calamitatem inferendam a Nebucadnezare, ſed praeteritam et praeſentem, nempe cladem immiſſam ab Aegyptiis ſub rege Joſia 2 Reg. XXIII, 29. 2 Paral. XXV, 20. et ſterilitatem et famem.

mihi idem eſſe, ſive peſte, ſive gladio, ſive fame, ſive in captivitate perirent. 3. Quatuor mortis genera eis a me ſunt deſtinata, inquit Jova: gladius quo trucidentur, canes qui eos dilacerent, aves rapaces et fera animalia, quae eos devorent et conſumant. 4. Efficiam ut inter alias gentes incertis ſedibus oberrent, propter Manaſſis filii Hiskiae regis Judae *ſcelera*, quae Hieroſolymae patravit. 5. Quis tui miſereatur, o Hieroſolyma? quis indoleat tuis malis? quis quaerat quomodo valeas? 6. Tu me deſerto, inquit Jova, retro ceſſiſti; jam ego quoque manum in te convertam ad te perdendum, non poſſum diutius indulgere. 7. Diſpergam eos per omnes terrae terminos, occidam, perdam meum populum impoenitentem. 8. Plures erunt viduae quam arena maris, inducam contra matrem atque ac filium vaſtatorem inopinato, invadet eos ſubito mentis perturbatio et terror. 9. Languet mater multorum liberorum, animam efflat. Sol ei in ipſa die occidit, ſpes ejus omnis intercepta eſt. Et ſi qui reliqui ſunt, hos gladio hoſtili addicam, inquit Jova. - - 10. Heu mihi, mater mea! quae me omnium rixis et contentionibus exponendum peperiſti. Mutuam pecuniam nec dedi ego cuiquam, nec quisquam mihi, et omnes me maledictis inceſſunt. 11. Promitto tibi, inquit Jova, me velle te * tranquillum ſ. ſecurum praeſtare atque adeo ipſum hoſtem triſtiſſimo et calami-

lamitoſiſſimo tempore tibi conciliare. — — 12. Num *a*) franget ferrum, ferrum ſeptentrionale aeri admiſtum? 13. Opes, divitiasque tuas gratis diripiendas tradam, propter tot tua peccata in terra tua commiſſa. 14. Teque * ſervire faciam hoſtibus tuis in terra tibi ignota: ignis enim irae meae inflammatus ardebit. — — 15. Noſti, o Jova, omnia. Memor ſis mei, mihique proſpice, ultionem ſume de hoſtibus meis. Noli permittere ut per irae tuae longanimitatem peream. Noſti me tua cauſa opprobrio affici. 16. Quam primum tua mihi mandata dediſti, lubenter ea ſuſcepi. Vehementer enim laetabar, tuum prophetam vocari, o Jova Deus omnipotens. 17. Non interfui coetui profanorum ut *cum eis* laetarer. Propter minas nomine tuo proferendas triſtis ego in ſolitudinem abii. 18. Quare igitur ſemper doleo et vulnus mihi inflictum eſt ſine remedio? Spem meam fefelliſti ut aquae infideles. 19. Ad haec Jova ſic reſpondit: Si animo eris conſtanti et imperterrito, ego te quoque ut miniſtrum meum confirmabo. Et ſi diligenter bonos a malis ſeparas, facies

a) A propheta iterum ad populum Deus ſermonem convertit, atque cum hoſtibus ſuis, nempe Chaldaeis, prorſus imparem eſſe dicit. Vires Judaeorum comparat cum ferro puro, ſed Chaldaeorum cum ferro cui multum aeris admiſtum eſt, atque propterea longe fortius et validius eſt. In ſequenti verſu ſine metaphora idem dicitur.

cies id quod volo. Illi quidem ad te redire debent, tu non ad illos. 20. Efficiam ut in hoc populo ſis quaſi murus aheneus et fortis. Impugnabunt quidem te, ſed fruſtra. Tibi enim adero, ut te ſervem et liberem. 21. Immo te eripiam ex impiorum manibus, vindicabo te a crudelium poteſtate.

SECTIO VIII. CAPUT XVI. XVII. a)

1. Jova me hunc in modum allocutus eſt: 2. Non debes uxorem ducere aut liberos procreare in hoc loco. 3. Homines enim, ſic Jova minatur, hoc in loco nati, aeque ac parentes eorum, 4. funeſta morte occumbent indefleti et inſepulti. Humum ſtercorabunt. Gladio aut fame conſumentur, eorumque cadavera aves rapaces et fera animalia vorabunt. 5. Porro Jova mihi dixit: Non debes intrare domum luctus, aut ad alios lugendos et condolendos abire, Omnem enim benignitatem meam, inquit Jova, favorem et miſericordiam his hominibus ſubtraxi. 6. Summi aeque ac infimi in hac terra morientur inſepulti. Non plangent eos, nec quisquam ſibi caeſuram aut calvitium ob eos inducet. 7. * Non convivia lugubria ſ. parentalia inſtituentur in conſolationem propter mortuum, nec calicem propinabunt conſola-

a) Reprehenditur in hoc ſermone ſumma populi ſecuritas omnes prophetarum ſermones contemnens et Jeremiam propter has ipſas infeſtans.

ſolatorium ob patrem defunctum aut matrem. 8. Nec convivio debes intereſſe, ut cibum aut potum cum aliis capias. 9. Nam haec ego Jova omnipotens Deus Iſraëlitarum edico, me ablaturum eſſe ex hoc loco veſtra adhuc aetate, vobis videntibus, omnes gaudii aut laetitiae clamores, ſponſi et ſponſae jubila. 10. Quodſi haec omnia iſtis hominibus dixeris, te interrogabunt: cur ego tanta mala eis inferre decreverim, quaenam ſint peccata ſua et delicta quibus me offenderint? 11. Tum tu eis ſic reſpondebis: Quoniam majores veſtri, inquit Jova, me deſeruerunt, atque alios Deos ſectati ſunt, quos colerent et adorarent, me relicto et lege mea neglecta. 12. Vos vero majoribus veſtris adhuc pejores fuiſtis, omnes ex mala mentium veſtrarum pertinacia viventes, mihi vero nullo modo obſecuti: 13. propterea vos ex hac terra ejiciam in aliam vobis aeque ac majoribus veſtris ignotam. Ibi abunde vobis otium ſuppetet colendi deos peregrinos, nam mea gratia vos omnino privabo. — — 14. Attamen futurum eſt, inquit Jova, ut non amplius juretur per Jovam, qui Iſraëlitas ex Aegypto eduxerit, 15. ſed per Jovam, qui eos e terra ſeptentrionali deportarit, ut et ex omnibus regionibus, in quas eos propulerit. Etenim reducam eos in terram, quam majoribus eorum dederam. 16. Nimirum mittam complures piſcatores, inquit Jova, qui eos piſcentur; deinde mittam quoque complures venato-

natores, qui eos venentur ex omnibus montibus, collibus et petrarum fiſſuris. 17. Omnis eorum agendi ratio bene mihi cognita eſt et perſpecta, nec iniquitas eorum me latet. 18. Igitur primo rependam illis duplum iniquitatis ſuae et peccatorum, quibus terram mihi ſacram profanarunt et peculium meum foediſſimis et abominandis idolis polluerunt. — — 19. O Jova! meum robur, potentia mea, refugium tempore adverſo! ad te gentes ab extremis regionibus venient, et fatebuntur, male majores ſuos ſpem ſuam poſuiſſe in idolis, quae nullo modo prodeſſe poſſent. 20. Qui fit igitur ut homo Deos ſibi faciat, qui nihil minus quam Dii ſunt? 21. Propterea ego hac in re monſtrabo atque oſtendam eis potentiam et virtutem meam, ita ut me Jovam eſſe intelligant. CAPUT XVII, 1. Peccatum Judae ſcriptum eſt ſtilo ferreo, et cuſpide adamantina a) inciſum tabulae cordis eorum et cornibus altarium. * 2. Quam grata illis eſt memoria liberorum ſuorum, tam grata etiam ararum ſuarum et lucorum cum frondoſis arboribus, ſuper collibus elatis: * in montibus et planitie. 3. Opes tuas omnesque tuas divitias diripiendas tradam propter excelſa illa

a) Deſcribit propheta pertinaciam populi in idololatria et quam indelebile ſit hoc inſanum eorum ſtudium. Quemadmodum nempe id quod ſtilo ferreo lapidi aut aeri inſculptum eſt, diu durat et non niſi cum materia perit, ita etiam peccata iſta perpetuo eis adhaerebant.

illa tua et alia peccata in terra tua commiſſa. 4. Teque dimittam ab illa poſſeſſione, quam tibi dedi, et ſervire te faciam hoſtibus tuis in terra tibi ignota. Ignis enim irae meae, quem incendiſti, in aeternum ardebit: — — 5. Haec dicit Jova: Infelix ſit, qui homini confidit et in natura adeo fragili praeſidium ſuum ponit animo a Jova alienato. 6. Is ſimilis eſt junipero *b*) in deſerto, deſtitutae omnibus tempeſtatis commodis, habitabit in locis aridis deſerti, in terra ſalſuginoſa et inhabitabili. 7. Felix ſit, qui Jovae confidit et in eo ſpem ſuam ponit. 8. Is erit ſicuti arbor plantata ad aquam, juxta rivum radices emittens, quae aeſtum non timet, ſed foliis viret; quae anni ſiccitatem non curat, nec deſinit ferre fructus. - - 9. Doloſum et peſſime affectum eſt cor humanum, quis perſcrutari hoc poteſt? 10. Ego Jova poſſum perſcrutari corda et intima hominis conſilia ut rependam unicuique prouti factis ſuis commeruit. 11. Ut perdix *c*) ovis incubat, nec ea excludit, ſic is qui

modis

b) *Celſius* in Hierobot. P. II. p. 195. defendit ſignificationem *juniperi* τοῦ ערער quam alii huic voci negant.

c) קֹרֵא quod h. l. legitur non perdicem eſſe, ſed ruſticulam ſ. gallinaginem, *Bochartus* contendit in Hieroz. P. II. Lib. I. Cap. 12. contra quem *Faber* ad Harmarum P. I. p. 306. diſputavit et קרא perdicem eſſe probare voluit, non vero eam quae in noſtris regionibus vivit, Orienti ignotam, ſed quae *Damaſcena* vocatur, *tetrao orientalis.*

modis injuſtis divitias colligit, in medio vitae ſuae curſu eas deſerere cogitur, et tunc ſtulte eum egiſſe intelligitur. 12. Thronus gloriae! majeſtas aeterna! locus ſanctuarii noſtri! 13. Spes Iſraëlis! o Jova! omnes qui te deſerunt pudore afficientur et rebelles damnabuntur, fontem enim aquae vivae Jovam relinquunt. 14. Sana me, o Deus, et ſanus ero; ſerva me et ſervabor, et ſic laus mea eris. 15. Iſti dicunt: cur tam diu moratur vaticiniorum tuorum eventus? 16. Ego vero nihil urſi, niſi quod me decebat tanquam paſtorem *populi* a te conſtitutum. Tempora illa afflicta et calamitoſa, *quae praedicenda mihi fuerunt*, minime opto, quod noſti. Sed quae dixi, tu ipſe mihi mandaſti. 17. Ne ſis mihi terribilis, tu qui meum refugium tempore adverſo eſſe ſoles." 18. Pudore ſuffundantur perſecutores mei, non ego. Iſti terreantur, non ego. Invehe in eos malum et duplice clade eos confringe. — — 19. Jova me juſſit, in porta plebis, per quam Judaeae reges egredi et regredi ſolent, et in reliquis Hieroſolymae portis haec proclamare: 20. Audite, quod Jova dicit, vos, reges Judaeae, vos Judaei omnesque Hieroſolymae incolae, qui has portas intratis. 21. Sic vero fatur ille Jova: Cavete vobis ne ſabbatho onera inferatis per Hieroſolymae portas. 22. Neque onera efferatis ex aedibus veſtris ſabbatho. Sed omnino abſtinete ab omni labore, ita ut ſancte eum peragatis, quemadmodum majoribus veſtris praecepi.

cepi. 23. Qui quidem mihi non obtemperarunt, nec aures ſuas praebuerunt, ſed cervice obſtinata recuſarunt diſciplinam admittere. 24. Vos vero ſi mihi morem geſſeritis, inquit Jova, ita ut ſabbathi tempore per hujus urbis portas nulla onera portetis atque intermiſſione ab omni labore illud ſanctificetis. 25. Tum hujus urbis portas ingredientur reges et principes Davidis ſucceſſores curribus et equis vecti, nec non reliqui Judaei civesque Hieroſolymitani: atque urbs ipſa in aeternum habitabitur. 26. Nec deerunt qui ex Judaeae urbibus Hieroſolymae vicinis et ex terra Benjaminitica ex locis campeſtribus, ex regione montana et meridionali holocauſta, ſacrificia, oblationes, thus ad ſacra in aede mea peragenda afferant. 27. Quodſi vero voluntati meae de ſabbatho ſancte peragendo non obtemperaveritis, ſed eo ſublata onera per Hieroſolymae portas inferetis, igne eam incendam, qui inextinctus palatia ejus conſumet.

SECTIO IX. CAPUT XVIII.

1. Juſſit me Jova 2. abire ad domum figuli, mandata ejus ibi accepturus. 3. Abii igitur atque offendi eum opus facientem in formis. 4. Accidit ut vas, quod ex luto faceret, frangeret. Fecit igitur ex illa materia aliud, prouti ei videbatur. 5. Tum Jova mihi dixit: 6. Num non eadem ratione qua figulus, vobiscum agere poſſum, o Iſraëlitae? inquit Jova; nam quod

quod lutum eſt in manu figuli, id vos eſtis in manu mea, Iſraëlitae. 7. Si quando gentem aut regnum perdere, déſtruere, evertere decrevero, 8. haec vero gens, cui iſta minatus eſſem, ſeſe retraxerit ab improbitate ſua, ego quoque abſtinebo a malo, quod ei inferre decreveram. 9. Contra, ſi gens aut regnum, quod condere et ſtabilire ſtatuero, 10. me factis ſuis offendat, nec voluntati meae obtemperet, ego quoque illam felicitatem ei non conferam, qua beare illud antea volebam. 11. Igitur dices Judaeis et civibus Hieroſolymitanis: Sic Jova hortatur: Malum contra vos decrevi, immo jam paro. Revertimini a perverſa veſtra agendi ratione, emendate vitam moresque veſtros. — — 12. Sed negabunt hoc fieri poſſe, malle ſe ſua conſilia ſequi, atque in animorum ſuorum obſtinatione perſeverare. 13. Propterea ſic Jova pergit: Quaerite inter gentes, an tale quid inter eas ſit auditum. Turpiſſimum ſcelus commiſit populus Iſraëliticus. 14. An deſeret aliquis propter petram *ſterilem et horridam*, agrum irriguum, et nives Libani? An deſerentur propter aquas longinquas aquae propinquae et continuo fluentes? a) 15. Atqui populus

a) Sic *Venema* et eundem fere in modum etiam *Grotius* locum paullo difficiliorem propter conſtructionem explicarunt. — — *An deſeret* ſc. אִישׁ *aliquis*, ellipſis ſaepe obvia, מִצּוּר *prae*, ſ. *propter petram* ſc. ſterilem et horridam,

lus meus mei oblivifcitur et idolis ſuffitum offert. Offendere eum fecerunt (pſeudoprophetae) in viis ſuis eisque planis et probatis, ut incedat in via regia non ſtrata aut aggerata. 16. Quo facto terra vaſtabitur, ſemper exſibilabitur, qui forſan eo iter fecerint, obſtupefacti capita movebunt. 17. Tanquam a vento orientali agitatos, ante hoſtes ſuos eos diſpergam, tergum non faciem obvertam tempore calamitatis ſuae. — — — 18. Tum illi conſilia in perniciem meam agitarunt. Eſſe enim, inquiebant, apud ſacerdotes legis ſcientiam, ſapientes non deſtitui prudentia, nec prophetis deeſſe oracula, quid igitur dictis meis

dam, nam opponuntur huic petrae שְׂדַי שֶׁלֶג לְבָנוֹן *ager irriguus et nives Libani.* שָׂדַי non eſt nomen שָׂדֶה cum affixo, ſed nomen hujus formae collectivum (de quo vid. *Glaſſius* p. 129.). Utrumque conſtruendum cum יעזב atque nives adduntur agro irriguo, quia ab illis nivibus Libani maxime veniebat aquarum copia in agris. Poſterius membrum ex priori facile explicatur et ſuppletur. Nempe planum eſt ante מים ſupplendum eſſe מ quod fortaſſe vitio ſcribarum ante aliud מ excidit. Atque זרים *peregrinae* ſunt aquae longius remotae adeoque difficilius acquirendae. — קָרִים נוֹזְלִים conſtrue cum יִנָּתְשׁוּ. Sunt vero aquae *frigidae fluentes*, aquae refocillantes et continuo fluentes. Sed elegantem h. l. affert *Venema* conjecturam, vel excidiſſe vocem קְרֹבִים *propinquae* vel eam mutatam eſſe in קרים Oppoſitio enim ad זרים manifeſte hanc vocem requirit

meis attenderent? per calumniam tanquam capitis reum me eſſe accuſandum. — — 19. Reſpice me, o Jova, attende ad dicta adverſariorum meorum. 20. Num aequum eſt ut pro bono malum mihi rependant? quid? quod vitae meae inſidiantur? Memor ſis quomodo pro eis apud te interceſſerim ad iram tuam avertendam. 21. Propterea pereant liberi eorum fame et *parentes* gladio; ſint mulieres orbae et viduae; cives peſte auferantur, milites gladio ſuccumbant in praelio. 22. Audiatur ex aedibus eorum clamor, quando irruit in eos hoſtis ex improviſo. Foveam enim foderunt ad me capiendum, laqueos tetenderunt meis pedibus. 23. Tu vero o Jova noſti eorum conſilia mihi pernicioſa: ne ignoſcas iſti iniquitati, nec eorum peccatis reconciliare, ſed pro irae tuae ſeveritate in eos a te irretitos animadverte.

SECTIO X. CAPUT XIX. XX.

1. Jova me juſſit lagenam emere teſtaceam adhibitis quibusdam *a*) e populi et ſacerdotum principibus: 2.

a) Verbum ſupplendum eſſe contextus docet, cum parum probabile ſit prophetam lagenam illam a ſenioribus populi et ſacerdotum emiſſe, quo ſenſu Vulgatus accepit, Vau ante prius מִזִּקְנֵי non legit: *accipe*, vertit, *lagunculam figuli teſteam a ſenioribus populi.* Addunt propterea recte antiqui interpretes: *duc* ſ. *ſume tecum.* Sic Syrus, Chal-

2. Deinde ad vallem filii Hinnomi abire, quae eſt ante portam orientalem, ibique ejus nomine proclamare quae ſequuntur: 3. Attendite, reges Judae et cives Hieroſolymitani, ad ſermonem Jovae. Haec dicit Jova omnipotens Iſraëlitarum Deus: Tantum malum adducam contra hunc locum, ut aures ei tinniant, qui de eo audierit. 4. Etenim me relicto exſecrabilem fecerunt hunc locum, ſuffitum offerendo in eo diis peregrinis, tum ipſis, tum majoribus eorum regibusque Judaeae ignotis, et complures caedes committendo. 5. Delubra exſtruxerunt Baali, cui liberos ſuos in holocauſta comburerent; quae tamen eis nunquam praecepi, nec in mentem mihi venit. — — 6. Propterea futurum eſt, inquit, Jova, ut iſte locus non amplius Tophet et vallis filii Hinnom vocetur, ſed vallis caedum. 7. Efficiam ut Judaei et Hieroſolymitani conſilio et auxilio deſtituti in hoc loco gladio hoſtium ſuorum cadant necem eorum optantium; cadavera vero avibus et feris animalibus objiciam devoranda. 8. Urbem ipſam tradam vaſtandam et deridendam, ut viatores ad eam obſtupeſcant et prorſus everſam exſibilent. 9. Carne liberorum ſuorum veſcentur

Chaldaeus, et οἱ γ΄, καὶ ἄξεις. Nec tamen propterea putem ſcribarum errore excidiſſe verbum ויוצאת quod *Hubigantius* ſtatuit. Poteſt enim non nimis coacte verbum proxime praecedens הלוך repeti: Abi tu ומזקני et e ſenioribus quidam.

tur et hominibus pro cibo utentur propter inopiam, qua ab hoſtibus et adverſariis ſuis in obſidione prementur. — — 10. Tum frangito lagenam videntibus viris illis, qui te ſunt comitati: 11. et ſic perge: Ita Jova omnipotens dicit: Eundem in modum frangam hunc populum et hanc urbem, quemadmodum frangitur vas figulinum, nec poteſt reſtitui. In Tophet vero ſepelietur alio loco non ſuppetente. 12. Ita faciam huic loco, inquit Jova, et incolis ejus. Urbs ipſa eandem cum Tophet ſortem habebit. 13. Similes erunt Hieroſolymae domus et palatia regum Judae impuris iſtis Topheti *b*) locis. Nimirum omnes iſtae domus, in quarum tectis ſuffitum obtulerunt aſtris coeleſtibus et libamina fecerunt diis peregrinis. — — — 14. Tum Jeremias rediit ex Topheto, quo eum Jova ad vaticinandum miſerat, et ſubſtitit in atrio templi, ita univerſum populum allocutus: Haec dicit Jova omnipotens Deus Iſraëlitarum: 15. Adducam non ſolum contra hanc urbem, ſed et alia *Judaeae* oppida, omnia mala iſta, quae eis minatus ſum, nam perſiſtunt in iſta ſua adverſus me contumacia.

CAPUT XX.

1. Cum vero Paſchur, Immeri ſacerdotis filius, praefectus templo, audiret Jeremiam ſic vaticinantem, 2. manum ei injecit, et in cippum, qui fuit in porta

 Ben-

b) *Hieronymus* ad h. l.: *Quod autem in LXX infertur*: *omnes domus regum Judae, ſicut locus Tophet*, in Hebraico non habetur. Sed habent ea omnes verſiones antiquae.

Benjaminitica ſuperiori juxta templum, conjecit.
3. Poſtridie vero eum ex carcere iterum dimiſit. Tum Jeremias Paſchuri dixit: Jova te non amplius Paſchur, ſed Magor Miſſabib vult vocatum. 4. Haec enim tibi minatur: Timorem injiciam tibi et amicis tuis omnibus. Gladio hoſtili cadent te ſpectante. Judaeos vero regi Babylonis tradam, qui eos partim Babylonem abducet, partim gladio interficiet. 5. Porro omnes hujus urbis opes, omnia pretioſa multo labore parta, divitias omnes regum Judae hoſtibus eorum tradam diripiendas, auferendas, Babylonem deducendas. 6. Tu ipſe quoque, Paſchur, omnesque tui domeſtici, captivus Babylonem abduceris; ibi morieris et ſepelieris. Non ſolum tu, ſed etiam amici tui, quibus iſta mendacia es vaticinatus. — — 7. Ego vero, o Jova, tuae voluntati, cui reſiſtere non potui, morem gerens ſub ſpe longe alia munus prophetae ſuſcepi, in quo illuſioni et contemtui aliorum perpetuo ſum expoſitus. 8. Partim enim a) non niſi de vi *hoſtili* et vaſtitate *hujus terrae* dicendum mihi eſt, partim propter mandata tua perpetuo omnium opprobrium et illuſionem experior. 9. Igitur nonnunquam conſilium cepi non amplius

plius

a) Duplex ratio redditur, quae per duplex כִּי indicatur, in quo propheta, ſive potius ſpes ejus de munere ſuo concepta ſit deluſa; partim quod nihil niſi vaſtationem terrae ab hoſte inferendam praedicere debeat, partim quod propterea omnium opprobrio ſit expoſitus.

plius de te aut nomine tuo verba facere. Sed tunc intus, in oſſibus meis ſenſi, quaſi ignem ardentem, quo ita ſum fatigatus, ut diutius eum non poſſem ſuſtinere. 10. Etſi audio multorum calumnias ab omnibus partibus timendas; indicate nobis, inquiunt, quae deferre contra eum poſſemus. Omnes amici mei mihique familiares *b*) *dicunt*; fortaſſe poterit decipi, ut eum ſuperemus et vindictam de eo ſumamus: 11. Tu tamen Jova mihi ades inſtar petentis herois, propterea perſecutores mei impingent, nec quidquam efficient. Vehementer eos perpetua ignominia obrutos irritorum ſuorum conatuum pudebit. 12. Tuam vero, o Jova omnipotens, qui juſtum exploras, atque intima hominum ſenſa noſti, vindictam de eis videbo, tibi enim cauſam meam commiſi. 13. Canite Jovam, laudato eum, nam ſervat pauperem a violentia impiorum. — 14. *Ille vero inquiet*, *c*) infelix ſit dies quo natus ſum.

b) In textu eſt שֹׁמְרֵי צַלְעִי quae vulgo habentur pro praedicato praecedentis כֹּל אֱנוֹשׁ שְׁלֹמִי omnes pacem mecum colentes, *obſervant lapſum meum* h. e. intenti ſunt ad perniciem meam, coll. Pſ. XXXV, 15. Sed ex uſu hujus phraſeos apud Arabes (nam praeter h. l. in textu hebraeo non extat) *Scheidius* in ſpecimine Obſervatt. pag. 30. probavit, eam dici de ſocio et familiari, qui latus alterius quaſi cuſtodit, ſ. ut latine dicitur, adhaeret. Quae quin vulgari explicationi praeferenda ſint, nemo neget.

c) Nimis acerbae ſunt illae imprecationes, quam ut Jeremias

ſum. Non bona verba audiantur eo die, quo me ma-
ter mea peperit. 15. Infelix ſit, qui matri meae an-
nunciavit natum ei eſſe filium, inſigni eum afficiens
laetitia. 16. Similis ſit vir ille urbibus, quas Deus
evertit, nunquam reſtituendas. Aut ſicut is qui ma-
ne clamorem audit et vociferationem circa meridiem.
17. Cur non interfectus ſum in utero, ut mater mea
ſepulcrum meum eſſet, aut uterus ejus graviditas per-
petua? 18. Cur tandem utero ſum egreſſus, ut mo-
leſtiam et aegritudinem viderem vitamque meam in
ignominia finirem?

SECTIO

mias eas de ſe dixerit. Quanquam enim nonnunquam de hoſtium in ſe malevolentia conqueritur, tamen moderatae ſunt iſtae querelae; in Deo ſpem ſuam ponit, huic ſe ſuamque cauſam commendat. Ex collatione quoque verſus 11. cum verſu 18. plane apparet Jeremiam non de ſe, ſed de hoſtibus ſuis loqui. In illo eis praedicit pudorem et ignominiam, in hoc, is quem loquentem inducit, idem ſibi evenire conqueritur. Igitur aſſentior *Venemae*, qui exiſtimat prophetam per proſopopoeiam loquentem inducere hoſtium ſuorum quemdam, v. c. Paſchurem, qui propter calamitatem ſuam in verba haec deſperabunda erumpat. Quae apte cohaerent cum verſu 13. in quo piorum laetum carmen exhibuerat propter auxilium divinum, cui jungit aliud impiorum lugubre et deſperatum. Ellipſis vero verbi *dicere* nemini durior videbitur.

Google

SECTIO XI. CAPUT XXI. a)

1. Rex Sedekias Paſchurem Malchiae filium et Zephanjam Maaſajae filium ſacerdotem, ad Jeremiam miſerat, ut eum rogarent, 2. velit intercedere pro eis apud Jovam, quod Nebucadnezar rex Babylonis urbem oppugnaret. Fortaſſe Jova pro admiranda ſua potentia effecturus ſit, ut *rex* obſidionem ſolvat. 3. Tum Jeremias juſſu Dei legatis ſic reſpondit: 4. Haec referre debetis ad Sedekiam: Sic dicit Jova

T 5 Deus

a) Loco plane alieno hoc caput poſitum eſt. Ex ſerie hiſtoriae legendum eſt poſt Cap. XXXVI. Tempus enim rei geſtae incidit in initium oppugnationis Hieroſolymae, cum Chaldaei ipſam urbem nondum arctius concluſiſſent, ſed eminus obſiderent. Perquam appoſite Illuſtris *Michaelis* ad hoc caput obſervavit, ſitum urbis et regionis circumjacentis inprimis idoneum fuiſſe ad hoſtem arcendum. Nam ex locis excelſis, quibus Hieroſolyma ab omnibus fere partibus cincta erat, hoſtes facile aditu poterant prohiberi. Videntur quoque Judaei ab initio oppugnationis loca illa excelſa tenuiſſe atque ex eis contra Chaldaeos pugnaſſe. De eo enim verba verſus quarti מִחוּץ לַחוֹמָה intelligo, ſive de Chaldaeis, uti in verſione factum eſt, ſive de Judaeis explicentur. Atque tum quidem videtur Sedekias primum legatos miſiſſe ad Jeremiam. Quod deinde iterum factum eſt, cum Chaldaei Aegyptiis, qui Judaeis in auxilium venerant, obviam iſſent progreſſi et ad tempus ſolviſſent obſidionem, de quo eſt in Cap. XXXVII.

Deus Iſraëlitarum: Ego avertam arma veſtra, quibuscum pugnatis adverſus regem Babylonis et Chaldaeos vos eminus obſidentes, atque eos in ipſam urbem introducam. 5. Ego ipſe aperte, omni vi mea, omni ira et indignationis vehementia adverſus vos pugnabo. 6. Efficiam ut hujus urbis incolae, homines et animalia atroci peſte moriantur. 7. Deinde Sedekiam regem Judae, ejus aulicos, et qui in urbe ex peſte, gladio hoſtili et fame ſuperſtites fuerint, tradam Nebucadnezari Babylonis regi et hoſtibus necem eorum cupientium, qui eos ſine ulla miſericordia gladio interficiat. — — 8. Populo vero haec dicito: Propono vobis, inquit Jova, vitae et mortis conditionem; 9. quicunque in urbe manſerit, gladio, fame et peſte peribit; ſed qui Chaldaeis vos obſidentibus ſe tradiderit, vivus ſervabitur et ſaluti ſuae conſulet. 10. Mala enim, non bona, adverſus hanc urbem decrevi, inquit Jova. In poteſtatem regis Babylonis veniet, qui eam igne comburet. 11. Domui vero regis Judae *b*) *haec dicito:* Audite vos ex gente Davidica, 12. quod Jova dicit: Jus tempeſtive exercete, et defendite oppreſſum ab opprimente, ne ira mea inſtar ignis erumpat et inextincta ardeat, propter vitae veſtrae improbitatem. 13. Ad vos quoque me converto, inquit Jova,

b) Repetendum eſt תֹּאמַר ex verſu 8. Sed בֵּית דָּוִד male initium facit ſequentis verſus 12.

va, qui vallem inhabitatis c) et petram in planitiem vergentem. Vos quidem putatis neminem poſſe usque ad vos deſcendere aut habitationes veſtras invadere. 14. At enim vero ego prouti moribus veſtris commeruiſtis in vos animadvertam, inquit Jova, et ignem incendam in urbibus veſtris qui omnia vicina comburat.

SECTIO XII. CAPUT XXII. a)

1. Juſſit me Jova abire ad palatium regis Judae, ibique edicere quae ſequuntur: 2. Audi, quod Jova dicit, rex Judae Davidis ſucceſſor, miniſtri tui, populus tuus, qui has portas ingredi ſolent: 3. Jus et juſtitiam exercete, liberate eum, cui injuria fit, peregrinum, pupillum et viduam ne opprimite aut violenter tractate, nec caedem hoc in loco committite. 4. Quae ſi feceritis, non deerunt, qui in his aedibus regiis inſideant throno Davidis, curribus et equis vehantur una cum miniſtris ſuis et aulicis hominibus. 5. Sin minus, per me ipſe, inquit Jova, juro, has aedes vaſtatum iri. — — 6. Immo ſic minatur Jova au-
lae

c) Urbis incolas alloquitur cum reſpectu ad ſitum montis Sionis et Moriae editiorem.

a) Hoc caput referendum videtur ad initia regni Jojakimi, qui fratri Joachaſo ſ. Schallumo ſucceſſit, poſtquam hic a Nechone rege Aegypti in captivitatem abductus fuerat, in qua etiam mortuus eſt. 2 Reg. XXIII, 30—36. 2 Chron. XXXVI, 1—4.

lae regis Judae: Similis quidem es Gileaditidi et cacumini Libani. *b*) Sed non verax habear, ni te in ſolitudinem redigam, in urbes non habitatas. 7. Parabo contra te deſtructores ſingulos ſuis inſtrumentis inſtructos, qui cedros tuas lectiſſimas caedant et in ignem projiciant. 8. Tunc aliarum gentium homines propter hanc urbem forte iter facientes interrogabunt, cur Jova tanta calamitate affecerit hanc urbem? 9. Et reſpondebitur: quod Jovae Dei ſui foedere violato peregrinos Deos adorarunt et coluerunt: — — 10. Nolite deflere eum qui mortuus eſt, neque de eo lugere *c*). Plangite eum, qui diſceſſit nunquam reverſurus, nec patriam ſuam iterum viſurus. 11. Haec enim dicit Jova de Sallumo, Joſiae regis filio, patris ſui ſucceſſore: nunquam redibit in hanc urbem ex qua diſceſſit. 12. Quo captivus abductus eſt, ibi morietur, nec hanc urbem videbit amplius. — —

13.

b) Comparat propheta familiam et omnino aulam regis Judae cum regionibus Palaeſtinae fertiliſſimis et amoeniſſimis, quae olim fuerant regni Iſraëlitici. Hinc *Grotius* putat ineſſe ſimul admonitionem, ne ſuae potentiae rex nimis confideret, idem enim ei eventurum eſſe, quod regno Iſraëlitico a Tiglatpileſero deſtructo.

c) Scil. Joſiam regem optimum, qui in praelio contra regem Aegypti ceciderat, cujus mortem omnes, ipſe quoque Jeremias, lugebant. cf. 2 Paral. XXXV, 24. 25.

13. *d*) Vae qui domum ſuam exſtruit injuſte et aedes ſuperiores inique, qui aliis tanquam mancipiis utitur, nec mercedem ſolvit. 14. Qui conſilia capit de aedibus amplisſimis et amoenis ſibi exſtruendis, et feneſtras cedro ornat et minio pingit. 15. Num putas regnum tuum perſtiturum eſſe, quia alios aemularis in aedibus ex cedris ſtructis? Pater quidem tuus ſibi quoque licitum bonorum hujus vitae uſum conceſſit, verum etiam jus et juſtitiam exercuit et ſic felix fuit. 16. Cauſam egit miſeri atque egeni, et felix erat, ſiquidem in hoc omne pietatis fundamentum ſitum eſt, inquit Jova. 17. *Tu vero nil minus quam hoc agis.* Sed oculos animumque tuum habes non niſi ad quaeſtum intentum, ad caedes patrandas, ad alios vi et injuria opprimendos. 18. Propterea haec dicit Jova de Jojakimo Joſiae filio, rege Judae: Non plangent eum: heu frater mi! heu ſoror! Non lugebunt eum: heu domine! heu decus ejus! 19. Sepultura aſini ſepelietur, tractus et projectus extra Hieroſolymae portas. — — 20. Aſcende Libanum et clama *e*). Verſus

d) Vertit propheta ſermonem ad Jojakimum fratrem Joachaſi et ſucceſſorem. cf. v. 15. 18.

e) Verſu 20—30. fata Jechoniae filii Jojakimi praedicit. Cui loco praemittit verſ. 20—23. excitationem, ad Hieroſolymam directam, ut lugeat excidium imminens. Siſtitur vero Hieroſolyma ſub perſona foeminae, uti ſaepe, propterea genus foem. adhibetur.

ſus Baſanem ede vocem tuam, clama ex Abarim *f*), nam amaſii tui ſunt proſtrati. 21. Saepe te, rebus tuis adhuc ſalvis et proſperis, admonui. Sed renuiſti obedire, atque hic mos tuus inde a juventute fuit, ut obedientiam mihi denegares. 22. Paſtores tui a vento diſſipabuntur et amatores tui captivi abibunt. Tunc certe ob tantam improbitatem tuam ſumma ignominia afficieris. 23. O tu quae habitas *g*) in Libano et inter cedros nidificas, quomodo ingemiſces correpta doloribus mulieris parturientis! — 24. Per vitam meam juro, inquit Jova, Si vel annulus ſignatorius eſſes, Chonjahu, Jojakimi fili rex Judae, in dextra mea, te avellam. 25. Tradam te hoſtibus tuis quos

f) *Abarim* eſt nomen proprium montis cis Jordanum e regione Hierichuntis. vid. *Relandi* Palaeſtina p. 339. et *Bachiene* in Deſcript. Palaeſt. Vol. I. P. I. p. 299. Antiquiores interpretes ut nomen appellativum vertunt. Oi ó diviſim legerunt מֵעֵבֶר יָם — *εἰς τὸ πέραν τῆς θαλάσσης*. Syrus: *ab ulterioribus maris littoribus*. Vulgatus: *ad transeuntes* לְעֹבְרִים — — *Amaſii* h. l. videntur eſſe reges et principes, quibus gloriabatur Hieroſolyma, et a quibus ornabatur.

g) יֹשַׁבְתְּי et מְקֻנַּנְתְּי eſt forma contracta ex participio et pronomine perſonali יֹשֶׁבֶת אַתְּי in lingua Syriaca uſitatiſſima. Similis eſt ſequens נֶחַנְתְּי ex participio Niphal cum pronomine a חנן. vid. *Schultenſii* Inſtitt. L. Hebr. p. 309. et 487.

quos times. Nempe Nebucadnezari regi Babylonis et Chaldaeis. 26. Te matremque tuam projiciam in peregrinam terram, in qua non nati eſtis, ibique moriemini. 27. In terram vero, in quam redire vehementer cupitis, nunquam revertemini. — — 28. An ut contemta et confracta ſtatua eſt vir iſte Chonjahu? *h*) an vas eſt adeo inutile, ut non ipſe ſolum ſed et poſteri ejus projiciendi et transferendi ſint in terram iis ignotam? — 29. O terra, terra, terra, audi quod Jova dicit! 30. Sic vero ille: Literis hoc mandate: Virum iſtum infeliciſſimum futurum eſſe. Omni per omnem vitam ſuam proſperitate cariturum, neque ex poſteris ejus ullum hac felicitate eſſe potiturum, ut in throno Davidis ſedeat, aut regno Judae praeficiatur.

SECTIO XIII. CAPUT XXIII. *a*)

1. Vae paſtoribus, qui perdunt et diſpergunt gregem meum,

h) Eſt objectio Judaeorum, qui verbis Jeremiae non credebant.

a) Quoniam propheta jam in antecedenti capite de Jojakimo et Jechonia et impiis populi praefectis illorum temporum dixerat, fortaſſe hoc ad tempora Sedekiae referendum eſt, quibus ſumma omnium ordinum corruptio fuit, qualem propheta deſcribit. Interſerit tamen h. l. promiſſionem de liberatione populi ex exilio et reſtitutione reipublicae, cui et alteram pro more prophetarum addit, de ſalute in Meſſia expectanda. v. 5. 6. cf. locum parallelum cap. XXXIII, 16.

meum, inquit Jova. 2. Propterea ego Iſraëlitarum Deus haec minor iſtis populi mei paſtoribus: vos quidem diſſipatis et diſpellitis gregem meum; nec ullam ejus curam habetis. Sed puniam vos propter iſtam improbitatem veſtram, inquit Jova. 3. Ego vero reliquias gregis mei ex omnibus regionibus, per quas diſpergi eas paſſus ſum, colligam atque reducam ad caulas ſuas, ubi foetificabunt et multiplicabuntur. 4. Praeficiam eis paſtores, qui eas ſtudioſe paſcent, nec amplius eis deſtructio aut captivitas *b*) erit timenda, inquit Jova. 5. En! futurum eſt, ut excitem ex familia Davidis ſobolem genuinam, quae regnabit et proſperabitur atque juſtitiam exacte exercebit. 6. Ejus temporibus ſervabitur Juda, et Iſraël ſecure habitabit. Vocabitur vero Jova juſtitia noſtra. 7. Sane futurum eſt, ut non amplius jurent per Jovam, qui Iſraëlitas ex Aegypto eduxit. 8. Sed per Jovam, qui eduxit Iſraëlitarum poſteros ex terra ſeptentrionali, atque ex omnibus regionibus, per quas erant diſperſi, terramque ſuam iterum inhabitabunt. — — 9. Prophetas quod attinet, ego quidem animo intime afficior,

com-

b) Verba textus ſunt וְלֹא־יִירְאוּ עוֹד וְלֹא־יֵחַתּוּ וְלֹא יִפָּקֵדוּ in quibus verbum חתת ſatis clare innuit deſtructionem reipubl. reſtitutae non timendam. הִפָּקֵד eſt *deſiderari* ſ. deſiderio rei abſentis affici, hinc et latius pro *abeſſe*, ut lat. *deſiderari*. Sic ſupra adfuit Cap. III, 16. cf. *Schultenſius* ad Prov. XIX, 23.

commoventur omnia oſſa mea, ſimilis ſum homini ebrio, viro a vino ſuperato propter Jovam, propter tremenda Jovae verba. 10. Nam adulterorum plena ſunt omnia, quamvis prae maledictione *Dei* terra lugeat, paſcuis deſerti areſcentibus, et quamvis vires eorum *ſc. potentum* fractae ſint, eorumque dominatio infirma. 11. Etenim prophetae aeque ac ſacerdotes profane agunt, adeo in aede mea deprehendo eorum ſcelera, inquit Jova. 12. Propterea in via lubrica eaque caliginoſa incedentes offendent et cadent. Nimirum inveham in eos malum, tempus poenarum, inquit Jova. 13. Prophetae quidem Samaritani magnae improbitatis ſe reos fecerant, per Baalem vaticinantes, populumque meum Iſraëliticum ſeducentes. 14. Sed in prophetis Hieroſolymitanis video peccata prorſus horrenda. Adulteriis et mendaciis dediti obfirmant malos impietate ſua, ita ut hi de emendanda pravitate ſua nunquam cogitent. Omnes ſimiles ſunt Sodomae, ejusque (Hieroſolymae) cives Gomorrhae. — — 15. Propterea haec minatur Jova omnipotens iſtis prophetis: en! cibabo eos abſinthio, potabo eos aquis felleis, nam a prophetis hieroſolymitanis profanitas per totam terram eſt propagata. 16. Haec dicit Jova omnipotens, ne audiatis iſtos prophetas vobis vaticinantes. Vana ſpe vos ludunt, animi ſui figmenta loquuntur, non quae a me acceperint. 17. Subinde mei contemtoribus affirmant, me bona omnia eis promit-

U tere,

tere, et qui ex mentis ſuae pravitate vivit, ei negant mali quidquam timendum eſſe. 18. Quis enim *eorum* ad arcana Dei conſilia eſt admiſſus? aut quae ſit voluntas ejus, audivit? quis percepit dicta ejus, aut intellexit? 19. En ira Dei inſtar turbinis erumpit: inſtar tempeſtatis praegnantis impiorum capitibus imminet. 20. Non remittet illa Jovae ira, donec perfecerit decreta ejus omnia: id quod aliquando plane intelligetis. 21. Non miſi iſtos prophetas et tamen currunt. Non locutus ſum cum illis, et tamen vaticinantur. 22. Nam ſi conſiliorum meorum facti eſſent participes, hominibus etiam voluntatem meam indicarent, eosque a vitae ſuae pravitate morumque corruptione avertere ſtuderent. 23. Putatisne me Deum eſſe, qui tantum ſibi propinqua curet, inquit Jova, et non etiam remota? 24. Quis eſt qui ita in tenebris lateat, ut eum videre non poſſim? nonne ego coelum et terram impleo? inquit Jova. — — 25. Bene novi quid dicant iſti prophetae nomine meo falſo vaticinantes: ſomniavi, ſomniavi. 26. Quousque tandem talia proferent falſi iſti et doloſi prophetae? 27. Qui id tantum intendunt, ut populum meum ſuis ſomniis, quae ſtudioſe divulgant, ad mei oblivionem ſeducant, quemadmodum majores eorum mei propter Baalem ſunt obliti. 28. Propheta qui ſomniavit narret ut ſomnium, ſed qui a me revelationem accepit, bona fide eam enuntiet. Quid ſtramen cum frumento commune habet?

habet? inquit Jova. 29. Nonne ardent verba mea ſicuti ignis? nonne frangunt ſicuti malleus ſaxa? 30. Propterea animadvertam in iſtos prophetas, inquit Jova, qui mea verba aliis ſubtrahunt. 31. Animadvertam, inquam, in iſtos prophetas, qui copioſe proferunt *c*) ſua inſpirata. 32. Puniam eos falſa ſua ſomnia tantum vaticinantes et divulgantes, quibus ſuis mendaciis vaniſſimis populum meum ſeducunt, cum tamen eos neque miſerim, neque quidquam praeceperim, nec poſſint etiam huic populo ullo modo prodeſſe, inquit Jova. — — 33. Quodſi ex te ſive de plebe aliquis, ſive propheta, ſive ſacerdos quaeſierit: ecquae ſunt minae Jovae? *d*) reſponde eis: vos eſtis

U 2 onus,

c) In textu eſt הַלֹּקְחִים לְשׁוֹנָם וַיִּנְאֲמוּ נְאֻם proprie: *foecundantes linguam ſuam*, ex ſignificatione prim. hujus verbi, de qua *Schultenſius* in Commentario ad Prov. Salom. Alterum verbum נְאֻם proprie dici de *oraculis*, notum eſt. Explico igitur haec verba per ἓν διὰ δυοῖν, *foecunde ſ. copioſe proferunt oracula divina.* Sic non opus eſt criſi *Habigantii:* החלקים *qui mollem faciunt linguam ſuam*, quod tamen ſcriptum eſſe debebat מחליקים; nec ſequens נאם mutandum eſt in נעם *dulcrum faciunt ſermonem.* Prius non male verterunt οἱ ό, τὰς ἐκβάλλοντας προφητείας γλώσσης: poſterius derivarunt a נום καὶ νυστάζοντες νυσταγμὸν αὐτῶν.

d) Hebr. מַה מַשָּׂא יְהוָה. Illudebant ſic interrogando profani homines prophetae, vocabulum מַשָּׂא *onus*, pro gravi

onus, * quod ego abjiciam, inquit Jova. 34. In pro-
phetam vero, aut ſacerdotem, aut plebejum, qui vo-
cem *oneris* Jovae uſurparit, animadvertam, cum in
ipſum, tum in domum ejus. 35. Sic vero alter alte-
rum interroget: quid reſpondit Jova, aut quid dixit?
36. A voce vero *oneris Jovae* prorſus abſtinere debetis.
Oneri enim erit cuique verbum illud ſuum, quo dictis
Dei vivi Jovae omnipotentis Dei noſtri illuditis.
37. Igitur ſic dicere debetis prophetae: quid reſpondit
Jova, aut quid eſt locutus? 38. Quodſi vero vocem
oneris Jovae in poſterum tamen uſurpaveritis, Jova
vobis minatur, ſe propter iſtum iſtius vocis abuſum,
quem tamen vobis interdixit, 39. vos eſſe ablaturum
et remoturum e conſpectu ſuo, atque hanc urbem,
quam majoribus veſtris dedit, repudiaturum, 40. vos
vero perpetuo opprobrio ignominiaeque nunquam ob-
literandae expoſiturum.

SECTIO XIV. CAPUT XXIV.

1. Oſtendit mihi Jova duo ficuum caniſtra poſita ante
tem-

gravi ſ. minaci vaticinio accipientes, quam ſignificationem tamen non habebat, ſed quodcunque dictum aut effatum indicabat. vid. *Glaſſius* in Philol. S. p. 865. Quoniam vero pleraque, quae propheta nomine Dei dicebat, gravia erant et minacia, formulam hanc משא יהוה qua utebatur in promulgandis ſuis vaticiniis, detorquebant in alienum ſenſum, quaſi nil niſi oneroſa et moleſta proferret.

templum Dei, poſtquam Nebucadnezar rex Babylonis, Jechoniam Jojakimi filium, Judae regem, nec non Judaeorum principes et fabros lignarios et ferrarios Hieroſolyma Babylonem abduxerat. 2. In altero horum caniſtrorum ficus erant perquam bonae, quales ſolent eſſe ficus primitivae: Alterius vero caniſtri ficus erant ita malae, ut comedi non poſſent. 3. Tum Jova me interrogavit, quid viderem? Ficus, reſpondi, quarum aliae ſunt valde bonae, aliae ita corruptae, ut comedi non poſſint. 4. Tum Jova ita mecum colloqui pergebat: 5. Quemadmodum tu approbas ficus iſtas bonas, ita ego favebo captivis iſtis Judaeis, quos ex hoc loco in terram Chaldaeorum abduci paſſus ſum. 6. Curam eorum geram, eosque in hanc terram reductos reſtaurabo, nunquam deſtruendos, plantabo nunquam evellendos. 7. Mentem eis dabo, quae me cognoſcat. Ego ſum Jova, meus erunt populus, ego eorum Deus, ſiquidem tota mente ſeſe ad me convertent. 8. Quod vero iſtas ficus attinet, quae adeo corruptae erant, ut comedi non poſſent, tales erunt, inquit Jova, Sedekias rex Judae et aulici ejus, et ſuperſtites Hieroſolymitani vel hanc terram vel Aegyptum incolentes. 9. Efficiam ut incerti vagentur per omnia regna, et opprobrium, parabola, dicterium atque adeo execrabiles ſint in omnibus locis, per quae eos diſſipavero. 10. Gladio, fame, et peſte eos perſequar,

ſequar, donec omnes ex hac terra ſublati fuerint, quam majoribus eorum dederam.

SECTIO XV. CAPUT XXV.

1. Anno quarto Jojakimi, filii Joſiae, Judaeae regis, qui primus eſt Nebucadnezaris, regis Babylonis, Jeremias hoc oraculum accepit, 2. quod coram univerſo populo Judaico omnibusque Hieroſolymae incolis ſic eſt elocutus. 3. Inde ab anno tertio decimo Joſiae Ammonis filii, Judaeae regis, usque ad hunc diem per hos viginti tres annos, Jovae voluntatem mihi revelatam vobis ſummo ſtudio et aſſiduitate expoſui, ſed non obtemperaſtis. 4. Praeterea Jova ad vos complures alios miniſtros ſuos prophetas miſit, ſed neque hos audiviſtis, nec dictis eorum aurem praebuiſtis, 5. cum vos admonerent, ut ne ulterius pergeretis in mala iſta veſtra agendi ratione morumque pravitate; tunc vos hanc terram, quam Jova majoribus veſtris poſſidendam dedit, perpetuo eſſe habitaturos, 6. ut ne alios Deos ſectaremini, quos coleretis, aut adoraretis, nec iſtis idolis a vobis ipſis effictis iram Dei provocaretis; tunc vos mali omnis expertes eſſe futuros. 7. Sed vos mihi non obediſtis, inquit Jova, vos me operibus a vobis fictis irritaſtis, quod vobis erit pernicioſum. 8. Propter iſtam inobedientiam veſtram ſcitote, 9. me Jovam omnipotentem adducturum eſſe omnes ſeptentrionis nationes, nempe Nebucadnezarem Babylonis regem,

regem, ſervum meum, contra hanc terram et incolas ejus et contra omnes gentes finitimas, qui eas evertet, et in ſtupendam, exſibilandam et perpetuam vaſtitatem redigat. 10. Auferam ex his nationibus omnes gaudii et laetitiae clamores, ſponſi et ſponſae cantus, ceſſabit adeo molarum ſtrepitus, nec cernetur lucernae lumen *a*). 11. Tota haec terra vaſtabitur, atque hae gentes ſervient regi Babylonis per ſeptuaginta annos. 12. Quibus completis animadvertam in regem Babylonis et in iſtam nationem, inquit Jova, propter eorum peccata, nempe in terram Chaldaeorum, quam in perpetuam vaſtitatem redigam. 13. Atque ita curabo, ut omnes comminationes meae contra eos prolatae impleantur, quae in libro ſcriptae extant, quo Jeremias contra has gentes eſt vaticinatus. *b*) 14. Multae enim gentes, magnique reges eos in

a) Prius verſus membrum adfuit ſupra Cap. VII, 34. XVI, 9. In poſteriori videtur eſſe dictio proverbialis, qua ſumma terrae vaſtatio et ſolitudo indicatur.

b) *Venema* exiſtimat prius hujus verſus membrum reſpicere ad ſuperiores prophetas, inprimis Jeſaiam, poſterius vero non eſſe ab ipſo Jeremia, ſed poſtea ab eo additum, qui librum Jeremiae recenſuerit, ut indicaretur Jeremiam juſſu et auctoritate divina ſua vaticinia contra gentes edidiſſe. Mihi vero non ita videtur. Nam quod Jeremiae nomen in tertia perſona adhibetur, id parum probat, cum in pluribus aliis locis Jeremias de ſe in tertia perſona,

in ſervitutem redigent, et ſic eis rependam prouti
actionibus ſuis commeruerunt. — — 15. Tum Jova
Iſraëlitarum Deus ita me *in viſione* allocutus eſt: acci-
pe hunc calicem vini ferventis e manu mea, quem
propines omnibus iſtis gentibus, ad quas te mitto,
16. ut bibant, et metu belli, quo ego eos perſequar,
perculſae fere inſanire incipiant. 17. Cum igitur cali-
cem iſtum e manu Jovae accepiſſem, propinavi eum
omnibus iſtis gentibus, ad quas me miſerat. 18. Ni-
mirum Hieroſolymae et Judaeae urbibus, regibus ejus
et principibus, ut vaſtentur et deſtruantur et aliorum
contemtui exponantur, quemadmodum ejus rei jam
initium factum eſt *c*). 19. Pharaoni Aegypti regi, mi-
niſtris ejus et principibus, nec non univerſo ejus po-
pulo: et mixtae hominum turbae apud eos degenti *d*).
20. Regibus terrae Uz et Philiſtaeorum, Aſcaloni, Ga-
zae,

ſona, nomine ipſo poſito loquatur. Omnes verſiones antiquae legunt haec verba. Scriptum etiam eſſe deberet וְאֵת ſi poſterius membrum a priori diſtingueretur. Exhibentur vero haec vaticinia contra gentes Cap. XLVI — LII.

c) Scilicet ſub rege Jojakimo.

d) וְאֵת כָּל־הָעֶרֶב ex ſequenti verſu 20. videntur ad hunc referenda. Sic *οἱ ό* qui vertunt: *καὶ πάντας τὰς συμμικτὰς αὐτῆ*. *Hieronymus* intelligit peregrinos in Aegypto commorantes. Non poſſunt eſſe Arabiae gentes, quae in verſu 24. vocantur *reges* Arabiae.

zae, Ekroni, et Aſchdodae reliquiis. 21. Idumaeis, Moabitis, et Ammonitis. 22. Regibus Tyri et Sidonis, et iſtarum regionum regibus quae trans mare ſunt. 23. Tetanitis, Temaitis et Buſitis, omnibusque in coma tonſis. *e*) 24. Arabiae regibus et turbae Arabum mixtae deſertum inhabitanti. 25. Regibus Simritarum et Elamitarum et Medorum. 26. Regibus ſeptentrionis, cum propinquis, tum remotis, et omnino omnibus iſtarum regionum regnis. Tandem poſt omnes etiam regi Bellatori *f*). 27. Ita vero eis nomine Jovae omnipotentis Iſraëlitarum Dei dicere debebam: Bibite, inebriamini, vomite, cadite non ſurrecturi propter gladium, quem in vos mitto. 28. Quodſi recuſant calicem a te accipere et bibere, tum eis nomine meo dices: Utique vobis bibendum eſt: 29. Etenim ſi ab urbe a me nominata punire incipiam, num vos eritis immunes? immo vero non eritis: Advoco ego gladium contra omnes hujus terrae incolas, inquit Jova omnipotens. — — 30. Poſtquam vero eis iſta

e) Cf. notam ad Cap. IX, 25.

f) In textu hebraeo eſt מֶלֶךְ שֵׁשַׁךְ cujus nominis variae allatae ſunt a viris doctis originationes. Mihi quidem prae aliis placet ea quam *Venema* in Commentario ad h. l. dedit. Is deducit ab Arabico شاك *punxit*, *ſpina transfixit*, quod tropice de fortitudine bellica dicitur, qua aliquis formidabilis eſt. Quod nomen regno Babylonio eſt convenientiſſimum. Plura vide in *Glaſſii* Philol. S. pag. 752.

omnia annunciaſti, tum ita perges: Jova e coelo diras eloquitur, e ſancta ſua ſede vox ejus auditur: diris devovet ſuum domicilium, clamorem effert qualis eſt uvas calcantium contra omnes hujus regionis incolas.
31. Oritur tumultus, qui ad extremos terrae terminos pervadit. Litem habeo cum iſtis gentibus, judicabo homines iſtos debiles, impios gladio addicam, inquit Jova. — — 32. Idem ille Jova omnipotens haec dicit:
En tantum malum ab una gente ad alteram pertinget, tantaque tempeſtas ab extremis terrae finibus excitabitur, 33. ut a me occiſi per totam terram, quam late patet, disjecti jaceant. Non plangentur, nec collecti ſepelientur, humum ſtercorabunt. 34. Ejulate paſtores et clamate, lugete ductores gregis, adeſt dies, quo mactemini * et confracti cadatis, ut vaſa pretioſa. 35. Nec paſtores effugere, nec gregis ductores evadere poterunt. 36. Illorum clamores, horum ejulatus ubique reſonabunt, vaſtante Jova eorum paſcua.
37. Immo deſtruentur caulae pacatae ab ira Jovae saevientе. 38. Qui inſtar leonis luſtrum ſuum relinquit; hinc terra vaſtabitur per iram Jovae, * per irae ejus impetum.

SECTIO XVI. CAPUT XXVI.

1. Initio regni Jojakimi, Joſiae filii, regis Judae, juſſit me Jova, 2. in atrio templi ad Judaeos, qui ex omnibus urbibus ibi adoratum venirent, quae mihi man-

mandaſſet, eloqui, nec quidquam eorum reticere. 3. Si forte poenitentiam agerent, vitamque ſuam impiam emendarent, ut abſtinere poſſit a poenis, quas eis propter improbitatem ſuam infligere decreviſſet. 4. Ita vero dicere debebam: Haec minatur Jova: Niſi mihi obtemperaveritis, ita ut ex lege mea vobis lata vivatis, 5. et dictis miniſtrorum meorum, prophetarum, quos indeſinenter et nullo non tempore ad vos inobedientes miſi, morem geratis: 6. ſimilem faciam hanc aedem Silunti, urbem vero hanc omnibus populis execrabilem reddam. — — 7. Cum vero ſacerdotes et prophetae, omnesque qui aderant, Jeremiam haec dicentem audirent, 8. poſtquam abſolverat, quae Dei nomine omnibus dicere juſſus fuerat, eum prehenderunt et ſupplicio dignum judicarunt, 9. quod Jovae nomine vaticinatus ſit, futurum eſſe, ut idem eveniat templo quod Silunti, et ut urbs ita deſtruatur, ut ne incola quidem ſuperſit. — — Tum univerſus populi coetus in Jovae templo ad Jeremiam confluxit. 10. Quae cum Judaeae proceres audirent, ex arce regia ad templum ſe contulerunt. Ibi cum in introitu * portae novae conſediſſent, 11. ſacerdotes et prophetae eis et univerſo coetui dicunt: hic homo capitale crimen commiſit, nam contra hanc urbem vaticinatus eſt, quae ipſi audiſtis. 12. Tum Jeremias proceres omnesque qui aderant his verbis eſt allocutus: Jova me miſit, ut ea omnia quae audiſtis contra

hanc

hanc aedem et contra hanc urbem vaticinarer. 13. Igitur emendate vitam moresque veſtros, obtemperate voluntati Jovae Dei veſtri, tum ſibi temperabit ab illa calamitate, quam vobis minatur. 14. Ego quidem in veſtra ſum poteſtate, facere mihi poteſtis quaecunque vobis libuerit. 15. Verum ſcitote, ſi me interfeceritis, vos, hanc urbem, ejusque incolas caedis commiſſae reos fieri, nam Jova me vere miſit, ut vobis audientibus iſta omnia dicerem. — — 16. Ad haec *Judaeae* proceres et univerſus coetus ſacerdotibus et prophetis dixerunt: Nequaquam hic homo capitale crimen commiſit, nam ex auctoritate Jovae Dei noſtri ad nos eſt locutus. 17. Tum quoque quidam ex ſenioribus haec in illo conventu dicebant: 18. Micha Moraſchtaeus propheta regnante in Judaea Hiskia univerſo populo Judaico dixit juſſu Jovae omnipotentis: futurum eſſe, ut Sion tanquam ager aretur, ut Hieroſolymae tantum rudera ſuperſint, mons vero hujus templi ſilveſtre faſtigium exiſtat. 19. Nec tamen eum propterea rex Hiskias, aut populus Judaicus ſupplicio affecerunt, quin potius Jovam veriti precibus compellarunt. Quo facto Jova quoque eis reconciliatus abstinuit a poena, quam minatus eis fuerat. Abſit igitur a nobis ut tantum ſcelus committamus. — — 20. *a*) Fuit quidam Jovae propheta, Urias, Schemajae filius

a) Hactenus narravit Jeremias, quid actum ſit in illo conven-

filius ex Kiriath Jearim. Is etiam contra hanc urbem et terram ſimillima vaticinatus eſt his, quae Jeremias. 21. Propterea rex Jojakimus, duces ejus militares et principes conabantur eum interficere. Urias vero de eo certior factus prae timore in Aegyptum fugit. 22. Tum rex Jojakimus miſit eo homines quosdam, Elkathanum Aſchboris filium et alios, 23. qui Uriam ex Aegypto ad regem Jojakimum deduxerunt. Is eum gladio interfici et in ſepulcris ignobilioribus condi juſſit. 24. Verum Ahikamus Schafani filius ſua auctoritate effecit, quo minus Jeremias populo traderetur et ab eo interficeretur.

SECTIO XVII. CAPUT XXVII.

1. Initio regni Sedekiae * Joſiae filii regis Judae, Jova Jeremiam juſſit, 2. juga cum loris facere, atque unum eorum collo ſuo appendere, 3. reliqua vero mittere ad regem Edomitarum, Moabitarum, Ammonitarum, Tyri et Sidonis, per legatos, qui Hieroſolymam ad Sedekiam Judaeae regem veniſſent, 4. eisque

ventu. Jam addit hiſtoriam illorum temporum, ex qua intelligatur, quanto in periculo ſub impio illo rege Jojakimo fuerit, niſi auctoritate Ahikami ex eo eſſet liberatus. Hic facillimus videtur nexus hujus pericopae, in quo interpretes nonnulli laborant, quoniam putant hanc hiſtoriam, quae verſ. 20—24. ſequitur, eſſe quoque in illo conventu narratam ab aliis quibusdam Jeremiae adverſariis. Cujus rei tamen nullum eſt in textu indicium.

que mandare, ut dominis ſuis nomine Jovae omnipotentis Dei Iſraëlis dicerent: 5. Ego terram creavi, homines et animalia, quae in terra ſunt, per magnam meam potentiam virtutemque praeſentem, et pro arbitrio meo eam diſtribuo. 6. Jam vero has terras tradam Nebucadnezari Babylonis regi, meo miniſtro: atque adeo omnia animalia ei addicam *a*). 7. Huic et filio ſuo et nepoti ſubjectae ſint omnes hae gentes, donec et illud tempus veniet, quo multae nationes magnique reges huic imperabunt. 8. Quodſi vero gens aliqua aut regnum Nebucadnezari Babylonis regi ſervire, aut collum ſuum ejus jugo ſubmittere recuſaverit, in illam gentem gladio, fame et peſte animadvertam, inquit Jova, donec eam pro potentia mea conſumſero. 9. Vos igitur ne fidem habeatis prophetis veſtris, aut divinatoribus, aut ſomniatoribus, aut praeſtigiatoribus, aut magis, qui negant vos Babylonis regi eſſe ſervituros. 10. Mendacia vobis dicunt, quibus *ſi credatis* vos e terra veſtra ejiciemini, immo ipſe vos expellam et peribitis. 11. Quaecunque vero gens collum ſuum jugo regis Babylonis ſubmittet et ſerviet, illam relinquam in terra ſua, inquit Jova, ut eam colere poſſit et inhabitare. — — 12. Sedekiae vero regi Judae eadem fere dixi: Submittite vos regi Babylonis, ſervite ei et populo ejus, tunc vivetis. 13. Cur mori malletis, tu cum populo tuo, gladio, fame

a) h. e. omnibus poterit pro lubitu uti.

me et peſte, quemadmodum Jova minatus eſt ei genti, quae ſe Babylonis regi non ſubmittet. 14. Ne credatis prophetis, qui negant vos regi Babylonis ſervituros eſſe. Mentiuntur. 15. Non miſi eos, inquit Jova, nomine meo falſa vaticinantur, quibus admiſſis vos ejectos perdam, ut et prophetas, qui iſta vobis dixerunt. — — 16. Sacerdotes vero et univerſum populum ita ſum adhortatus: Haec dicit Jova: ne credatis ſermonibus veſtrorum prophetarum, qui vobis promittunt, vaſa templi e Babylone propediem iri reportatum. Mendacia dicunt. 17. Nolite igitur eis credere, ſed ſervite regi Babylonis, tunc vivetis. Ne ipſi urbis hujus vaſtandae cauſa ſitis! — — 18. Quodſi *veri* prophetae ſunt et Jova eos ſuo alloquio dignatur, intercedant apud eum precibus, quominus et reliqua vaſa templi Dei et ſupellex palatii regii aliarumque domorum Hieroſolymae Babylonem abducantur. — — 19. Etenim Jova omnipotens praedicit, futurum eſſe, ut columnae, lacus, baſes et reliqua hujus urbis ſupellex, 20. quam Nebucadnezar rex Babylonis nondum abſtulit, cum Jechoniam Jojakimi filium regem Judae Hieroſolyma Babylonem una cum nobilioribus Hieroſolymitanis deduceret: 21. Praedicit, inquam, Jova omnipotens, Iſraëlitarum Deus, futurum eſſe, ut et reliqua illa templi vaſa, et palatii regii domorumque Hieroſolymitanarum ſupellex, 22. Babylonem abducantur, ibique maneant usque ad illud tempus,

pus, quo ea iterum in hunc locum pro benignitate ſua reportanda curabit.

SECTIO XVIII. CAPUT XXVIII.

1. Eo ipſo anno ſub initium *a*) regni Sedekiae regis Judae, anno quarto, menſe quinto dixit ad me Chananja, filius Aſſuris, propheta, Gibeonita, in templo

a) בְּרֵאשִׁית quod in textu legitur, ſuſpectum videtur quibusdam interpretibus, quia annus quartus non ſatis commode initium regni dici poſſe videtur, atque Sedekias omnino undecim annos regnavit. Quodſi vero illud בראשית ex dicta ratione hoc loco delendum eſt, etiam in primo verſu capitis praecedentis eſt expungendum, niſi cum verſione graeca etiam וַיְהִי בַּשָּׁנָה הַהִיא velimus omittere. Sic enim hujus capitis inſcriptionem exhibet: καὶ ἐγένετο ἐν τῷ τετάρτῳ ἔτει Σεδεκία κ. τ. λ. Sed quoniam haec hujus prophetae verſio omnino ex diverſa textus hebraei recenſione facta videtur, quod Celeb. *Eichhorn* admodum erudite probavit, (in Parte I. Repertorii Literat. Orient.) non deſerendam putavi lectionem textus receptam, quae duplici ratione poteſt explicari. Vel ſi dicatur, ſcriptores hebraeos non ſemper ſummam in ſcribendo ἀκρίβειαν adhibuiſſe. Vel Sedekiam anno quarto demum regni ſui titulum regium et regnum adeo ipſum in dies vitae accepiſſe, cum antea ad tempus modo a rege Babylonis terrae eſſet praefectus. Quod ex itinere Sedekiae Babylonem anno quarto regni ſui Cap. LI, 59. perquam probabiliter conjectat Illuſtris *Michaelis* in Obſervat. ad h. l.

plo Dei praeſentibus ſacerdotibus multisque aliis de plebe hominibus: 2. Haec Jova omnipotens Iſraëlitarum Deus edicit: Fregi jugum regis Babylonis. 3. Intra biennium in hunc locum reducam vaſa templi, quae Nebucadnezar rex Babylonis inde ablata Babylonem deduxit. 4. Atque etiam Jechoniam Jojakimi filium, nec non exules Judaeos Babylonem deductos, reducam in hunc locum, inquit Jova. Etenim confringam jugum regis Babylonis. 5. Ad haec ego Chananjae prophetae, audientibus ſacerdotibus, multisque aliis qui in templo praeſentes erant, reſpondi: 6. Sit ita, faciat haec Jova, impleat dicta tua, reducat vaſa templi et exules Babylone in hunc locum. 7. Verum audi quoque quod tibi dicam, audiant reliqui qui adſunt: 8. Si prophetae, qui meam tuamque aetatem inde a longiſſimis temporibus anteceſſerunt, terris regnisque magnis bellum, interitum aut peſtem praedixerunt, *eventu illorum vaticiniorum veritas cognita eſt.* 9. *Similiter*, ſi propheta fauſta et fortunata vaticinatur, ex eventu ejus quod dixit, intelligitur eum verum prophetam eſſe et a Deo miſſum. 10. Tum Chananja propheta detractum a collo meo jugum confregit, 11. et dixit coram magno hominum coetu: Haec Jova promittit, ita frangam jugum Nebucadnezaris regis Babylonis intra biennium a collo omnium iſtarum gentium. Quo facto ego diſceſſi. 12. Sed Jova me denuo al-

 locutus

locutus eſt, poſtquam Chananja propheta jugum illud a collo meo detractum fregerat, 13. juſſitque ei dicere: Haec dicit Jova: Tu quidem jugum ligneum fregiſti, ſed ita in cauſa es, ut ferreum jugum ei ſubſtituatur. 14. Ferreum enim jugum, inquit Jova omnipotens Iſraëlitarum Deus, imponam collo omnium iſtarum gentium, ut Nebucadnezari regi Babylonis ſervire cogantur, atque adeo omnia terrae animalia ei addixi. 15. Porro iſti Chananjae dixi: Audi Chananja: Jova te non miſit, ſed perſuades populo tua mendacia. 16. Propterea haec dixit Jova: auferam te ex hac vita, hoc ipſo anno morieris, nam rebellionis contra me auctor es. 17. Igitur mortuus eſt Chananja propheta hoc ipſo anno, menſe ſeptimo.

SECTIO XIX. CAPUT XXIX

1. Hoc eſt exemplar epiſtolae, quam Jeremias propheta miſit Hieroſolyma ad principes honoratiores a) exulum, ad ſacerdotes, prophetas, et omnes quos Nebucadnezar Hieroſolyma Babylonem abduxerat, 2. facta traditione Jechoniae regis et reginae, aulicorum principum Judaeae et Hieroſolymae, nec non opificum lignariorum et ferrariorum, 3. per Elaſam Schafanis et Gemarjam Chilkiae filium, quos Sedekias rex

Judae

a) יֶתֶר זִקְנֵי הַגֹּלָה non *reliqui* ſeniores, ſed *ſummi*, ſ. praeſtantiſſimi, ex ſignificatione primaria verbi יתר.

Judae Babylonem ad regem Nebucadnezarem miſerat. Ita vero ſcriptum exſtabat: 4. Sic dicit Jova omnipotens Iſraëlitarum Deus omnibus captivis, quos Hieroſolyma Babylonem abduci permiſi. 5. Exſtruite domos quas habitetis, conſerite hortos quorum fructibus veſcamini. 6. Uxores ducite liberos genituri, et filiis veſtris uxores date, filiasque veſtras nuptum collocate liberos quoque parituras. Et ſic creſcite non imminuti. 7. Saluti urbis ſtudete, quo vos relegavi, et precibus veſtris pro ea apud me intercedite, nam cum ejus ſalute veſtra quoque ſalus eſt conjuncta. — — 8. Etenim ſic dicit Jova omnipotens Iſraëlitarum Deus: Cavete ne vos decipiant prophetae et harioli, qui inter vos verſantur; nec credite ſomniis veſtris. 9. Iſti enim prophetae falſo vaticinantur nomine meo, ego eos non miſi, inquit Jova. 10. Sed ſcitote me poſt ſeptuaginta demum annos favorem meum iterum vobis eſſe exhibiturum; nimirum ſic ut promiſſa mea impleam, vosque in hanc terram reducam. 11. Ego enim bene ſcio, quae facere vobis decrevi, inquit Jova, bona, non mala, talemque rerum exitum qualem ſperatis. 12. Tunc me invocabitis, ut ego vos conſtanter in precibus veſtris perſeverantes exaudiam. 13. Meum auxilium implorabitis et ego vobis exorabor, nam toto animo precabimini. 14. Et ſic vobis reconciliatus, inquit Jova, finem faciam captivitatis veſtrae:

colligam vos ex omnibus gentibus et ex locis omnibus, per quae vos diſſiparam, inquit Jova, et reducam vos in hunc locum, ex quo vos relegaram.
15. Sunt quidem inter vos qui putent me iſtos, qui Babylone ſunt, prophetas ad vos miſiſſe. — —
16. Sed ſcitote, regem illum, qui throno Davidis inſidet, omnesque qui hanc urbem *adhuc* inhabitant, populares veſtros, qui *nondum* vobiscum in captivitatem abducti ſunt, 17. Scitote, inquam, me Jovam omnipotentem gladium, famem et peſtem in eos eſſe immiſſurum. Similes eos efficiam ficubus iſtis malis, quae ita corruptae erant, ut comedi non poſſent. 18. Et ſic eos gladio, fame, et peſte perſequens, efficiam ut incertis ſedibus vagentur per omnia orbis terrarum regna, et execrationi, deteſtationi, ignominiae et opprobrio ſint expoſiti inter eas gentes, inter quas eos diſſipavero; 19. Propterea quod dictis meis morem non geſſerunt, inquit Jova, et quanquam ad eos continuo et indeſinenter mitterem miniſtros meos prophetas, tamen non obtemperarunt, inquit Jova. 20. Vos vero, quos Hieroſolyma Babylonem amandavi, audite quae vobis dixi. —
— — 21. De Achabo Kolajae et Sedekia Maaſejae filio haec eſt Jovae omnipotentis Dei Iſraëlis ſententia: Mendacia nomine meo vaticinantur, propterea tradam eos Nebucadnezari, regi Babylonis, qui vobis ſpectantibus adeo ſevero ſupplicio eos afficiet,

ficiet, 22. ut inter exules Judaeos Babylonios formula maledictionis de eis ſumatur: Similem te faciat Jova Sedekiae et Achabo, quos rex Babylonis igne torruit, 23. quoniam turpiſſimum flagitium inter Iſraëlitas commiſerunt, adulterantes aliorum mulieres et nomine meo mendatia, quae nunquam eis praeceperam, loquentes. Quarum rerum ego teſtis ero et judex. — — 24. Schemajae vero Nechlamitae nomine Jova omnipotentis Dei Iſraëlis dicere debes: *b*) 25. Quoniam tu nomine tuo literas miſiſti ad Hieroſolymitanos et ad Sephanjam Maaſejae filium ſacerdotem, nec non ad reliquos ſacerdotes, in quibus ſic ſcriptum fuit: 26. Jova te in locum Jojadae ſacerdotis ſubſtituit, ut ſis inter templi praefectos, utque homines fanaticos et qui ſe prophetas jactent in carceres et vincula conjicias. 27. Talis

 eſt

b) Recte, uti arbitror, *Grotius* judicavit de hac ultima hujus capitis pericopa, eam non pertinere ad praecedentem epiſtolam; ſed Jeremiam hoc mandatum a Deo accepiſſe, poſtquam legati rediiſſent atque hanc Schemajae epiſtolam, cujus mentio injicitur v. 26-29. ſecum attuliſſent. Jubetur igitur propheta a Deo reſcribere atque exules Judaeos certiores facere de mendaciis hujus falſi prophetae et de calumniis in ipſum Jeremiam, eique ſimul nomine Dei poenam divinam annunciare. Quod ſine dubio peculiari epiſtola fecit, cujus occaſio atque argumentum in hac pericopa tantum indicatur, ipſa vero epiſtola in hac collectione non extat.

eſt apud vos Jeremias Anathotenſis, cur eum non coërces? 28. Siquidem is literis ad nos (Babylonem) ſcriptis confirmat, *ſtatum noſtrum*, ſ. *tempus exilii noſtri* diu adhuc eſſe duraturum; hortatur ut domos exſtruamus quas habitemus, hortos conſeramus quorum fructus comedamus. *c*) — — 29. Ipſe enim Zephanja mihi iſtas literas praelegerat. *d*) 30. Tum Jova me juſſit, 31. ad exules reſcribere, eisque ejus nomine indicare, ſe velle in Schemajam, Nechlamitam, qui inter eos prophetam ageret, cum tamen ab eo miſſus non ſit, eisque tantum mendacia perſuaderet, 32. et poſteros ejus animadvertere, prolem eum habiturum non eſſe quae inter Iſraëlitas

c) Ex his verbis plane apparet, hanc pericopam non pertinere ad epiſtolam praecedentem. Alias dicendum eſſet, Jeremiam jam antea ad exules illos ſcripſiſſe epiſtolam ejusdem argumenti cum hac quae in hoc capite legitur. cf. v. 5.

d) Haec verba exponunt, qua ratione Jeremias ad hujus epiſtolae notitiam pervenerit. Sed propter argumentum ejus inſertum, mutavit propheta conſtructionem. Verſus 30. reſpondet quinto et viceſimo, et verſu ſecundo et triceſimo repetit idem illud mandatum Dei ſ. minas ejus in Schemajam. Ceterum in toto hoc loco ex idiotiſmo linguae propheta nomen ſuum proprium loco pronominis perſonalis poſuit. Quo ſubſtituto, uti in verſione factum eſt, nexus longe facilior eſt et minus impeditus.

litas habitet, nec ipſum participem futurum eſſe illius felicitatis, quam tributurus Jova ſit populo ſuo. Nam rebellionis adverſus eum auctorem eſſe iſtum *Schemajam.*

SECTIO XX. CAPUT XXX. XXXI. *a*)

1. Jeremiam Jova ſic eſt allocutus. 2. Haec dicit Jova Deus Iſraëlitarum: Inſcribe haec omnia, quae tibi dicam, libro. 3. Nam finem faciam captivitatis populi mei Iſraëlis et Judae. Hoc promitto. Reducam eum in terram quam majoribus eorum poſſidendam dedi. — — 4. Sic igitur Jova Iſraëlem et Judam alloquitur. 5. Trepidam vocem audimus, pavorem, ſublata quiete. 6. Interrogate et videte, num pariat mas? qui fit ut videam mares omnes manibus lateribus impoſitis et facie pallida? 7. Heu gravis eſt hic dies, qualis nondum extitit. Tempus calamitoſum Iſraëlitarum — — attamen ex eo ſervabuntur. 8. Etenim illo tempore, inquit Jova omnipotens, frangam jugum ejus (regis Babylonis) collo impoſitum. Vincula eorum rumpam, nec amplius eis peregrini imperabunt. 9. Mihi ſervient et Davidi, eorum regi, quem eis ſuſcitabo. 10. Nolite igitur timere, cultores mei Jacobitae, inquit Jova, neque terreri, Iſraëlitae. En ego vobis adſum ſervator liberisque ve-

 ſtris

a) Promittitur reditus ex captivitate Babylonica.

ſtris in terra exilii veſtri etiam remota. Sic vos reduces quieti et tranquilli vivetis nemine terrente. 11. Adſum vobis ad vos defendendos, inquit Jova. Si vel omnes gentes, inter quas vos diſſipavero, perdidero, vos tamen non perdam, caſtigabo vos moderate, non delebo *b*). — — 12. Calamitas tua *c*), inquit Jova, eſt admodum dolorifica et plaga tua aegerrima. 13. Non eſt qui cauſam tuam agat, compreſſione *vulnerum tuorum* cicatrices non coaleſcunt. 14. Amaſii tui, tui ſunt immemores, te non curant, nam te more hoſtili percuſſi, ſeverius te punivi propter nimiam tuam improbitatem et peccata graviora. 15. Quid clamas propter calamitatem tuam doloresque vehementiores? propter tot tua vitia et delicta nimis multa ita te afflixi. 16. At enim vero qui te perdunt, ipſi perdentur, qui te vexant captivi abducentur, qui te conculcant ipſi conculcabuntur, et praedatores tuos direptioni objiciam. 17. Efficiam ut vulnera tua coaleſcant, immo ipſe ego Jova ea ſanabo, quanquam te abjectam

b) Hebr. וְנַקֵּה לֹא אֲנַקֶּךָּ Vulgo: *te non ſinam eſſe impunitum.* Sed praeter illam ſignificationem נקה habet etiam notionem *perdendi* et *delendi* ex primaria ſignificatione *vacuum eſſe*, de qua bene egit *de Dieu* ad Exod. XXXIV. Hanc ſignificationem h. l. requirit parallelismus membrorum. Sic quoque Chaldaeus: *perdendo non perdam te.*

c) Populum alloquitur tanquam foeminam, hinc etiam affixa foeminini generis ſunt in textu.

ſtam vocarunt, Sionem cujus nemo curam gerat. -- -- 18. Haec enim Jova promittit: En ego inſtaurabo ſedes Jacobitarum, miſerebor eorum habitationum. Urbs ſuper collibus ſuis *d*) iterum exſtruetur et templum uti antea frequentabitur. 19. Prodibit ex eis gratiarum actio, clamoresque laetantium audientur, multiplicabo eos, non imminuam, honore eos afficiam, non decreſcent. 20. Tales erunt eorum filii, qui olim. Reſpublica per me ſtabilietur, in adverſarios vero eorum animadvertam. 21. Habebunt principem ex ipſis ortum, et dominum ex gente ſua. Efficiam ut is mihi deditus ſit. Nam quis eſt, qui ſponte ſua ad me accedere ſoleat? inquit Jova. 22. Et ſic eritis meus populus, atque ego ero Deus veſter. 23. En inſtar turbinis ira Jovae erumpit, gravis tempeſtas incumbit capitibus impiorum. 24. Non remittit irae divinae impetus, donec perfecerit et praeſtiterit voluntatem ejus. Suo tempore hoc intelligetis.

CAPUT XXXI, 1. Illo tempore, inquit Jova, ero omnium Iſraëlitarum Deus, et illi erunt meus populus. 2. Haec dicit Jova: Populus, qui gladio evaſit,

X 5 gra-

d) Hebr. עַל תִּלָּהּ non *ſuper ruderibus ſuis.* Nam תֵּל ſine epitheto addito non habet hanc ſignificationem. Sed notat tumulum altum et aggeſtum. Sic urbes a Joſua non deſtruendae dicuntur *conſiſtentes* עַל תִּלָּם Joſ. XI, 13. cf. Ezech. XVII, 22.

gratiam invenit in deſerto *a*); abit jam Iſraël ad quietem ſuam. — 3. Inde a longo tempore *b*) Dei favorem expertus ſum. — — Immo perpetuo amore te ſum perſecutus, propterea quoque *gratiam* meam tibi uberrime exhibui. 4. Futurum eſt, ut ego felicitatem veſtram, Iſraëlitae, omnimodo promoveam, ut

a) Alluditur ad commorationem populi in deſerto Arabiae, in quo ſaepe populus iram Dei provocarat, ut eum rejicere minaretur, ſed ſaepe quoque ejus iterum miſertus fuerat. Solent et alii prophetae loca exilii Babylonici vocare deſertum. e. g. Ezech. XX, 35. Hoſ. II, 16. — — *Locus quietis*, in quem ducendi dicuntur Iſraëlitae, eſt terra promiſſa, cf. Pſ. XCV, 11. *κατάπαυσις* Hebr. III, 11.

b) Quod vocabulum מֵרָחוֹק de *tempore*, non de *loco* accipiam, de quo alii interpretes, movet me oppoſitio ſequentis membri: אַהֲבַת עוֹלָם in quo manifeſte Deus reſpondet ad verba populi in primo membro. Non nimis dura videri poteſt repentina perſonarum mutatio, quod populus ſic loquens introducatur et agnoſcens favorem Dei a multis annis in ſe collatum. Etenim ſi quoque admitteremus lectionem *τῶν ό* לוֹ pro לִי (reliqui interpretes conſentiunt cum lectione textus) tamen non tollitur illa perſonarum mutatio; tunc enim loquitur Deus in primo membro de populo in tertia perſona, et in ſecundo membro populum ipſum alloquitur: *e longinquo Jova ei apparuit, immo amore aeterno te dilexi.* Qui nexus durior mihi videtur, quam ſi illud pro interlocutione populi habeamus.

ut ornati cum tympanis et choris ludentium progrediamini. 5. Ut vineas plantetis in Samariae montibus, et qui plantarunt, earum fructibus etiam veſcantur. 6. Tempus erit, quo cuſtodes e montibus Ephraimiticis annuncient: proficiſcendum eſſe Sionem ad Jovam Deum colendum. — — 7. Porro Jova haec dicit: Canite Jacobitarum laetitiam, jubilate in populo principe, c) ſublata voce laudate et dicite: Servavit Jova populum ſuum *, Iſraëlitarum reliquias. — 8. En! ego adduco eas e terra ſeptentrionali. Colligam eas ab extremis regionibus. Caecus aeque ac claudus, gravida non minus quam puerpera, coetus ingens redibunt. 9. Lacrimantes venient, precantes ducam eos ad aquarum latices. Eos ducam in via plana, in qua non offendent. Ero enim Iſraëlis pater, et Ephraim erit meus primogenitus. — — 10. Audite, quod Jova dicit, o gentes, annunciate remotiſſimis regionibus: Qui Iſraëlem diſperſit, eum iterum congregaſſe, ejusque curam agere ut paſtor gregis ſui. 11. Immo redemit Jova Jaco-

c) Hebr. בְּראֹשׁ הַגּוֹיִם *Caput gentium* eſt princeps et primarium regnum illius temporis, quo Iſraëlitae libertatem conſequi debebant. Quod fuit regnum Perſicum ſub Cyro Judaeorum liberatore. Chaldaeus legiſſe videtur בְּראֹשׁ הַגֹּלִים uti eſt Amos VI, 7. *Hubigantius* legi vult הָרִים conjectura non inepta, nec tamen neceſſaria.

Jacobitas, vindicavit eos ab adverſariis, illis validioribus. 12. Venient et canent in Sionis faſtigio. Inſigniter laetabuntur de beneficentia Jovae, de frumento, muſto, oleo, de pecoris et armenti gregibus. Inſtar horti irrigui vigebunt priſtino luctu remoto. 13. Tunc virgines in choris, juvenes et ſenes una exultabunt. Convertam eorum triſtitiam in gaudium, et ſolatio meo eos poſt moerorem exhilarabo. 14. Sacerdotes abunde habebunt quo vivant, et populus per liberalitatem meam nulla re carebit, inquit Jova. — — 15. Auditur Ramae clamor, inquit Jova, luctus et fletus acerbiſſimus. Rahel deplorat filios ſuos, nec admittit de eis conſolationem. Perierunt *d*). . 16. Tempera tibi, inquit Jova, a luctu et

d) Hunc locum tantum de reditu ex captivitate Babylonica agere, contextus docet. Siſtitur Rahel per proſopopoeiam deplorans filios ſuos in captivitatem abductos, quam Deus ſolatur ſpe futuri reditus. Cui fictioni videtur occaſionem dediſſe prophetae, quod Rahel non longe a Rama ſepulta erat, ubi Nebuſaradan Judaeos omnes deportandos coëgerat. Cap. XL, 1. — Allegatio igitur hujus verſus a Matthaeo Cap. II, 18. de qua adeo multa multi ſcripſerunt, mihi videtur pura puta accommodatio, quae etiam per formulam citandi, qua Evangeliſta utitur, admitti poteſt. Τότε ἐπληρώθη non eſt formula *argumentandi*, ſed *allegandi*, cujus ſenſus eſt: *de eo valet*, ſ. *ſimile eſt huic illud*. Neque video quomodo verba prophetae vaticinium

et lacrymis. Mercedem habebis laborum tuorum *e*), redibunt e terra hoſtili. 17. Spem certam finis exoptatiſſimi habere potes, inquit Jova, redibunt filii tui in terram ſuam.' — — 18. Audio Ephraimum acerbe plorantem: caſtigaſti me et merito quidem caſtigatus ſum inſtar vituli refractarii. Perge modo mentem meam mutare, ut conſtans ſim, tu enim es Jova Deus meus. 19. Poſtquam enim ad meliorem mentem redii, poenitet me *peccatorum praeteriti temporis*, et poſtquam *judiciis tuis* ad mei cognitionem perductus ſum, graviter doleo: immo ſummum ſentio pudorem. Intelligo enim, me ob juventutis meae peccata rectiſſime eſſe punitum. 20. Sane *f*) filius meus eſt Ephraim, admo-

ticinium eſſe poſſent iſtius facti, quoniam eventus non reſpondet vaticinio. Promittit enim propheta Raheli reſtitutionem filiorum, quae non facta eſt matribus Bethlehemiticis. Sed hanc alteram vaticinii partem interpretes prorſus non attendunt, cum tamen minime ſit divellenda a priori, et in aliorum vaticiniorum interpretatione nemo facile hanc rationem explicandi probet. Ex eo enim, quod Matthaeus tantum verſ. 15. allegavit, non ſequitur verum prophetae ſenſum ex uno hoc verſu determinandum eſſe, non conſultis duobus ſequentibus.

e) h. e. experieris, te in liberis pariendis non fruſtra laboraſſe, cum mercedem in liberorum felicitate et proſperitate futura habitura ſis.

f) ה h. l. non eſt interrogativum, ſed intenſivum. cf. Jer. VII, 9.

admodum carus, puer in quo delector. Quoties de eo loquor, toties amor meus erga eum augetur; immo intime ipſe commoveor, ut non poſſim non ejus miſereri, inquit Jova. — — 21. Statue tibi cippos *g*), erige columnas, attende ad viam per quam abis. *Dicam enim*, revertere o virgo Iſraël, revertere ad has urbes tuas. 22. Quid dubia haeres filia perfida? novum omnino nitorem terrae inducam, de quo mulieres una cum maritis exultabunt. *h*) — — —

23. Haec

g) Nova eſt ejusdem promiſſionis repetitio, ſub nova imagine propoſita. Jubet Deus populum id facere, quod facere ſolent, qui per viam iterum redire cogitant. Obſervant nempe viam diligenter, ſigna ſibi faciunt, ut eo certius eam poſſint invenire. Haec igitur in promiſſionis confirmationem dicuntur, ſed non ſunt ad literam omnia intelligenda. צִיּוּן eſt lapis vel ſuper ſepulcro erectus, vel in via poſitus in ſignum. cf. *Pocockius* ad portam Moſis p. 75.

h) Verbum ἅπαξ λεγ. חמק in lingua Arab. حمق ſignificat *ſtupidum eſſe*, *mente laborare*. Syrus recte vertit: *dubitare*, *haeſitare* פלג. Siſtit nempe propheta Iſraëlitas dubios et haeſitantes de itinere ſ. reditu in patriam inſtituendo. — — Phraſis *novum creare in terra* indicat omnimodam reip. Judaicae mutationem et reſtitutionem. cf. Jeſ. XLIII, 19. LXV, 17. 19. — — — Verba נְקֵבָה תְּסוֹבֵב גָּבֶר interpretes antiquiores et recentiores diverſimode explicant. Fuerunt adeo, qui ea perquam

23. Haec Jova omnipotens Deus Iſraëlitarum promittit: Tempus erit quo de terra Judaica ejusque urbibus, cum priſtinam eis felicitatem reddidero, gratulabundi dicant: faveat tibi Jova, ſedes benignitatis, mons ſancte! 24. Tota terra omnesque urbes ejus habitabuntur. Agricolae *terram colent*, paſtores greges agent. 25. Recreabo feſſos, et fatigatos firmabo. — — 26. Ad haec expergefactus circumſpexi - - quam dulcis mihi ſomnus fuit *i*). 27. Futurum eſt, inquit Jova, ut Iſraëlitas et Judaeos, cum homines tum animalia inſigniter augeam. 28. Et quemadmodum in diruendis eis, deſtruendis, evertendis, perdendis et confringendis ſedulus fui, ſic in iisdem exſtruendis et plantandis ero aſſiduus: inquit Jova. 29. Tunc non amplius dicent, patres omphacem comederunt, et filiis dentes hebetes

quam inepte de virgine Maria Meſſiam in utero geſtante explicarent. Aliis praeferenda videtur explicatio, quam *Pariſius* in Bibliotheca Hagana P. I. Cl. I. dedit, nimirum prophetam innuere choros mulierum in ſolemnitate publica una cum viris ſaltantium. Quae ſententia inprimis ex verſ. 13. probari poteſt, ubi propheta id ipſum clarius dixit.

i) Haec ſunt verba prophetae, qui ex ſomno expergefactus magnam ſeſe percepiſſe voluptatem dicit ex hac futura popularium ſuorum felicitate. — Sequitur deinde nova *ῥῆσις* de conjunctione utriusque regni cum Iſraëlitici tum Judaici.

tes facti ſunt *k*). 30. Sed ſua quisque culpa morietur. Quicunque omphacem comederit, ejus quoque dentes hebeſcent. 31. Futurum eſt, inquit Jova, ut cum Iſraëlitis et Judaeis novum pangam foedus. 32. Non quale illud fuit foedus, quod cum majoribus eorum pepigeram, cum eos admodum benigne ex Aegypto eduxiſſem, ſiquidem illud foedus violarunt, ita ut eos repudiarem, inquit Jova. 33. Sed hoc erit foedus, quod cum Iſraëlitis aliquando inibo, inquit Jova: Efficiam ut legis meae periti ſint, eamque probe teneant. Et ſic ero eorum Deus, et illi meus erunt populus. 34. Non opus erit, ut alter alterum ad mei cognitionem excitet: Sed omnes, inferiores aeque ac ſuperiores, me cognoſcent, inquit Jova: et ſic ignoſcam eorum culpae, nec amplius peccatorum eorum memor ero. 35. Haec dicit Jova, qui ſolem diurno lumini deſtinavit, qui lunam et ſtellas noctu lucere juſſit, qui mare findit ut fluctus ejus aeſtuent, cujus nomen Jovae eſt omnipotentis: 36. Si leges iſtae a me mutabuntur, inquit Jova, Iſraëlitarum poſteri deſinent impoſterum gentem conſtituere. 37. Haec Jova promittit: Si coelum menſurabitur et terrae fundamenta perveſtigabuntur: ego Iſraëlitarum poſteros repudiabo propter facta ſua. 38. En! futurum

k) Hoc proverbium iisdem verbis affert Ezech. XVIII, 2. et refellit. Senſus ejus eſt, Deum punire peccata parentum in liberis, ſi vel hi probi eſſent et innocentes.

rum eſt, inquit Jova, ut urbs mea iterum aedificetur a turre Chanaëlis usque ad portam angularem. 39. A qua ulterius menſurabitur usque ad collem Gareb atque Goatham. 40. Tota vallis cadaverum et cineris, omnia arva usque ad torrentem Kidron et usque ad angulum portae equorum verſus orientem mihi ſacra erunt, nullo unquam tempore deſtruenda aut evertenda.

SECTIO XXI. CAPUT XXXII. XXXIII. a)

1. Anno decimo Sedekiae regis Judae, qui eſt annus duodeviceſimus Nebucadnezaris, Jova me Jeremiam eſt allocutus. 2. Obſidebant vero eo tempore Chaldaei Hieroſolymam, et Jeremias propheta in carcere tenebatur, qui erat in atrio palatii regii. 3. Quo eum Sedekias rex Judae abduci juſſerat, quod vaticinatus erat, fore ut Jova hanc urbem regi Babylonis capiendam tradat, 4. Sedekiam vero regem Judae non evaſurum eſſe Chaldaeorum manibus, quin potius eum certiſſime traditum iri regi Babylonis, hunc ipſum allocuturum oculisque adſpecturum; 5. tandem Babylonem abductum iri Sedekiam ibique futurum donec Jova ejus ſit rationem habiturus, ſine ſucceſſu contra Chaldaeos pugnari. — — 6. Illo igitur tempore mihi

a) Hic ſermo ejusdem eſt cum praecedente argumenti, alio vero tempore et loco prophetae dictus.

hi a Jova indicatum eſt, 7. fore ut Chanamel filius Schallumi patruelis meus ad me veniat, et roget, ut agrum illum Anathotenſem emam, cujus comparandi ego jus proximum habeam. 8. Atque ita etiam factum eſt. Venit ad me Chanamel patruelis meus ex mandato Dei ad atrium carceris, meque rogavit, ut agrum ejus Anathotenſem in terra Benjaminitica emerem, me enim primum jus habere ad eum poſſidendum mihique vindicandum. Et cum precibus inſiſteret, intellexi Jovae voluntatem hac in re ſubeſſe. 9. Propterea emi agrum illum Anathotenſem ab eo, pretio ſoluto ſeptem ſiclorum et decem numorum argenteorum. 10. Idque in ſchedula ſcripſi et obſignavi, teſtes etiam adhibiti ſunt et pecunia in ſtatera appenſa. 11. Tum libellum illum venditionis ſignatum ſecundum leges et mores receptos, et exemplar ejus 12. tradidi Barucho Nerijae filio, nepoti Machſejae, praeſente adhuc Chanamele patruele meo et praeſentibus teſtibus in libello venditionis nominatis, nec non Judaeis, qui tum quidem in atrio cuſtodiae aderant. 13. Atque eis audientibus Baruchum hunc in modum allocutus ſum: 14. Haec dicit Jova omnipotens Deus Iſraëlitarum: accipe has venditionis literas, cum obſignatas, tum earum exemplum, atque repone eas in vaſe teſtaceo, ut diu ſerventur: 15. Hoc enim promittit Jova omnipotens Deus Iſraëlitarum: futurum eſt, ut domus, agri et vineae in hac terra emantur. — 16. Tum

ego

ego poſtquam Barucho Nerijae filio has venditionis literas tradideram, Jovam hunc in modum precatus ſum: 17. O Domine Jova, tu quidem coelum et terram condidiſti pro virtute tua eximia et potentia inſigni. Nihil tibi nimis arduum eſt. 18. Benignum te praebes vel milleſimae generationi, rependis vero etiam abunde parentum iniquitatem eorum filiis. O Deus magne, potens, ſumme Deus, 19. ingens conſilio, factis eximie, qui oculos habes apertos in omnes hominum actiones, ut cuique rependas prouti vita moribusque ſuis commeruit, 20. qui ſigna et prodigia edidiſti in Aegypto, quorum memoria etiamnum inter Iſraëlitas et alios populos celebratur. Magnum tibi nomen, quod inter omnes conſtat, feciſti. 21. Eduxiſti populum tuum Iſraëlem ex Aegypto, per ſigna et prodigia, per potentiam tuam inſignem et virtutem eminentem, ingenti cum terrore. 22. Dediſti eis hanc terram, quam majoribus eorum interpoſito jurejurando promiſeras, terram optimis rebus abundantem. 23. Sed illi cum eam occupaſſent, tuae voluntati non obtemperarunt, nec ſecundum legem tuam vitam ſuam inſtituerunt, nihil eorum quae eis juſſeras fecerunt, propterea quoque mala haec omnia in eos adduxiſti. 24. Jam vero aggeres urbi admoti ſunt ad eam capiendam, et Chaldaeis, a quibus oppugnatur, tradetur, armis hoſtilibus non minus quam fame et peſte vexata. Ita vero evenient, quae minatus es. Sed ipſe noſti

haec omnia. — 25. Et tamen me juſſiſti Domine Jova, agrum emere atque hujus rei etiam teſtes adhibere, quanquam urbs in Chaldaeorum poteſtatem mox ſit ventura. 26. Tum Jova mihi hunc in modum reſpondit: 27. Ego Jova ſum, omnium hominum Deus, num mihi poteſt eſſe aliquid arduum? 28. Scito igitur, me quidem hanc urbem Chaldaeis traditurum eſſe et Nebucadnezari regi Babylonis, qui eam capiet. 29. Atque illos ex oppugnatione eam igne eſſe combuſturos, domos nimirum iſtas, in quarum tectis Baali ſuffierunt et peregrinis diis libamina fuderunt, quo facto iram meam provocarunt. 30. Iſraëlitae enim et Judaei non niſi male fecerunt inde a primis temporibus, atque vita ſua ſemper me irritarunt, inquit Jova. 31. Hinc iram meam et indignationem excitavit haec urbs, ex quo exſtructa eſt, usque ad hoc tempus, ut non poſſim non eam ex conſpectu meo removere, 32. propter tot ſcelera, quibus Iſraëlitae et Judaei me offenderunt, reges, principes, ſacerdotes, prophetae, omnes omnino Judaei et incolae Hieroſolymae. 33. Tergum mihi obverterunt, non faciem, et quanquam crebro, immo perpetuo admoniti ſint, tamen noluerunt audire et diſciplinam admittere, 34. ſed poſuerunt turpiſſima ſua idola in aede a me nominata, quo facto vehementer eſt polluta. 35. Exſtruxerunt ſacellum Baali in valle Benhinnomi, ubi filios filiasque ſuas Molocho immolant; quae abominanda ſcelera tan-

tantum abeſt ut eis praeceperim, ut potius mihi nunquam in mentem venerint. Et ſic Judaei gravem culpam commiſerunt. 36. Attamen haec dicit Jova Iſraëlitarum Deus de hujus urbis incolis, quos noſtis regi Babylonis tradendos eſſe gladio, fame et peſte fere conſumtos; 37. Congregabo eos ex regionibus, in quas per irae meae indignationem graviſſimam diſſipati ſunt, et in hunc locum reductos ſecure eos habitandos curabo. 38. Erunt meus populus, atque ego eorum Deus. 39. Efficiam ut me unanimi conſenſu per omnem vitam timeant; in ſuam et liberorum ſuorum felicitatem. 40. Foedus cum iis inibo in aeternum duraturum, me quidem nunquam deſtiturum eſſe eis benefacere, illos vero mei reverentia plenos nunquam a me eſſe defecturos. 41. Gaudebo de beneficiis in eos conferendis. Conſtantem efficiam eorum hac in terra felicitatem pro ſummo meo in eos amore. 42. Quemadmodum enim, inquit Jova, adduxi contra hunc populum calamitates haſce graviſſimas; ita beneficiorum omnium ei promiſſorum auctor ero. 43. Atque ita fiet, ut agri emantur in hac terra, quam conſtat vaſtandam eſſe, depopulandam et a Chaldaeis occupandam. 44. Agri, *inquam*, pecunia ementur, ſcribentur et obſignabuntur *venditionis* libelli teſtibus adhibitis in terra Benjaminitica et Hieroſolymae confiniis, in urbibus Judaeae et in montanis, campeſtribus et auſtralibus. Reducam enim eorum captivos.

CAPUT XXXIII, 1. Iterum Jova allocutus eſt Jeremiam, cum adhuc in atrio cuſtodiae captivus teneretur, his verbis: 2. Sic Jova dicit, facturus illud idemque inſtructurus ut praeſtetur, Jovae nomen ei eſt. 3. Roga me, reſpondebo, tibique indicabo res magnas, abſtruſas, tibi ignotas. 4. Sic dicit Jova Iſraëlitarum Deus, de aedificiis hujus urbis et de palatiis regum Jovae deſtruendis per aggeres et malleos, 5. eorum qui eam oppugnabunt, nimirum Chaldaeorum, qui ea cadaveribus hominum replebunt, quos in irae meae fervore proſtravi; ſiquidem ego huic urbi ob tantam ejus improbitatem favorem meum ſubtraham, 6. Obducam cicatricem eorum, abſolvam ſanationem magnaque et conſtanti felicitate eos exhilarabo, 7. Reducam exules Judaeos et Iſraëlitas, eosque uti olim ſtabiliam. 8. Mundabo eos ab omni culpa, qua me offenderunt, ignoſcam eis delicta omnia, quibus commiſſis a me defecerunt. 9. Aliae quoque gentes gaudebunt ſuisque laudibus me celebrabunt, quum audient, quanta in eos beneficia contulerim. Venerabundi ſtupebunt ad felicitatem illam inſignem, quam eis tribuam. — — 10. Futurum eſt, hoc Jova promittit, ut in hoc loco quem omnibus ſuis incolis atque adeo animalibus privandum eſſe praedicitis, in oppidis Judaeae aeque ac in vicis Hieroſolymitanis adeo deſolandis, ut nec homines nec animalia reſtent: 11. futurum eſt, inquam, ut laeti clamores, jubila recens

cens nuptorum, jubila canentium audiantur: celebrate Jovam omnipotentem, qui benignus eſt et aeterna gratia; jubila offerentium ſacrificia euchariſtica ad templum meum. Priſtinam enim felicitatem terrae reddam, inquit Jova. 12. Idem ille promittit, fore ut in hac terra hominibus et animalibus ſublatis vaſtanda et in ejus urbibus, paſtorum ſtationes ſint cum gregibus cubantium. 13. In urbibus montanis, campeſtribus, auſtralibus, in terra Benjaminitica, in finibus Hieroſolymae et Judaeae oppidis greges ſub ductu numerantis peragrabunt, inquit Jova. 14. Tempus erit, quo praeſtiturus ſum promiſſa mea Iſraëlitis et Judaeis data. 15. Illo tempore excitabo aliquem ex Davidis familia oriundum, virum juſtum, jus et aequitatem ubique exercentem. 16. Tum ſervabitur Judaea, atque Hieroſolyma pace fruetur. Et ille eſt, de quo ipſa (Hieroſolyma) nominabitur: Jova juſtitia noſtra *a*). — 17. Profecto enim Jova haec promittit: non deerit, qui Davidi in throno regni Iſraëlitici ſuccedat. 18. Nec ſacerdotes et Levitae deerunt, qui ſacra mihi faciant, qui holocauſta immolent, ſuffitum cum oblationibus faciant, et ſacrificia offerant quotidiana. — — 19. Porro Jova Jeremiae dixit: 20. Hoc Jova promittit: ſi meae de diei et noctis viciſſitudine promiſſiones irritae erunt, ita ut diei aut noctis ſtatuta tempora ceſſent: 21. Irrita quoque erunt promiſſiones

a) Cf. locum parallelum Cap. XXIII, 5. 6.

nes Davidi cultori meo datae, quo minus filium ſucceſſorem habeat in regno, aut quod deſint Levitae et ſacerdotes mihi miniſtrantes. 22. Quemadmodum non poſſunt aſtra coeli numerari, nec menſurari arena maris: ita etiam augebo Davidis cultoris mei poſteros et Levitas mihi miniſtrantes. — — 23. Addidit Jova et ſequentia, cum Jeremia collocutus: 24. Animadvertiſti quid homines iſti ſentiant? me nempe duas haſce gentes *b*) mihi ſacras repudiaſſe, populum mihi adeo carum rejectum eſſe clamitant *c*), ut non amplius exiſtat. * 25. At enim vero, inquit Jova, ſi abolevero leges diei et noctis, aut coeli et terrae ſtatuta. 26. Poſteros etiam Jacobi et Davidis cultoris mei ita repudiabo, ut deſint qui dominentur ex Abrahamo, Iſaaco et Jacobo natis. Captivos eos reducam eorum miſertus.

SECTIO XXII. CAPUT XXXIV. *a*)

1. Cum Nebucadnezar rex Babylonis cum exercitu ſuo regibusque ei tributariis nec non populis *foedere* *ei*

b) Utrumque regnum Iſraeliticum et Judaicum.

c) Verbum activum de declaratione eſt accipiendum, propter membrum praecedens.

a) Duas habet partes hoc caput. Altera eſt a verſ. 1 — 8. dicta a Jeremia in ipſa urbis obſidione; altera a v. 8 — fin. ſoluta ad tempus obſidione a Chaldaeis, de quo eſt in fine capitis.

ei junctis Hieroſolymam reliquasque urbes oppugnaret: Jova Jeremiam 2. juſſit Sedekiae Judaeae regi ſuo nomine dicere quae ſequuntur: Scito me hanc urbem regi Babylonis traditurum eſſe, qui eam igne comburet. 3. Tu vero non evades ejus manibus, ſed comprehenſus ei traderis, oculis tuis eum videbis, tecum colloquetur et Babylonem abduceris. 4. Verum praeterea audi, Sedekia rex Judaeae, quae Jova tibi dicit: non gladio interficieris, 5. ſed placidam mortem obibis, atque in funere tuo, quemadmodum cum majoribus iisdem regibus factum eſt, aromata concremabunt, teque ſolemni ritu lugebunt. *Atque haec certa ſunt.* Loquor enim ex auctoritate Jovae. — — — 6. Jeremias igitur propheta iſta omnia Sedekiae Judaeae regi Hieroſolymae dixit. 7. Tum vero exercitus regis Babylonis Hieroſolymam reliquasque Judaeae urbes obſidebant, nempe Lachiſcham et Aſekam: haec enim ex oppidis Judaeae munitis tantum ſuperabant. — 8. Poſtquam rex Sedekias ſolenni ritu omnes Hieroſolymae incolas obſtrinxerat ad manumiſſionem proclamandam *b*), Jova Jeremiam hunc in modum eſt allocutus. (9. Erat vero illius manumiſſionis haec ratio, ut quisque ſervum ſuum aut ancillam natione hebraeos liberos dimitteret, nec amplius Judaei populares ſuos ad ſervitutem cogerent. 10. Fecerant quoque hoc principes et populus, qui ſe ſolenni ritu

Y 5 ob-

b) Ex lege Exod. XXI, 2. Deut. XV, 12.

obſtrinxerant, ut quisque ſervum ſuum et ancillam manumitteret, nec amplius ad ſervitutem cogeret. 11. Poſtea vero eosdem ſervos et ancillas, quos manumiſerant, coëgerunt ad ſervitutem denuo ſubeundam.) 12. Tum igitur Jova Jeremiam in hunc modum eſt allocutus: 13. Sic dicit Jova Deus Iſraëlitarum: Ego cum majoribus veſtris, poſtquam eos ab Aegyptiorum duriſſima ſervitute liberaveram, hoc pactum inii: 14. Ut ſeptimo quoque anno quisque popularem ſuum ei in ſervitutem venditum manumitteret, et finitis ſex ſervitutis annis libertatem daret. Sed non morem geſſerunt majores veſtri, nec dicto audientes fuerunt. 15. Ita et vos, cum quod mihi placeret feciſſetis, libertatem tribuentes ſodalibus veſtris, facta ea de re ſolenni pactione in aede a me nominata, 16. mox iterum legem meam violaſtis, veſtrosque ſervos et ancillas, quibus libertatem dederatis, ad ſervitutem coëgiſtis. 17. Propterea haec vobis dico: vos quidem mihi non obtemperaſtis, ut manumitteretis contribules et populares veſtros: Sed ego vos manumittam, inquit Jova, ad gladium, peſtem et famem, faciamque ut oberretis inter omnes nationes. 18. Iſtis vero hominibus, qui foedus meum violarunt, qui non ſteterunt verbis pacti illius coram me initi, fiet id quod vitulo iſti in duas partes diſſecto, per quas tranſierunt *c*).

19.

c) E ſolemni ritu foedera pangendi, ſecundum quem animalia

19. Principes *nimirum* Judaeae et Hieroſolymae aulicos, ſacerdotes, reliquosque de plebe, qui partes ſecti vituli tranſierunt, 20. tradam hoſtibus ſuis, necem eorum optantibus, et cadavera eorum cibus erunt avibus rapacibus et feris agreſtibus. 21. Similiter et Sedekiam regem Judae et duces ejus tradam hoſtibus necem eorum cupientibus, nempe Babyloniis qui obſidionem ſolverunt *d*). 22. Etenim ego, inquit Jova, reducam eos; denuo hanc urbem obſidebunt, eamque captam igne comburent. Judaeae vero oppida ita evertam, ut a nemine habitentur.

SECTIO XXIII. CAPUT XXXV

1. Regnante in Judaea Jojakimo Joſiae filio juſſit me Jova, 2. Rechabitas adire eisque in conclave quoddam templi deductis vinum bibendum dare. 3. Igitur Jeſanjam, Jeremiae filium, nepotem Chabazzinjae, fratres et filios ejus, omnem omnino Rechabitarum familiam, 4. duxi in templum Jovae in conclave po-
ſtero-

malia quaedam in partes ſecabantur, per quas, humi poſitas, partes paciſcentes tranſibant; hinc etiam phraſis כרת ברית *foedus ſcindere*. Ipſe Deus ſimile quid in foedere quod cum Abrahamo pangebat, fecit Geneſ. XV, 9. cf. *Bochartus* in Hieroz. P. I. Lib. II. Cap. XXXV. p. 325.

d) Chaldaei, audita fama de adventu Aegyptiorum, eis obviam iverant et ad tempus obſidionem ſolverant. cf. Cap. XXXVII, 4—8.

Digitized by Google

ſterorum Chananis, filii Jigdaljae prophetae,
juxta conclave principum, ſupra conclave M
Schallumi filii, templo praefecti, 5. eisque
ſcyphos vini plenos et calices, et ad vinum b
eos invitavi. 6. Tum illi negarunt ſe vinum
idque ex praecepto patris ſui Jonadabi, Rech
qui ipſis ſuisque poſteris uſum vini in perpe
terdixiſſet. 7. Praeterea nec domos aedificar
ſementem facerent, nec plantarent vineas au
rent, ſed ſub tentoriis ſemper degerent; quo
rent, eos felices futuros eſſe in terra, in qua
narentur. 8. Atque huic voluntati patris no
quiebant, Jonadabi Rechabi filii in omnibus
peramus. Abſtinemus a vino per omnem vi
ſtram, nos, uxores noſtrae et liberi. 9. Ne
inhabitamus, nec vineas aut agros conſerimus
ſidemus, 10. ſed ſub tentoriis vivimus. Idq
facimus ex illo patris noſtri Jonadabi i
11. Cum vero Nebucadnezar rex Babylonis be
terram aggrederetur, conſilium cepimus nos I
lymam conferre propter exercitus Chaldaeoru
rorum. — — — 12. Tum Jova me a
13. juſſit ſuo Jovae omnipotentis Dei Iſraëlita
mine haec dicere Judaeis et Hieroſolymae
Vos vero non admittitis diſciplinam, ut dic
obediretis? 14. Servantur ſtatuta Jonadabi,
chabi, quae poſteris ſuis dedit, ut a vino abſt

Vinum non bibunt, usque ad hoc tempus. Sic obſervant praecepta patris ſui. Ego vero perpetuo ad vos locutus ſum, ſed mihi non obtemperaſtis. 15. Miſi ad vos tot meos ſervos prophetas, omni tempore eos miſi, qui vos hortati ſunt, ut a vita veſtra prava deſiſteretis, et mores veſtros emendaretis, et ut ne aliorum Deorum cultum ſectaremini, tunc enim vos manſuros eſſe in terra, quam majoribus veſtris dediſſem. Sed non aurem praebuiſtis, nec morem mihi geſſiſtis. 16. Poſteri quidem Jonadabi, Rechabi filii, praecepta patris ſui ſervant, populus vero iſte mihi nequaquam obtemperat. 17. Propterea haec dicit Jova, Deus omnipotens, Deus Iſraëlitarum, adducam contra Judaeos et contra omnes Hieroſolymae incolas, mala iſta omnia, quae eis minatus ſum, ſiquidem mihi hortanti non obſecuti ſunt, nec admonenti reſponderunt. — 18. Rechabitis vero dixi: Hoc vobis promittit Jova omnipotens Iſraëlitarum Deus: quoniam vos adeo conſtantes eſtis in ſervandis praeceptis et ſtatutis omnibus Jonadabi patris veſtri: 19. nunquam deerit ex familia Jonadabi, Rechabi filii, qui mihi miniſtret.

SECTIO XXIV. CAPUT XXXVI.

1. Anno quarto Jojakimi, Joſiae filii, regis Judae, Jova juſſit Jeremiam 2. literis conſignare omnia, quae contra Iſraëlitas, Judaeos et alias gentes ex mandato ejus dixiſſet, ex quo cum eo inde a Joſiae temporibus

eſſet

eſſet locutus, usque ad hunc diem. 3. Fortaſſe Judaei poenitentiam agerent, ſi audirent; quam ſevero judicio in eos animadvertere decreverit, quo facto eis peccata eorum et delicta condonare vellet. 4. Igitur Jeremias mandavit Barucho, Nerijae filio, ut ex ore ejus calamo exciperet omnes Jovae ſermones ad eum factos, et in librum conſcriberet. 5. *Quae cum facta eſſent*, dixit Jeremias Barucho: impedior, quo minus ipſe poſſim templum adire, 6. igitur tu eo te conferas et praelegas ex hoc libro die ſupplicationum, coram omnibus qui in templo adſunt, nec non aliis Judaeis, qui ex oppidis ſuis convenerunt, ſermones Jovae, quos me dictante excepiſti. 7. Fortaſſe admittat Jova eorum preces, dummodo deſiſtant a vita ſua prava; magna enim ſunt mala, quae Jova, vehementer huic populo iratus, minatur. — 8. Fecit igitur Baruchus Nerijae filius omnia, quae a Jeremia propheta juſſus erat, atque ex illo libro ſermones Jovae in templo praelegit. 9. Quod factum eſt anno quinto Jojakimi Joſiae filii regis Judae menſe nono, cum ad ſolennem ſupplicationem coram Jova Hieroſolymae peragendam convocatus eſſet univerſus populus atque ex oppidis Judaeae eo quoque conveniſſet. 10. Tunc igitur Baruchus ex illo libro ſermones Jeremiae praelegit, in templo Jovae in conclavi Gemarjae, Schafanis filii, ſcribae, in atrio ſuperiori ad introitum portae novae templi multis praeſentibus. 11. Cum vero Michaeus,

chaeus, Gemarjae filius, nepos Schafanis, audiret haec Jovae dicta ex illo libro, 12. abiit in palatium regium ad conclave cancellarii, ubi omnes principes convenerant, Eliſchama cancellarius, Delaja filius Schemajae, Elnathan filius Achboris, Gemarja filius Schafanis, Sedekias filius Chananjae, atque reliqui principes. 13. His narravit Michaeus quae audierat, cum Baruchus ex illo libro populo praelegiſſet. 14. Tum miſerunt omnes principes ad Baruchum Judaeum, qui filius erat Netanjae, nepos Schelemjae et pronepos Cuſchaei, et rogarunt, ut ad eos veniret ſecumque adferret librum illum, ex quo audiente populo praelegiſſet. Cum igitur Baruchus Nerijae filius librum ſecum ferens veniſſet, 15. hortati eum ſunt, ut ſederet eisque praelegeret. Quod cum ille faceret, 16. hi attoniti ad illos ſermones dixerunt Barucho, ſeſe velle haec regi indicare. 17. Atque porro ex eo quaeſiverunt, num vere ſermones illos omnes ex ore ejus (Jeremiae) calamo excepiſſet? 18. Quod cum ille affirmaſſet, ſeque omnia atramento in libro ſcripſiſſe diceret *a*), 19.

a) בַּדְיוֹ *atramento;* eſt quidem ἅπαξ λεγ. ſed linguis cognatis non ignotum. *Schultenſius* ad Haririi Confeſſ. VI. p. 229. confert Arab. دواة *atramentum* et *atramentarium* ſignificans. In lingua Syriaca et Chaldaica reſpondet ſine dubio ܕܝܘܬܐ quod Syrus et Chaldaeus h. l. habent et

19. juſſerunt eum ſeſe una cum Jeremia abſcondere ne quis ſciret ubi eſſent, 20. et regem in atrio adie runt. (Librum vero depoſuerant in conclavi Eliſcha mae cancellarii.) Hic rem omnem regi expoſuerunt 21. Tum rex miſit Judaeum qui librum ex dicto loc afferret. Quod cum factum eſſet, legit Judaeus au diente rege et ducibus regis miniſtris *b*). (22. Re vero ſedebat in domo hiberna menſe quinto, ardent coram eo igne in foco.) 23. Poſtquam tres aut qua tuor columnas legerat, diſſecuit volumen ſcalpro li brario et in ignem, qui in foco erat, abjecit, ita u penitus ab illo igne conſumeretur. 24. Neque ullum veſtium verbi cauſa ſciſſione, ſignum terroris prae ſ ferebant rex et aulici ejus, cum iſta quae in volu mine extabant audirent. 25. Et quanquam Elnathan Delaja et Gemarjah intercedebant apud regem, ne li

be

et in Nov. Teſt. legitur 2 Cor. III, 3. 2 Joh. 12. 3 Jol 13. — Sed *Venema* dubium movet contra lectionem hu jus vocabuli non contemnendum, num quoque materi ſcriptionis hac voce indicata eſſet? quare non *inſtrume tum* quoque, nempe calamus, adderetur? Mavult igitu interpretari *ad capacitatem ejus*, ſc. libri; h. e. quantur capere potuit: a דֵּי *capacitas*, quod alias dicitur דֵּ חֻמָּם Deut. XXXI, 24. 30.

b) עֹמְדִים מֵעַל הַמֶּלֶךְ Mem in voce מֵעַל ſine dubi ſcribae errore ex praecedente voce in Mem deſinente r petitum eſt, uti ſaepe.

ber combureretur, tamen eis non obtemperavit. 26. Quin potius juſſit Jerachmeelem filium Melechi, Serajam filium Afrielis et Schelemjam filium Abdeelis comprehendere Baruchum ſcribam et Jeremiam prophetam, ſed Jova eos protexit. 27. Poſtquam vero rex librum illum ſermonum combuſſerat, quem Jeremias Barucho dictaverat, juſſit Jova 28. Jeremiam in alio libro ſcribere eadem, quae in priori a Jojakimo rege Judae combuſto extitiſſent, 29. huic autem ſuo nomine dicere: Tu quidem illum librum combuſſiſti, quia in eo ſcriptum fuit, venturum eſſe regem Babylonis et vaſtaturum hanc terram, et homines et animalia aboliturum. 30. Propterea haec tibi minitor: non habebis filium ſucceſſorem in throno Davidis. Cadaver tuum abjicietur diurno aeſtui et frigori nocturno expoſitum. 31. Poenas ſumam de te, poſteris tuis et miniſtris tuis; et adducam contra eos, Hieroſolymae incolas et contra Judaeos omnia iſta mala, quae iis minitatus ſum, quia non obtemperarunt. — — 32. Igitur Jeremias tradidit Barucho Nerijae filio aliud volumen, in quo hic ex ore ejus non ſolum ſermones prioris a Jojakimo Judaeae rege combuſti, ſed complures etiam alios his ſimiles literis conſignavit.

SECTIO XXV. CAPUT XXXVII, 1—10.

1. Jechoniae filio Jojakimi in regno ſucceſſit Sedekias, Joſiae filius, quem Nebucadnezar rex Babylonis Judaeae

daeae regem conſtituit. 2. Sed neque is, neque miniſtri ejus, neque populus obtemperarunt dictis Jovae, quae per Jeremiam prophetam eloquebatur. 3. Miſit tamen ille Sedekias rex Juchalem filium Schelemjae et Sephanjam filium Maaſejae ſacerdotem ad Jeremiam prophetam, *a*) qui eum rogarent: velit apud Jovam Deum ſuum precibus pro eis intercedere. (4. Jeremias vero libere verſabatur inter homines, nec tum carceri erat incluſus, 5. et Chaldaei, qui Hieroſolymam obſidebant, cum audirent Pharaonem cum exercitu ſuo ex Aegypto profectum eſſe, ab urbe diſceſſerant.) 6. Tum igitur Jova Jeremiam prophetam hunc in modum eſt allocutus: 7. Sic dicit Jova Iſraëlitarum Deus: haec referre debetis ad regem Judae, qui vos ad me conſulendum miſit: Scito exercitum Pharaonis, qui in auxilium veſtrum ex Aegypto profectus eſt, eo eſſe reverſurum. 8. Et tunc Chaldaei ad hanc urbem oppugnandam redibunt, eamque captam igne comburent. 9. Hortatur igitur Jova, ne vosmet ipſi decipiatis, ſperantes, Chaldaeos a vobis diſceſſiſſe. Quod non eſt. 10. Et ſi vel omnem Chaldaeorum exercitum vos oppugnantem profligaretis, dummodo relicti ſint pauci quidam homines vulnerati, hi tamen ex tabernaculis ſuis prodibunt, atque hanc urbem igne comburent.

SECTIO

a) Diverſa eſt haec legatio ab ea, quae ſupra commemorata eſt Cap. XXI, 1. ubi vide obſervata.

SECTIO XXVI. CAPUT XXXVII, 11—21.

11. Cum vero Chaldaei propter Pharaonis exercitum ab Hieroſolyma diſceſſiſſent, 12. Jeremias ex urbe egreditur abiturus in terram Benjaminiticam, ut inter alios ſeſe ſubduceret. *a*) 13. Venit igitur ad portam Benjaminiticam. Ibi vero in ſtatione erat quidam nomine Jirijah filius Schelemjae et nepos Chananjae. Is Jeremiam prophetam comprehendit, ſuſpicans eum ad Chaldaeos velle transfugere. 14. Et quanquam Jeremias

a) לַחֲלִיק ſcriptum eſt pro לְהַחֲלִיק quod vero non eſt, uti multi interpretes explicant, *ut divideret poſſeſſionem*, quod dictum eſſe volunt pro: *ut adiret hereditatem.* Sic ex antiquis Chaldaeus: *ut partiretur hereditatem, quam habebat in Anathot Benjamin in medio populi.* Syrus: *ad dividendam ibi portionem cum populo.* Vulgatus: *ut divideret ibi poſſeſſionem in conſpectu civium.* Omnes in ſignificatione uſitatiori τοῦ חלק offenderunt. Sed parum probabile eſt, prophetam eo tempore de hereditate herciſcunda, aut de augenda re domeſtica cogitaſſe, quod videntur οἱ ό innuere, qui habent: τοῦ ἀγοράσαι ἐκεῖθεν ἐν μέσῳ τοῦ λαοῦ. *Kimchius* vidit veram verbi חלק hoc in loco ſignificationem, *Vatablo*, *Grotio* aliisque quoque probatam. Nempe ex prima ſignificatione, *laevis, glaber fuit*, habet etiam notionem *elabendi*, *evadendi*, quae unice huic contextui apta eſt. — — בְּתוֹךְ־הָעָם verto *inter alios*, cum dubium non ſit eo tempore multos alios per hanc portam eſſe egreſſos. In iſta igitur complurium hominum turba ſperabat Jeremias eo facilius ſeſe ſubducere.

mias hoc iterum iterumque negaret, tamen ei non credidit, ſed eum comprehenſum deduxit ad praefectos. 15. Qui vehementer irati Jeremiae, eum caeſum in carcerem conjecerunt, qui erat in aedibus Jonathanis ſcribae, nam ex eis carcerem fecerant. 16. Igitur abjectus eſt Jeremias in puteum ſubterraneum fornicatum, ibique per tempus bene longum fuit. 17. Sed tum Sedekias rex eum ad ſe arceſſendum curavit, atque clam in palatio ſuo cum eo colloquens interrogavit, num Jova ei aliquid revelaſſet? immo vero, inquit Jeremias, tu regi Babylonis traderis. 18. Tum porro Jeremias Sedekiae dixit: quid in te aut miniſtros tuos aut in alios peccavi, quod me in carcerem conjeciſtis? 19. Ubi ſunt prophetae veſtri, qui vobis confirmarunt, regem Babylonis neque vos neque hanc terram aggreſſurum eſſe? 20. Jam vero, mi domine rex, admitte quaeſo preces meas, nec me in aedes Jonathanis ſcribae reduci patiare, ne ibi moriar. 21. Tunc juſſit rex Sedekias, Jeremiam in atrio cuſtodiae ſervari et quotidie ei panem unum dari ex foro piſtorio, quamdiu panis in urbe ſupereſſet. Manſit igitur Jeremias in atrio cuſtodiae.

SECTIO XXVII. CAPUT XXXVIII

1. Schefatja vero Mattanis filius, Gedalja Paſchuris, Juchal Schelemjae et Paſchur Malchijae filius audiebant Jeremiam omnibus palam dicere, 2. Jovam de-

clarare, qui in urbe (Hieroſolyma) manſerit, gladio, fame et peſte periturum eſſe, qui vero Chaldaeis ſe tradiderit, eum vitae et ſaluti ſuae proſpecturum. 3. Jovam decreviſſe tradere urbem Chaldaeis occupandam. 4. Igitur duces his verbis regem adeunt: jube tandem, hominem iſtum ſupplicio affici, ſiquidem non militum ſolum, qui adhuc ſuperſtites ſunt, ſed omnium animos reddit pavidos iſtis ſermonibus, quos ſubinde repetit. Minime ſalutem populi curat, ſed perniciem. 5. Reſpondit rex Sedekias: eſt in poteſtate veſtra, nec ipſe poſſum eum defendere aut excuſare. 6. Tum illi Jeremiam comprehenſum in puteum Malchijae Melechi filii, qui in atrio cuſtodiae erat, funibus demittunt. In quo puteo aqua non erat, ſed coenum. Cui igitur Jeremias fuit immerſus. 7. Cum vero Ebedmelechus Aethiops, homo aulicus, audiret Jeremiam in puteum eſſe demiſſum, 8. regem, qui tunc in porta Benjaminitica ſedebat, ipſe adiit, atque his verbis eſt allocutus: 9. Male omnino, domine rex, egerunt iſti homines cum Jeremia propheta, quod eum in iſtum puteum abjecerunt, ſiquidem in eo loco, ubi *antea* fuit, fame ei moriendum fuiſſet, pane non amplius in urbe ſuppetente. 10. Tum rex juſſit Ebedmelechum, aſſumtis triginta hominibus de illis qui adeſſent, Jeremiam prophetam extrahere ex puteo, antequam moreretur. 11. Ille igitur una cum aliis quibusdam viris, quorum opera uteretur, ad arcem regiam abit, atque ex quo-

dam loco, qui erat ſub theſauro, ſumit pannos lacera-
tos et veteramenta, quae demittit ad Jeremiam in pu-
teum funibus, 12. eumque jubet, iſtos pannos et la-
cinias ſubjicere axillis ſubter funes. Quod cum Jere-
mias feciſſet, 13. extraxerunt eum funibus ex iſto
puteo, atque ita manſit iterum in atrio cuſtodiae.
14. Tum rex Sedekias Jeremiam prophetam juſſit ad
ſe ad tertium oſtium templi Jovae adduci, eique dixit:
quaeram ex te aliquid, quod noli me celare. 15. Re-
ſpondit Jeremias Sedekiae: Si tibi quod quaeris indi-
cavero, me interficies, et ſi conſilium dedero, non
obtemperabis. 16. Tunc jurejurando, ſed clam, aſſe-
veravit Jeremiae, per Jovam, inquiens, qui nobis hanc
animam dedit, non te interficiam, neque te tradam
adverſariis tuis. 17. Ad haec Jeremias Sedekiae dixit:
Sic ait Jova, omnipotens Deus Iſraëlitarum: Si te
tradideris ducibus regis Babylonis, non ſolum tu, ſed
et tui vivi ſervabuntur, neque haec urbs igne combu-
retur. 18. Sin minus, urbs a Chaldaeis capietur et
igne concremabitur, neque tu eorum manibus evades.
19. Reſpondit Sedekias Jeremiae: Timeo Judaeos
transfugas, ne iis tradar illudendus. 20. Non trade-
ris, inquit Jeremias, crede modo eis, quae tibi Jovae
nomine dico, ſic ſalvus eris et incolumis. 21. Quodſi
recuſabis te *Chaldaeis* tradere, audi, quae Jova mihi
indicavit: 22. Mulieres in arce regia relictae edu-
centur ad duces regis Babylonis, tibique exprobra-
bunt,

bunt, quod te decipi paſſus ſis, quod nimium credideris tuis iſtis pacis conſiliariis, qui te in coenum demerſum jam relinquant. 23. Tum et tuae uxores et liberi * educentur ad Chaldaeos, nec tu eorum manibus effugies, ſed captus regi Babylonis traderis, urbs vero igne comburetur *. 24. Ad haec Sedekias Jeremiae dixit: Cave, ne quis haec reſciſcat, ne interficiare. 25. Quodſi principes audierint, me tecum locutum eſſe, teque rogaverint, ut eis exponas, quod inter nos actum ſit, nil mali tibi timendum eſſe, ſi verum fateare; 26. Dices eis, te precibus a me flagitaſſe, ne domum Jonathanis reducaris, quod ibi pereundum tibi ſit. 27. Cum igitur principes Jeremiam adirent et interrogarent, reſpondit eis, quomodo rex juſſerat. Tum illi non amplius inſiſtebant, nec res cuiquam innotuit. 28. Jeremias vero manſit in atrio cuſtodiae usque ad illum diem, quo capta eſt Hieroſolyma.

SECTIO XXVIII. CAPUT XXXIX.

1. Cum capta eſſet Hieroſolyma, *a*) (anno nono Sedekiae

a) Verba textus, in quibus deſinit Caput XXXVIII. וְהָיָה כַּאֲשֶׁר נִלְכְּדָה יְרוּשָׁלִָם ſi ſunt genuina, neceſſario debent incipere caput XXXIX. in quo etiam omnes interpretes recentiores quos vidi conſentiunt. Sed in modo connectendi variant. *Venema* tres verſus priores in parentheſi ponit, et verſum quartum cum illis verbis

dekiae regis Judae, menſe decimo, aggreſſus eſt Nebucadnezar, rex Babylonis, cum exercitu ſuo Hieroſolymae obſidionem, 2. atque duodecimo anno Sedekiae die nono quarti menſis urbs eſt oppugnata. 3. Duces Babylonis Nergal Scharezer, Samgarnebo, Sarſechim aulicorum *b*) princeps, Nergal Scharezer prin-

bis nectit. Probat ſententiam ſuam ex eo, quod hic verſus incipit cum וַיְהִי quod ad prius illud וְהָיָה lectorem quaſi remittat. Sed huic connexioni obſtare videtur affixum in בְּאָם quod manifeſtam habet relationem ad verſum tertium. Igitur malim illa verba (quod *Grotio* quoque aliisque placuit) cum verſu tertio connectere, cum quo apte cohaerent, redundante modo copula, et verſus duo priores in parentheſi tempus indicant, quamdiu obſidio duravit. — Sed non poſſum ſilentio praeterire, verſionem graecam et ſyriacam, recepti textus alias ſatis tenacem, illa verba non habere. Et ſi dicendum, quod res eſt, nemo neget ea ſalvo reliquo contextu abeſſe poſſe. Nolui tamen ea omittere, cum ſatis apte poſſint connecti atque adeo *Hubigantius* ea retinuerit, eundemque nexum inſtituerit.

b) רַב־סָרִים *princeps ſpadonum.* Hoc hominum genus in aulis regum orientalium non ſolum mulieribus cuſtodiendis eſſe adhibitum, ſed aliis quoque muneribus aulicis admotum, ex compluribus Scripturae S. locis conſtat. Geneſ. 37, 36. 40, 2. 7. 2 Reg. 25, 19. Jer. 52, 25. Hinc nonnulli collegerunt סָרִים non ſemper eunuchum ſ. ſpadonem propie dictum indicare, ſed translatum quoque

princeps magorum, reliquique duces regis Babylonis, portam mediam occuparunt. 4. Quos cum Sedekias rex Judae et milites ejus viderent, noctu urbe egreſſi fugerunt per hortum regium, per portam inter duos muros, verſus planitiem. 5. Sed Chaldaei eos perſecuti ſunt et Sedekiam in campis Hierichuntis aſſecuti comprehenderunt, atque ad Nebucadnezarem regem Babylonis Riblatham in regione Chamath deduxerunt, qui hanc ſententiam in eum pronunciavit. 6. Nempe liberos ejus eo ſpectante trucidari, nec non omnes nobiles Judaeos. 7. Ipſum vero Sedekiam excoecari atque duabus catenis vinctum Babylonem abduci. 8. Palatium regium et alia c) aedificia igne combuſſerunt Chaldaei, muros vero Hieroſolymae deſtruxerunt. 9. Qui in urbe ſuperſtites erant de incolis et transfugas et reliquos abduxit Nebuſaradan princeps ſatellitum Babylonem. 10. Relictis modo tenuibus et pauperibus de plebe hominibus, quibus vineas et agros aſſignavit. 11. De Jeremia vero Nebucadnezar rex Babylonis Nebuſaradani, ſatellitum praefecto, mandaverat, 12. ut eum ad ſe arceſſeret et curam ejus haberet diligentem, nec ullo modo eum offendi pateretur, ſed votis ejus omnibus annueret. 13. Miſerunt

que eſſe ad quemvis aulicum indicandum. vid. *Paulſen* von der Regierung der Morgenlaender p. 434 ſeqq.

c) Pro בֵּית הָעָם legendum eſt ſine dubio בָּתֵּי הָעָם uti eſt in loco parallelo Cap. LII, 13.

ſerunt igitur Nebuſaradan ſatellitum praefectus, Nebuſchasbas princeps aulicorum, Nergalſcharezer princeps magorum et reliqui duces regis Babylonis 14. ad Jeremiam, eumque ex atrio cuſtodiae eductum tradiderunt Gedaljae, Achikami filio, nepoti Schafanis, qui eum domum deduceret libere in populo verſaturum. — — 15. Jeremiam vero, cum adhuc in atrio cuſtodiae vinctus teneretur, 16. Jova juſſerat Ebedmelecho Aethiopi dicere: Sic ait Jova omnipotens Iſraëlitarum Deus, adducam quae huic urbi minatus ſum mala graviſſima, quorum tu ipſe teſtis eris. 17. Sed tunc te ſervabo, inquit Jova, non traderis eis, a quibus tibi times. 18. Salvus evades, atque incolumis, non gladio peribis, quod mihi fiſus es, inquit Jova.

SECTIO XXIX. CAPUT XL—XLIII, 8

1. Sequitur hiſtoria eorum, quae Jeremias ex mandato divino egit, a) poſtquam eum Nebuſaradan praefectus

a) Verba textus ſunt: הַדָּבָר אֲשֶׁר הָיָה אֶל־יִרְמְיָהוּ מֵאֵת יְהֹוָה וג״ quae quoniam interpretes ex vulgari ſenſu, quem alias ſaepe habent, explicant, ut nempe praemittantur dicendis a propheta ex revelatione divina, admodum incerti ſunt, quaenam ſint illa verba Jeremiae. Nam quae proxime ſequuntur, hiſtorica ſunt, non dicta, ſed geſta a propheta. *Grotius* quidem, *Venema*, alii, putant,

ſtus ſatellitum e Rama dimiſerat. Nam cum eum, una cum aliis civibus Hieroſolymitanis et Judaeis Babylonem deducendis, catenis vinctum cepiſſet *b*), dixit

putant, revelationem, quae in illis verbis innuatur, ſequi demum Capite XLII, 9. atque totam illam pericopam interſertam exponere occaſionem, qua Jeremias illam revelationem habuerit. Sed duram eſſe atque prorſus inſolitam parentheſin adeo longam, quisque ſentiet. Venit igitur in mentem an non הדבר hoc loco, uti ſaepe, in ſenſu latiori dicatur pro *rebus geſtis* aut *hiſtoria*. Sic ſupra adfuit in initio voluminis Jeremiae. Equidem fateor, formulam illam alias ſemper praemitti *ſermonibus* prophetarum, ſed tunc etiam ſermones illi ſtatim ſequuntur. Qui cum in hoc loco non legantur, neceſſum videtur, formulam illam in ſenſu paullo diverſo accipere, eo nempe, quem ſequentia requirunt. Igitur verba illa videntur eſſe inſcriptio poſterioris partis totius libri. Prior deſinit in expugnatione urbis Hieroſolymae. Poſterior incipit cum captivitate Babylonica, atque exponit ea, quae Jeremiae inter populares ſuos inde ab hoc tempore evenerunt. *Hubigantii* critica obſervatio h. l. nimis temeraria eſt. Poſtquam enim recte oſtendit, non poſſe priora illa cum Capite XLII, 9. connecti, totum verſum primum ut ſpurium rejicit, aliunde allatum. — — Aſt legitur ab omnibus interpretibus antiquioribus.

b) Haec cum illis, quae ſupra jam praecedenti capite verſu 11 ſeqq. de liberatione Jeremiae dicta ſunt, ſic concilianda videntur. Eo ipſo die, quo Hieroſolyma expugnata fuit,

xit ei: 2. Jova Deus tuus minatus eſt omnem hanc calamitatem huic loco. 3. Atque jam implevit has comminationes. Nam propter peccata veſtra et inobedientiam erga Deum haec omnia vobis evenerunt. 4. Te vero ſolvo catenis tuis. Si tibi placet mecum Babylonem abire, bene eſt, curam tui geram. Sin minus, utere libertate tua, tota terra tibi patet, potes te conferre quemcunque in locum ipſe volueris. 5. * Et cum nondum reſponderet, dixit: mane apud Gedaljam Achikami filium, Schafanis nepotem, quem rex Babylonis Judaeae urbibus praefecit, inter populares tuos, aut ſi quo alio in loco manere tibi placuerit; tum dedit ei princeps ſatellitum viaticum et alia munera, et ſic dimiſit eum. — — 6. Venit igitur Jeremias ad Gedaljam Achikami filium Mizpam, ibique inter populares ſuos ſuperſtites in terra vixit. 7. Cum vero duces exercitus *Sedekiae*, qui per campos latebant, eorumque homines, audirent, regem Babylonis Gedaljam, Achikami filium, terrae praefeciſſe, ejusque curae commiſiſſe viros et foeminas, infantes et homines tenuiſſimos, qui Babylonem non eſſent de-por-

fuit, duces Nebucadnezaris Jeremiam e carcere dimiſerant. Interjectis aliquot diebus coacti ſunt Judaei nobiliores et Ramam deducti, ut inde captivi abducerentur. In his denuo prehenſus fuerat Jeremias. Quem cum Nebuſaradan agnoſceret, egit cum eo, quemadmodum in hoc loco narratur.

portati: 8. venerunt ad eum Mizpam; in his Jiſchmael Netanjae filius, Jochanan et Jonathan Karechi filii, Seraja Tanchumeti filius, filii Ephaei Netophatitae, et Jeſanja Maachati filius; hi omnes cum hominibus ſuis. 9. Quibus Gedalja, Achikami filius, Schafanis nepos, jurejurando confirmavit, nihil eis eſſe a Chaldaeis metuendum, manete, inquit, in terra, eſtote ſubditi regis Babylonis et ſic bene vobis erit. 10. Ego Mizpae commorabor ut Chaldaeis praeſto ſim, qui ad nos venerint. Vos vero vinum, oleum aliosque fructus aeſtivos colligite et reponite in vaſis veſtris, et manete in urbibus quas occupaſtis. — — 11. Similiter etiam Judaei, qui apud Moabitas, Ammonitas, Edomitas et alios populos degebant, cum audirent regem Babylonis relictis a ſe in terra Judaeis praefeciſſe Gedaljam, Achikami filium, Schafanis nepotem, 12. reverterunt ex omnibus locis, in quae diſſipati erant, Mizpam in Judaeam ad Gedaljam, magnamque vini aliorumque fructuum copiam perceperunt. — 13. Tum Jochanan, filius Karechi, aliique duces exercitus, qui rure degebant, venerunt Mizpam ad Gedaljam, 14. eumque certiorem fecerunt, Baaliſum Ammonitarum regem miſiſſe Iſmaëlem filium Netanjae, ut eum interficeret; Quibus vero cum non crederet, 15. ille Jochanan Karechi filius eum privatim conveniebat, ſeque offerebat Iſmaëlem Netanjae filium occidere nemine conſcio: ne ille ipſi mortem infer-

inferret et ſic iſtae Judaeorum reliquiae ad eum congregatae perirent. 16. Sed noluit Gedalja Jochanani hoc permittere, falſa enim eſſe quae de Iſmaële diceret. CAPUT XLI, 1. Menſe ſeptimo venit Iſmaël, Natanjae filius, Eliſamae nepos e ſtirpe regia, una cum ducibus quibusdam regis Ammonitarum, Achikami filium: Ibique in convivio 2. cum decem iſtis viris ſuis comitibus illum Gedaljam, Achikami filium, Schafanis nepotem, quem rex Babylonis terrae praeſidem conſtituerat, gladio interfecit, 3. ut et omnes Judaeos, qui apud eum Mizpae erant, nec non Chaldaeos milites, qui aderant. 4. Poſtridie, cum nemo adhuc reſciret, Gedaljam eſſe interfectum, 5. venerunt Sichema, Silunte et Samaria octoginta viri raſis barbis, veſtibus ſciſſis et cute lacerata, qui ferta et thus ad templum Jovae afferebant. 6. His obviam procedit ex Mizpa Iſmaël Netanjae filius, flens inter eundum, et cum eis occurriſſet, invitavit, ut ad Gedaljam Achikami filium venirent. 7. Cum oppidum ingreſſi eſſent, eos cum hominibus ſuis trucidavit atque in foveam abjecit. 8. Decem vero ex iſtis viris rogabant eum, ne ipſos interficeret, velle ſe ei indicare loca in agris, in quibus triticum, hordeum, oleum et mel reconditum haberent a): igitur abſtinuit ab eis

una

a) De his ſpeluncis ſubterraneis, in quibus Orientales frumentum et alios terrae fruges recondunt, quarum notitia

una cum reliquis eorum popularibus interficiendis. 9. Fovea vero, in quam Iſmaël cadavera iſtorum hominum abjecit, quos in eodem quo Gedaljam loco *b*) interfecerat, fuit illa quam rex Aſa propter Baeſam regem Iſraëlis fecerat: hanc iſtis occiſorum cadaveribus implevit. 10. Tum omnes qui Mizpae adhuc ſuperſtites erant, filias regis, et omnes omnino, quos Nebuſaradan ſatellitum princeps curae Gedaljae commiſerat, captivos abduxit, atque ad Ammonitas transfugere conſtituerat. 11. Sed Jochanan, Karechi filius, omnesque exercitus duces, qui apud ipſum eſſent, cum audirent de iſto ſcelere ab Iſmaële patrato, 12. eum perſecuti ſunt atque oſfenderunt ad piſcinam magnam, quae Gibeone eſt. 13. Cum vero illi, quos Iſmaël e Mizpa captivos abegerat, viderent Jochananem Karechi filium et duces exercitus, laetati ſunt, 14. atque omnes ad eum reverterunt. 15. Iſmaël vero cum

tia ad multa Scripturae S. loca utilis eſt, vid. *Bochartus* in Hieroz. P. II. Lib. IV. Cap. 21. p. 594. *Shaw* in Itinerario p. 125. edit. germ. *Faber* ad Harmarum P. II. p. 458.

b) In textu eſt בְּיַד *ad manum Gedaljae*, quod interdum pro לִפְנֵי dicitur, immo cum eo permutatur, ut 2 Sam. V, 20. et 1 Chron. XIV, 11. Quod igitur dictum eſt, *coram Gedalja eos interfecit*, hunc ſenſum habere videtur, deductos eſſe homines iſtos ab Iſmaële ad illum locum, in quem Gedaljam occiſum abjecerat, eosque ibidem trucidaſſe et interfeciſſe.

cum octo hominibus evaſit Jochanani atque ad Ammonitas ſe contulit. 16. Tum hic et duces exercitus, qui eum comitabantur, reliquias iſtas, ab Iſmaële, Gedalja interfecto, e Mizpa abductas, viros, milites et foeminas, parvulos et eunuchos e Gibeone reduxerunt, 17. et conſederunt in territorio Cimhami, quod juxta Bethlehemum eſt, eo conſilio ut in Aegyptum proficiſcerentur. 18. Timebant enim Chaldaeos, quia Iſmael Netanjae filius Gedaljam Achikami filium interfecerat, quem rex Babylonis terrae praefecerat.

CAPUT XLII. 1. Tum omnes duces exercitus, in his inprimis Jochanan Karechi filius et Jeſanja Hoſchajae filius et omnis populus, parvi et magni, 2. venerunt ad Jeremiam prophetam atque hunc in modum cum eo locuti ſunt: admitte, quaeſumus, preces noſtras, atque intercede pro nobis apud Jovam Deum tuum, pro exiguis iſtis reliquiis, qui ex multis ſuperſtites ſumus, quales nos ipſe vides, 3. ut nobis indicet Jova Deus tuus viam qua eundum nobis ſit, aut quid faciendum. 4. Quibus Jeremias, audio, inquit, precabor Jovam Deum veſtrum, quemadmodum poſtulaſtis, et quaecunque reſponderit, vobis indicabo, nec quidquam vobis reticebo. 5. Tum illi ad Jeremiam: Jova teſtis ſit inter nos verus et fidus, nos quaecunque tibi Jova de nobis praeceperit, facturos eſſe, 6. ſive bona ſint, ſive mala. Voluntati Dei noſtri, ad quem te mittimus, obtempe-

rabi-

rabimus, nam propter illam obedientiam ei praeſtitam bene nobis cedent omnia. 7. Finitis decem diebus reſponſum tulit a Jova Jeremias. 8. Igitur convocavit Jochananem filium Karechi, omnes exercitus duces, qui cum eo erant, atque univerſum populum, parvos et magnos, 9. atque his verbis eos eſt allocutus: Sic dicit Jova Iſraelitarum Deus, ad quem me miſiſtis ut precibus apud ipſum pro vobis intercederem. 10. Si manſeritis in hac terra, aedificabo vos, non deſtruam, plantabo vos, non evertam, poenitet me malorum, quibus vos affligi paſſus ſum. 11. Nolite timere regem Babylonis, uti ſoletis. Nolite, inquam, eum timere, adſum enim vobis ad vos ſervandos et defendendos ab eo. 12. Efficiam ut veſtrum miſereatur, ut benignum ſeſe vobis praebeat, et vos reducat in terram veſtram. 13. Sin recuſaveritis manere in hac terra et obedire voluntati Jovae Dei veſtri: 14. Si ſtatueritis in Aegyptum abire, in qua nec bellum videatis, nec tubae ſonitum audiatis, nec fame laboretis, ibi vos velle commorari: 15. Jam audite ſententiam Jovae, reliquiae Judaeae: haec dicit Jova omnipotens Iſraelitarum Deus: Si propoſito veſtro tenaciter inhaeſeritis, ut in Aegyptum abeatis, et ſi quoque eo perveneritis, ut ibi peregrinemini: 16. gladius quem timetis, ibi, in Aegypto, vos aſſequetur; fames, quam metuitis, ibi, in Aegypto, vos premet, ubi moriemini. 17. Atque omnes, qui in

ſententia ſua peregrinandi in Aegypto perſeverant, gladio, fame et peſte ibi morientur, ita ut nemo evadat malis, quae adverſus eos ſim adducturus. 18. Haec enim dicit Jova omnipotens Deus Iſraelitarum: quemadmodum irae meae ardor in incolas Hieroſolymae deflagravit, ita flagrabit etiam in vos, ſi in Aegyptum abieritis; execrabiles et deteſtabiles eritis, omnium ignominiae et opprobrio expoſiti, nunqnam hunc locum amplius videbitis. 19. Haec loquitur Jova ad vos, reliquiae Judaeae. Nolite igitur in Aegyptum abire. Experientia intelligetis (quod vos hodie obteſtor,) 20. vos in vosmet inſaniſſe. Miſiſtis me ad Jovam Deum veſtrum, ut pro vobis apud eum intercederem atque ejus voluntatem vobis renunciarem, vos omni ex parte ei eſſe obſecuturos. 21. Jam renunciavi vobis Jovae Dei veſtri voluntatem. Vos vero non obtemperatis ulli eorum, quae per me vobis dici juſſit. 22. Scitote igitur vos gladio, fame et peſte perituros eſſe in eo loco, in quo peregrinari concupiſcitis. — CAPUT XLIII, 1. Poſtquam Jeremias ad populum omnia retulerat, quae ei a Jova Deo eorum mandata erant, 2. dixerunt Aſarja Hoſchajae filius, Jochanan Karechi filius, aliique homines arrogantes: mentiris, non te juſſit Jova Deus noſter, nos vetare ire commoratum in Aegypto. 3. Sed Baruch Nerijae filius te adverſus nos incitat, ut nos Chaldaeis tradat, a quibus vel interficiemur, vel Babylonem com-

comportabimur. — — 4. Igitur non obtemperarunt Jochanan Karechi filius, duces exercitus et omnis populus volnntati Jovae, ut manerent in Judaea. 5. Sed cum iſtis Judaeorum reliquiis, quae ex multis gentibus, inter quas diſſipatae erant, in patriam ſuam redierant, 6. cum viris et foeminis, cum infantibus et regiis filiis, et omnino cum omnibus, quos Nebuſaradan ſatellitum princeps Gedaljae commiſerat, aſſumto etiam Jeremia propheta et Barucho Nerijae filio, 7. contra voluntatem Jovae in Aegyptum profecti ſunt et pervenerunt Daphnen prope Peluſium.

SECTIO XXX. CAPUT XLIII, 8—13

8. Jova Jeremiam Daphne his verbis eſt allocutus: 9. Sume lapides magnos et abſconde eos in caemento in officina lateritia, quae eſt ante ingreſſum palatii Pharaonis, et praeſentes ſint quidam ex Judaeis, 10. quibus haec dicito: Haec Jova omnipotens Deus Iſraëlitarum dicit: Mittam Nebucadnezarem regem Babylonis, miniſtrum meum, qui ponet ſolium ſuum ſuper his lapidibus, quos abſcondi juſſi, et caſtra *a*)

a) Vocabulum ἅπαξ λεγ. שַׁפְרוּר vulgo habetur pro ſynonymo τοῦ כסא in membro praecedenti, ſed rectius fortaſſe explicatur per tentorium caſtrenſe. Sic etiam antiqui interpretes videntur intellexiſſe. Οἱ ό, καὶ ἀρεῖ τὰ ὅπλα ἐπ' αὐτούς. Syrus: *et portabit* זינה *arma ſua ſuper eos.*

Chal-

ſua in eis figet. 11. Magna clade afficiet Aegyptios. Alii peſte auferentur, alii captivi agentur, alii gladio peribunt. 12. Igne incendam templa Deorum Aegypti, qui partim comburentur, partim captivi abducentur. Potietur *b*) vero *Nebucadnezar* Aegypto *tam facile* quam paſtor veſte ſua ſe induit, et ſalvus atque incolumis redibit. 13. Confringet ſtatuas in templo Solis, quod in Aegypto eſt, atque omnia omnino templa Deorum Aegyptiacorum igne comburet.

SECTIO XXXI. CAPUT XLIV

1. Haec ſunt ea quae Jeremias Judaeis in Aegypto degentibus, nempe Migdoli, Daphne ad Peluſium, Memphi et in regione Thebaidis, dicere debebat, 2. ex auctoritate Jovae omnipotentis Dei Iſraëlitarum: Vos noſtis, quantam calamitatem adduxi contra Hieroſolymam et omnia Judaeae oppida. Vaſtata jacent, incolis deſtituta. 3. Propter ſcelera iſta ſua, quibus me offenderunt, dum alienos Deos ſuffitu coluerunt, quos tamen nec ipſi nec maiores eorum

Chaldaeus: *et extendet* אַפַּדְנֵיה *tentorium ſuum ſuper eos.* Vulgatus habet *folium.*

b) Laborant interpretes quidam in phraſi עָטָה אֶת אֶרֶץ מִצְרַיִם *induet terram Aegypti.* Sed recte obſervat S. R. *Doederlein* ad Grotium, *induere regionem* eſſe *occupare eam.* In lingua Arabica عطا eſt *manu accipere.*

rum noverant. 4. Et quanquam ad vos perpetuo mitterem tot meos miniſtros prophetas, qui vos monerent, ut ab iſtis rebus mihi abominabilibus et exoſis abſtineretis: 5. tamen non obtemperaſtis, nec aurem praebuiſtis, ut deſiſteretis ab iſtis flagitiis, nec ſuffitum offerretis diis peregrinis. 6. Propterea et irae meae ardor erupit et incendit urbes Judaeae vicosque Hieroſolymitanos, ut in vaſtitatem et ſolitudinem ſint redactae, quod noſtis omnes. 7. Jam vero dicit Jova Deus omnipotens, Deus Iſraëlitarum: cur vos in veſtram certiſſimam perniciem tantum ſcelus committitis, quod cum veſtro, mulierum veſtrarum, parvulorum et lactentium pernicie conjunctum eſt, ita ut nemo veſtrum relinquatur? 8. Dum nempe iram meam provocatis factis veſtris adolendo diis peregrinis in Aegypto, quo ad commorandum veniſtis. Perniciem vobis hoc afferet, omnium gentium opprobrio et ignominiae vos exponet. 9. Num jam obliti eſtis ſcelera majorum veſtrorum, ſcelera regum Judae, et * principum ejus, immo et ipſa veſtra et mulierum veſtrarum ſcelera in Judaea et Hieroſolyma commiſſa? 10. Et ne nunc quidem poenitentiam *a*) agitis, nec me timetis, nec ſecundum

 legem

a) In textu hebraeo legitur quidem tertia perſona, quaſi adhuc ſermo eſſet de majoribus Judaeorum, ſed quod additur, *usque ad hunc diem*, oſtendit prophetam loqui cum homi-

legem et ſtatuta mea vivitis, quae praeſcripſi vobis et majoribus veſtris? 11. Propterea haec dicit Jova omnipotens Deus Iſraëlitarum: en, ira mea in vos converſa vos omnes perdam. 12. Reliquiae iſtae Judaeorum, quae obſtinate in conſilio ſuo perſtiterunt peregrinandi in Aegypto, ibidem etiam conficientur omnes, gladio et fame peribunt, parvi aeque ac magni gladio et fame conſumentur, exſecrationi, deteſtationi, ignominiae et opprobrio omnium expoſitae. 13. Animadvertam in eos qui in Aegypto degunt iisdem poenis, quibus in Hieroſolymitanos animadverti, gladio, fame et peſte. 14. Non erunt qui evadant aut ſuperſtites ſint ex iſtis reliquiis Judaeorum, qui in Aegyptum peregrinandi cauſa venerunt, eo conſilio ut aliquando reverterentur in terram Judaicam, cujus reviſendae magno deſiderio tenentur. Non niſi perquam pauci revertentur. 15. Ad haec Jeremiae reſponderunt viri iſti, qui ſciebant uxores ſuas adolere diis peregrinis, et aliae mulieres multae et omnis omnino populus, qui in Aegypto

hominibus ſane aetatis iisque praeſentibus. Nec tamen propterea lectionem ſuſpectam judico. Sunt tales perſonarum mutationes ſatis frequentes ſcriptoribus S. De utrisque cum majoribus tum praeſentibus ſine dubio propheta voluit intelligi quod dixit. Equidem in verſione ſecundam perſonam putavi adhibendam propter ſequentem verſum, in quo etiam propheta ea iterum uſus eſt.

pto et Thebaide degebant: 16. Non tibi obtemperabimus in eo, quod tu nobis nomine Jovae dixiſti. 17. Sed faciemus ea quae nobis placent; adolebimus reginae caeli *b*), huic et libamina fundemus, quemadmodum nos fecimus et majores noſtri, reges et principes in urbibus Judaeae et Hieroſolymae. Tum victus nobis abunde ſuppetebat, laeti vivebamus expertes omnis mali. 18. Ex quo enim intermiſimus adolere reginae coeli et libamina ei offerre, inopia laboramus, et gladio et fame conficimur. 19. Quodſi vero adolemus reginae coeli, aut libamina ei fundimus, num inſciis maritis noſtris popana ei facimus, effingendo eam *c*) *in iſtis*, aut libamus in honorem ejus? 20. Tum Jeremias univerſo populo, viris et foeminis omnibus, qui ei ſic reſponderant, dixit: 21. Utique ſuffitus illius, quem obtuliſtis in Judaeae

 urbibus

b) h. e. lunae. cf. Cap. VII, 18.

c) Syrus praemittit huic verſui: *et reſponderunt mulieres omnes et dixerunt*, quae ſupplenda eſſe ex ultimis verbis apparet, quanquam propterea ex textu excidiſſe minime putem. — לְהַעֲצִיבָה Vulgatus: *ad colendam eam*, duxiſſe videtur ab עָבַר, *οἱ ό* Syrus et Chaldaeus omittunt. Verti ex primaria verbi ſignificatione, *artificioſe ſtruere et fabricare*, de qua cf. *Schultenſius* ad Jobum pag. 269. et de Defectibus §. 161. Quae aptiſſima eſt huic loco, ſi vera ſunt quae Judaei de his placentis narrant, eis imaginem lunae impreſſam fuiſſe. cf. obſervata ad Cap. VII, 18.

urbibus et in vicis Hieroſolymae, vos et majores veſtri, reges, principes et plebeji, Jova recordatus eſt, atque ita propterea eſt affectus, 22. ut non poſſet diutius ferre tot ſcelera veſtra et facta abominabilia quae commiſiſtis; hinc terra veſtra vaſtata eſt et in execrandam ſolitudinem et incultam redacta, 23. propter illos ſuffitus veſtros, propter peccata veſtra et inobedientiam, qua voluntati divinae, legibus, ſtatutis et praeceptis ejus adverſati eſtis, iſta tanta calamitas vobis evenit. 24. Porro Jeremias univerſo populo et mulieribus iſtis dixit: audite, quod Jova omnibus Judaeis, qui in Aegypto ſunt, dicit: 25. Sic vero ait Jova omnipotens Iſraëlitarum Deus: vos quidem et mulieres veſtrae, quae locuti eſtis, etiam praeſtitiſtis, vota nimirum, quae feciſſetis, vos quoque eſſe ſoluturos adolendo reginae coeli et libamina ei offerendo; praeſtitiſtis promiſſa veſtra, ſolviſtis vota. 26. Sed audite, quod Jova omnibus Judaeis in Aegypto degentibus dicit; Juro ego per nomen meum magnum, inquit Jova, neminem veſtrum amplius in tota Aegypti terra nomine meo in jurejurando eſſe uſurum. 27. Invigilabo damno veſtro, non bono. Peribitis omnes, quicunque in Aegypto degitis, gladio et fame, 28. et non niſi admodum pauci, qui gladio evaſerint ex Aegypto, in Judaeam redibunt, ita ut omnes Judaei, qui Aegyptum ad commorandum abierunt, intelligant, cujus dicta rata ſint,

ſint, mea an illorum? 29. Atque hoc ſignum habetote, inquit Jova, me in hoc ipſo loco poenas a vobis ſumturum eſſe, measque minas impletum iri. 30. Tradam Pharaonem Chophram hoſtibus necem ejus cupientibus, quemadmodum Sedekiam regem Judae ejus hoſti capitali Nebucadnezari Babylonis regi tradidi.

SECTIO XXXII. CAPUT XLV

1. Barucho Nerijae filio, cum anno quarto Jojakimi Joſiae filii regis Judae ſermones Jeremiae ex ejus ore calamo excepiſſet, a) Jeremias propheta 2. juſſu Jovae Dei Iſraëlis haec dixit: 3. Tu quidem vehementer conquereris, Jovam tuum dolorem novo ſubinde dolore augere, gemitu te eſſe fatigatum, nec ubi quieſcere poſſis invenire. 4. Sed ſcio, inquit Jova, me jam quod aedificavi deſtruere, et quod plantavi evellere, atque ita cum tota hac terra agere decrevi. 5. Atque tu *in iſta communi calamitate* ſingularem quaeris praerogativam? noli hoc facere. Malum immittam omnibus mortalibus; attamen tuae ſaluti proſpiciam, quocunque locorum te conferes.

a) Hiſtoriam legimus Cap. XXXVI, 4. 26. cum quo quoad tempus cohaeret.

SECTIO XXXIII. CAPUT XLVI, 1—13.

1. Sequuntur ſermones Jovae ad Jeremiam prophetam adverſus gentes exteras. — 2. Contra Aegyptios, contra exercitum Pharaonis Nechonis Aegyptiorum regis, quem ad Euphratem juxta Circaſium profligavit Nebucadnezar rex Babylonis, anno quarto Jojakimi filii Joſiae regis Judae: 3. Parate clypeum et ſcutum, procedite ad pugnam, 4. jungite equos, aſcendite equites, ſiſtite vos galeatos, polite haſtas, induite loricas. — — 5. Quare vero video eos conſternatos, retro verſos, fortiſſimos quosque caeſos, in fugam ſe conjicere non reſpicientes, formidine ubique urgente, inquit Jova? 6. Non effugiet velox, non evadet heros, verſus ſeptentrionem ad ripam Euphratis impingent, cadent. — — 7. Quis iſte eſt, qui inſtar fluminis aſcendit, cujus aquae ut flumina moventur? — — 8. Aegyptus ut fluvius aſcendit, * hujus aqua ut flumina ſtrepit. Aſcendam, inquit, terram inundabo, perdam urbem cum incolis. 9. Aſcendite equi, ruite currus, prodeant heroes, Aethiopes et Libyi clypeum tenentes et Lydii periti ſagittarii. 10. Hic dies eſt domini Jovae omnipotentis, dies ultionis et vindictae in adverſariis ſuis a); comedet ad ſatietatem gladius, madebit ex eorum ſan-

a) Simillimus eſt h. l. Jeſ. XXXIV, 5 ſeqq. ubi eadem imago.

ſanguine. Mactat dominus Jova omnipotens in terra Septentrionis ad Euphratem. 11. Abi in Gileaditidem et pete reſinam, virgo puella Aegypti! fruſtra multa adhibes medicamenta, ſanatio tua non proficiet. 12. Audiunt gentes ignominiam tibi illatam, clamore tuo tota terra reſonat, miles in militem impingit, et ſic utrique cadunt pariter.

SECTIO XXXIV. CAPUT XLVI, 13 — 28

13. De clade, quam Nebucadnezar rex Babylonis Aegypto illaturus eſſet, Jova Jeremiae prophetae haec dicit: 14. Annunciate in Aegypto, proclamate Migdole, Memphi et Daphne, dicite: conſiſte teque compone, conſumit gladius *gentes* tibi finitimas. 15. Cur milites tui in fugam prorepti? Stare non potuerunt, Jova eos propellente. 16. Multos fecit impingentium, alius in alium incidit. Agite, inquiunt, revertamur ad populum noſtrum, in terram patriam, propter gladium ſaevientem. 17. Ibi vero nunciabunt: Actum eſt cum Pharaone Aegypti rege, adduxit *Deus* condictum ſ. conſtitutum, ſc. Nebucadnezarem *b*). 18. Per vitam meam juro, inquit rex Jova

b) Eſt locus paullo difficilior. Verti textum hebraeum ex ſententia *Venemae.* Nec tamen poſſum ſilentio praeterire verſiones antiquas. LXX interpretes habent: *καλέσατε τὸ ὄνομα Φαραὼ Νεχαὼ βασιλέως Αἰγύπτου, Σαὼν ἐσβεὶ (ἐεβὶρ) μωήδ.*

Jova omnipotens, quamvis *Pharao* ut Tabor inter alios montes et ut Carmelus in mari *eminet*, tamen veniet ſc. *ille conſtitutus.* — — 19. Para tibi ſupellectilem migrationis tuae, habitatrix puella Aegypti, Memphis ita vaſtabitur, ut incolis omnibus careat. 20. Vitula formoſa eſt Aegyptus, ſed * veniet ex Septentrione, qui eam pungat. 21. Etiam milites tui mercenarii, vitulis ſaginatis ſimiles in fugam ſeſe vertent omnes, non ſtabunt. Adeſt dies eis perniciofus, tempus quo in eos animadvertetur. 22. Sibilabunt Aegyptii ut ſerpentes, exercitu *hoſtili*, impetu concitato eos cum ſecuribus invadente, ut lignatores. 23. Caedent ſilvam ejus, inquit Jova. Sunt infiniti, plures locuſtis ſunt, innumerabiles. 24. Pudet puellam Aegyptum traditam populo Septentrionis. — 25. En, inquit Jova omnipotens Iſraëlitarum Deus, animad-

μωηδ. Legerunt קָרְאוּ שֵׁם et ultima tria vocabula habuerunt pro *nomine*, quo appellaretur Pharao in ſignum inſtantis deſtructionis, ut Jeſaias filio ſuo Cap. VIII, 3. jubetur tale nomen ſymbolicum imponere. Eodem modo intellexit Vulgatus: *Vocate nomen Pharaonis regis Aegypti, Tumultum adduxit tempus.* Atque etiam Syrus ex parte: *Vocarunt ibi nomen Pharaonis Nechonis regis Aegypti:* דלוֹחא וַמְעַבַר זַבְנֵא *turbatorem et praetereuntem tempora.* Cum quo dictus ille *Syrus* in Hexaplis Originis convenit: ταράττων καὶ καιροὺς παραφέρων. vid. *Montefalconius* in Hexaplis.

animadvertam in Thebas, in Pharaonem, in Aegyptios, in Deos et reges eorum, et in omnes qui Pharaoni confidunt. 26. Tradam eos hoſtibus, nempe Nebucadnezari regi Babylonis ejusque militibus. Poſthaec tamen iterum uti olim habitabitur, inquit Jova. —— 27. Tu vero, mi Jacobe, noli timere, nec formidare, o Iſraël, Ego te e longinquo et poſteros tuos e terra captivitatis ſervatos reducam. Revertentur Jacobitae, ſecuri et felices vivent, nemine perturbante. 28. Nolite timere, Jacobitae, inquit Jova, nam vobis adero, ſi vel omnes gentes, inter quas vos diſpergam, funditus perdidero, tamen vos non penitus perdam; caſtigabo vos moderate, non delebo.

SECTIO XXXV. CAPUT XLVII

1. De Philiſtaeis propheta Jeremias ex mandato Jovae haec dixit, antequam Pharao Gazam expugnaret: 2. En aquae aſcendunt, inquit Jova, ex Septentrione, in torrentem excreſcentes, inundantes totam terram, urbes, earumque incolas. Tum clamabunt homines et ejulabunt omnes terrae habitatores. 3. Ob quadrupedantem ſonum ungularum equorum ejus, ob ſtrepitum curruum et tumultum rotarum non reſpicient patres ad filios. Tanta erit omnium conſternatio. 4. Cum dies ille venerit vaſtaturus omnem Palaeſtinam, exciſurus Tyrum et Sidonem aliasque copias auxiliares. Vaſtabit enim Jova Palaeſtinam, re-

liquias iſtas Cappadociae. 5. Calvitium ſibi inducet Gaza, exſcindetur Aſcalon, et reliqua vallium oppida. Quousque cutem tibi lacerabis? 6. Heu! Jovae enſis, quousque non quieſces? Recipe te in vaginam, ſubſiſte et ſile. — 7. Quomodo quieſceret, cum Jova ei mandata dederit ad Aſcalonem et ad oram maritimam, quam ei addixit?

SECTIO XXXVI. CAPUT XLVIII. *a*)

1. De Moabitis. Sic dicit Jova omnipotens Iſraelitarum Deus. Heu Nebo, nam vaſtata eſt, praeter ſpem ſuam capta eſt Kirjatajim, praeter ſpem Misgab eſt effracta. 2. Periit gloria Moabi, contra Cheſbonem conſilia ceperunt perniciosa: agite, ita eos perdamus, ut non amplius gens ſit. Tu quoque Madman exſcinderis, gladio te perſequente. 3. Querula vox ex Choronajim auditur vaſtationis et calamitatis ingentis. 4. Vehementer afflicta eſt Moab, audiuntur clamores usque ad Zoaram. * 5. Luchitum aſcendunt cum magno fletu et ploratu. Atque in deſcenſu verſus Choronajim anxii clamores ob excisionem audiuntur. — — 6. Fugite, ſalvate vos, vivite ut juniperi in deſerto. 7. Quoniam enim confidis

a) Cum hoc vaticinio conferendum eſt ſimile Jeſaiae Cap. XV. et XVI. impletum per Nebucadnezarem, qui expugnata Hieroſolyma etiam reliquas regiones finitimas ſibi ſubjecit. cf. Cap. XLIX, 28. 30.

fidis theſauris tibi comparatis, tu quoque capieris, Chamos captivus abducetur una cum ſacerdotibus et principibus. 8. Aggreditur vaſtator omnes urbes; nulla evadet. Valles perdentur, loca campeſtria deſtruentur. Sic Jova minatur. 9. Protendite comam Moabi, qua prehenſa ad ſervitutem trahatur *b*). Urbes ejus ita deſtruentur, ut incolis careant. 10. Male pereat, qui opus Dei negligenter exequitur. Infelix ſit, qui cohibet gladium ſuum, quo minus ſanguinem fundat. 11. Moabus inde a juventute ſua tranquillus fuit, ſubſidens in faecibus ſuis, nunquam ex uno vaſe in aliud transfuſus, hoc eſt, nunquam in captivitatem eſt abductus, propterea manſit ipſi ſapor ejus, nec odor eſt mutatus. 12. Igitur mittam, inquit Jova, qui eum transfundant, qui vaſa ejus evacuent et lagenas frangant. 13. Sic Moabus in Camoſcho ſe deceptum ſentiet,

b) De hoc loco, ob verba rariora et in Lexicis vulgo parum accurate explicata difficiliori, egit *Schroederus* in Obſervatt. ſelectis ad Origg. hebr. pag. 184. ſeqq. Ibi, poſtquam probaverat נִצָּה, נִצִּין et צִיץ dici de coma propendente ſ. antiis promicantibus, tandem hunc verborum ſenſum facit: *Date antias Moabo*, h. e. curate ut Moabitae antias habeant ſatis longas et promiſſas, quibus prehenſis captivi abripiantur; nam הֵצֵא a יצא dicitur etiam in ſpecie de captivis, qui ab hoſte in exilium abiguntur, ut Ezech. XII, 4. Simul obſervetur Sarcaſmus in his verbis, quo populus ille adeo ſuperbus et ferox, ab hoſte vero mox in captivitatem abripiendus, ridetur.

tiet, quemadmodum Iſraël falſus fuit in Bethele, cui fidebat. 14. Quid fortitudinem veſtram et virtutem bellicam jactatis? 15. Vaſtabitur Moab, urbes ejus comburentur, *c*) lectiſſimi juvenes ad ſupplicium abducentur; hoc Jova omnipotens minatur. 16. Appropinquat calamitas Moabi, approperat ejus pernicies. 17. Condolete ei, vicini, omnes qui de ejus celebritate audiſtis: dicite, qui ſit ut ſceptrum illud fortiſſimum fractum ſit? virga iſta adeo venuſta? 18. Deſcende a magnificentia tua, et ſede in luctu, tu quae Dibonem inhabitas. Qui Moabum vaſtabit, ad te quoque pervadet, tuasque evertet munitiones. — 19. Conſiſte in via et proſpice habitatrix Aroëris, interroga fugientes, et qui evaſerint, quid acciderit? 20. Pudet confractum Moabum, ejulate, clamate, annunciate ad Arnonem, Moabum eſſe vaſtatum. 21. Poena jam ſumta eſt de tractu planitiei, de Cholone, de Jahza, de Mephaat, 22. de Dibone, Nebone et Bet-diblatajim, 23. de Kirjatajim, Bet-gamule et Bet-meone, 24. de Kirjoth et Bozra, et omnino de omnibus terrae Moabiticae urbibus, cum remotis, tum propinquis. 25. Abſciſſum eſt cornu Moabi, fractum eſt ejus brachium, inquit Jova. *d*) — — 26. Inebritate eum, nam contra Jovam ſe extulit, ut vehementer

c) De conſtructione verbi ſingularis numeri cum nomine plurali vid. *Glaſſii* Philolog. S. p. 328.

d) h. e. Potentia et virtus bellica Moabi periit.

menter vomat et aliis ludibrio ſit. 27. Nonne etiam tu, o Moabe, riſiſti Iſraëlem, et ut furem tractaſti? Quoties de eo locutus es, caput motitaſti. 28. Relictis urbibus petras inhabitate, Moabitae, eſtote columbae ſimiles, nidificantis in lateribus cavernae. 29. Audivimus Moabi faſtum inſignem, ſuperbiam ejus tumidam, inſolentiam animique elationem. 30. Novi, inquit Jova, ferocitatem ejus immodicam, mendaces iſtos homines peſſimos. — 31. Propterea de Moabo ejulabo, immo de toto Moabo lugebo, gemam de civibus Kir - Chereſchi. 32. Ut Jaſerem deflevi, ita te quoque deflebo, vitis Sibmae. Palmites tui mare tranſierunt, usque ad mare Jaſeris pertigerunt. Vaſtator enim irruit in fructus tuos aeſtivos et vindemiam. 33. Ceſſabit omne gaudium et laetitia in agris fertilibus terrae Moabiticae. Auferam vinum e torcularibus, non calcabunt inter clamores jubilantes. Aliud jam celeuſma audietur. 34. Propter vaſtatam Heſbonem usque ad Elalem et Jahſam clamabunt: a Soare usque ad Choronajim, Eglatam et Schliſchijam *e*), nam et aquae Nimrim deficient. 35. Efficiam, inquit Jova, ut non amplius ſint, qui loca ſublimia ſcandant, et ſuffitum offerant diis ſuis. — — 36. Propterea ilia mihi de Moabo ut tibiae ſtrepunt, immo viſcera mihi de incolis Kir - Hereſi ut tibiae ſonant, quoniam id

e) cf. Obſervat. ad Jeſ. 15, 5.

id quoque quod reliquum eis fuit, periit. 37. Omnium capita calva, barbae raſae, manus laceratae, et latera cilicio amicta ſunt. 38. In omnibus tectis Moabi et plateis lugent, fregi enim Moabum ad inſtar vaſis inutilis, inquit Jova. 39. O! quam fractus eſt Moabus! ejulate. Quam pudet Moabum converſum in fugam! Sic irriſioni et terrori erit vicinis ſuis. 40. Ut aquila advolabit, inquit Jova, *Nebucadnezar*, alas ſuas ſuper Moabum expandens. 41. Urbes capientur, occupabuntur arces, et fortiſſimi quoque Moabitarum animo erunt affecti ut mulier parturiens. 42. Atque ſic ne populum quidem amplius conſtituent, quod contra Jovam ſe extulerunt. 43. Timor et fovea et laqueus vobis imminet, incolae terrae Moabiticae, inquit Jova. 44. Qui fugiet propter timorem, cadet in foveam, qui eſcenderit e fovea, capietur laqueo, adducam enim contra Moabum tempus poenarum, inquit Jova. 45. In umbra Heſbonis ſubſiſtunt fugitivi viribus deſtituti. Sed ignis erumpit ex Heſbone et flamma a Sichone, quae abſumet barbam *f*) Moabitarum et capillos hominum hoſtilium. 46. Vae tibi Moabe! periit populus Camoſchi, filii filiaeque tuae ad captivitatem abigentur. 47. Tandem

tamen

f) De פאה cf. dicta ad Cap. IX, 25. Quoniam hoc loco τῷ קָדְקֹד opponitur, barbam intelligendam eſſe non dubito.

tamen aliquando reſtaurabo Moabitas, inquit Jova. Hactenus ſententia in Moabitas lata.

SECTIO XXXVII. CAPUT XLIX, 1 — 7.

1. De Ammonitis. Sic dicit Jova: Num Iſraëlitae nullos liberos habent? num heredibus deſtituuntur? cur igitur Malcam terram Gaditarum occupavit et ejus populus in eorum oppidis confedit? 2. At enim vero, inquit Jova, excitabo Rabbae Ammonitarum belli clamores, ut in tumulum deſtructum redigatur et coloniae ejus igne comburantur. Tunc Iſraelitae recuperabunt poſſeſſiones ſuas ab iis, qui eos ex illis ejecerant, inquit Jova. 3. Ejula Heſbon, nam vaſtata eſt Aja, filiae Rabbae plorant, ciliciis amictae lugent, vicatim curſitant, quod Malcam in captivitatem eſt abductus cum ſacerdotibus ſuis et principibus. 4. Quid gloriamini, homines profani, de vallium veſtrarum fertilitate? Divitiis veſtris confidentes neminem putatis vos aggredi poſſe. 5. En! ego efficiam, ut ab omnibus partibus terreamini et diſpellamini quo quemque ſors ſua feret, nemine vagantes colligente. 6. Deinde tamen aliquando reſtaurabo Ammonitas, inquit Jova. — — —

SECTIO XXXVIII. CAPUT XLIX, 7 — 22

7. De Edomitis. Sic dicit Jova omnipotens: Num nulla amplius Temane eſt ſapientia? num periit pru-

dentum conſilium? et ſublata eſt eorum prudentia? 8. Fugite, terga vertite, quaerite loca profunda, in quibus latitare poteſtis, o Dedanenſes. Adducam in Eſavitas calamitatem, tempus quo poenam de eis ſumam. 9. Si vindemiatores ad vos veniſſent, nonne reliquiſſent racemos? Si fures nocturni, diripuiſſent quantum eis ſufficeret. — — 10. Ego vero denudabo Eſavitas, retegam quae abſconderunt, ita ut nihil poſſint occultare. Perdam eorum progeniem, cognatos et vicinos eorum, ut nullus eorum ſuperſit. 11. Committite curae meae pupillos veſtros, ſi quos *habetis*, et viduas, ego vos ſervabo, mihi confidant a). — — 12. Sic enim dicit Jova: Illi quibus

a) Ironice haec dicta puto, non futuros eſſe Moabitis pupillos aut viduas, quas providentiae divinae commendare poſſint. Atque hic ſenſus idem fere eſt cum eo, quem *Grotius* et noviſſime quoque *Struenſee* ex verſione graeca faciunt, quae tamen וְאַיִנֶּנּוּ in quo deſinit verſus decimus, ad ſequentem verſum traxiſſe videtur: ὅτι οὐκ ἔστιν ὑπολείπεσθαι ὀρφανόν σου. Quanquam fateor ſenſum tunc faciliorem eſſe, tamen dubito, an hebraice ſic dici potuiſſet; majori certe verborum mutatione opus eſt, quam ſimplici collocatione τοῦ ואיננו in initio verſus undecimi, cujus vero in reliquis interpretibus nullum indicium deprehenditur. Chaldaeus hunc verſum per Apoſtrophen dictum eſſe putavit ad populum Iſraeliticum, cujus pupillos et viduas Deus ſervare promittat. Sed contextus non favet huic explicationi.

bus aequum videri poterat, ſi parcerem, *b*) tamen calicem *irae meae* bibere debuerunt, et vos tales qui eſtis, immunes eritis? minime vero eritis immunes, ſed et vos bibetis. 13. Per me juro, inquit Jova, vaſtata, deſtructa, everſa, execrabilis erit Bozra, et omnes omnino urbes in perpetuum deſolabuntur. — 14. Jova mihi indicavit, mitti ad gentes legatos, qui eas ad bellum conjunctis viribus contra Edomitas ſuſcipiendum excitent *c*) — — 15. En ego te omnium gentium minimam efficiam, omnium eris contemtiſſima. 16. Quod adeo terribilis es, id facit ut temere ſuperbias *d*). Tu quae habitas in petris, quae tibi aſylum praebent, et colles praealtos tenes. Si vel tam alte quam aquila nidificares, tamen inde te dejiciam, inquit Jova. 17. Adeo vaſtabitur Edom,

b) h. e. Judaei, qui comparate cum Edomitis innocentes videri poterant, poenarum non immunes fuerunt: etc.

c) Eadem fere leguntur Obadj, verſ. 1.

d) Forma nominis תִּפְלֶצֶת h. l. tantum obvia a פלץ *horruit, terruit, terribilitatem*, ut hac voce utar, notat, quam putem intelligi poſſe de aſpectu montium Edomiticorum terribili, ad quos hoſtem penetrare non poſſe Edomitae ſibi perſuadebant, quod propheta in ſeqq. clare dicit. -- -- חגוי סלע *Schultenſius* ad Eſ. XIX, 17. explicat per *aſyla petrarum* a حجا *confugere*. Alii a חוג ſ. חגג *torquere, flectere, per tractus ſinuoſos petrarum.* Quae originatio formae nominis non ſatis convenire videtur, quae verbum tertiae Aleph aut Jod quieſcentis prodit.

ut qui eo iter faciat, attonitus fere reddatur, et rideat tantas ejus plagas. 18. Evertetur ut Sodoma, Gomorrha et vicinae urbes, inquit Jova. Nemo ibi nec habitabit, nec peregrinabitur. 19. En! aſcendit ut leo e ripis Jordani *e*) ad ſedes *iſtas* perennes. Efficiam ut fulminis inſtar accurrat e locis ſuis elatioribus. Novi jam quem huic rei gerendae praeficiam. Quis enim eſt mei ſimilis? quis propterea litem mihi movebit? ubinam eſt ille rex qui mihi poſſit reſiſtere? 20. Propterea audite quod Jova de Edomitis conſilium cepit et quod de Temanis incolis decretum ſtatuit: Non verax habear, ni debiles illi *f*) eos diripiant, ni deſolent eos eorumque habitationes. 21. Tantus erit ille caſus ut terra concutiatur. Clamor orietur, qui usque ad mare algoſum pertingat. 22. En! inſtar aquilae velociter advolat alasque ſuas ſuper Bozram expandet. Tum vel fortiſſimi Edomitarum pavebunt ut mulier parturiens.

SECTIO XXXIX. CAPUT XLIX, 23—28

23. De Damaſco. Conſternata erit Chamat et Arpad. Audito triſti nuntio animum omnem abjicient, inſulares tantopere angentur, ut quieſcere nullo modo poſ-

e) Cf. dicta ad Cap. XII, 5.

f) Debiles hi atque imbecilles ſunt Judaei, cf. Ezech. XXV, 14.

poſſint. 24. Damaſceni reſiſtere non audebunt, omnes ad fugam ſe convertent, ſummo terrore correpti, dolores ſentient inſtar mulieris puerperae. 25. Heu! quam non deſerta eſt urbs adeo celebris et feſtiva! 26. Cadent enim milites ejus in plateis, viri bellatores peribunt eo tempore, inquit Jova omnipotens. 27. Ignem incendam Damaſci, qui abſumet palatia Benhadadi.

SECTIO XL. CAPUT XLIX, 28—34

28. De Kedarenis et regnis Chazoris a Nebucadnezare Babylonis rege deſtruendis haec dixit Jova: Agite, aggredimini Kedarenſes, vaſtate Orientales. 29. Tentoria eorum et greges capiantur, tabernacula eorum cum omni ſupellectile et camelis auferantur, undique contra eos terribilem clamorem tollant. 30. Fugite, migrate, abdite vos in locis profundis, cives Chazoris, inquit Jova, nam Nebucadnezar Babylonis rex contra vos cepit conſilium, et molitur vobis perniciosa. — 31. Agite! aggredimini gentem tranquille et ſecure habitantem, inquit Jova; quae nec portis, nec repagulis utitur, ſed ſeorſim habitat. 32. Sint eorum cameli praedae, greges numeroſi diripiantur. Diſpergam iſtos in coma tonſos, g) inquit Jova, per omnes coeli plagas, atque ex omnibus terrae ſuae partibus calamitatem

g) Conf. Cap. IX, 25.

in eos adducam. 33. Sic erit Chazor draconum habitatio, in perpetuum vaſtata, in qua nemo habitet, nemo peregrinetur.

SECTIO XLI. CAPUT XLIX, 34 — 39

34. De Elamitis Deus Jeremiae initio regni Sedekiae, regis Judae, haec dicit: 35. En ego frangam, inquit Jova omnipotens, arcum Elamitarum, quo inprimis valent. 36. Excitabo contra eos quatuor ventos ex quatuor coeli plagis, quibus eos per omnes ejus terminos diſpergam, ita ut nulla natio ſit futura, ad quam non expulſi Elamitae veniant. 37. Terrorem Elamitis injiciam ante hoſtes perniciem eorum molientes, malum contra eos adducam pro irae meae fervore, inquit Jova, gladio eos ad internecionem usque perſequar. 38. Severum admodum in Elamitas judicium exercebo ſublatis eorum rege et principibus. 39. Tandem tamen aliquando eis priſtinam felicitatem reſtituam, inquit Jova.

SECTIO XLII. CAPUT L — LII

1. Vaticinia, quae Jeremias propheta ex revelatione divina accepit de Babylone et terra Chaldaeorum *a*). 2. Annunciate gentibus, ſublato ſigno proclamate, nihil

a) Cum hoc contra Babylonem vaticinio conferenda ſunt Jeſaiae Capp. XLV. XLVI. XLVII.

nihil celate, dicite: Capta eſt Babylon, pudefactus Bel, fractus Merodach, turpificata ſimulacra, contritae ingentes iſtae idolorum moles. 3. Aggredietur eam gens e ſeptentrione, quae terram ejus ita vaſtabit, ut nullus incola in ea ſuperſit. Homines et animalia aufugient. 4. Illo vero tempore, inquit Jova, Iſraëlitae conjunctim cum Judaeis inter lacrimas requirent Jovam Deum ſuum. 5. Sionem deſiderabunt, verſus eam facies erunt directae, Jovae iterum jungentur foedere nunquam abolendo. 6. Populus meus ſimilis fuit ovibus perditis, quas paſtores per montes aſperos oberrare ſiverunt. A montibus ad colles ſe converterunt, caulae ſuae oblitae. *b*) 7. *Hinc factum eſt* ut eas comederet, quicunque in eas incidiſſet. Negabant earum hoſtes ſe crimen committere, propterea quod a Jova aberraſſent, qui eis inſtar caulae ſecuritatem praeſtitiſſet, in quo etiam majores eorum ſemper ſpem ſuam poſuiſſent. — — 8. Fugite e Babylone, egredimini e Chaldaeorum terra, eſtote ut capri gregis veſtri duces. 9. En ego excitabo e Septentrione contra Babylonem exercitum populorum magnorum, qui eam oppugnabit et capiet. Sagittis valent, ut fortiſſimi heroes, non diſcedent re infecta. 10. Tunc Chaldaeorum terra di-

 ripie-

b) Innuitur idololatria, quae praecipue in montibus et locis excelſis peragebatur. Hinc obliviſcebantur Judaei caulae ſ. cubilis ſui, h. e. Jovae et cultus ejus veri.

ripietur, et ſatiabuntur ejus praedatores, inquit Jova. — — 11. Nam laetati eſtis, immo exultaſtis, vos meae terrae praedatores! ferociiſtis inſtar vitulae triturantis, hinniſtis ſicuti equi. 12. Summo pudore affecta eſt mater veſtra c), confuſa eſt veſtra genitrix. Hic eſt finis gentium, terra earum deſerta eſt, ſiticuloſa, vaſtata. 13. Per Jovae indignationem Babylon non amplius habitabitur, erit deſolata adeo ut qui eam praeterierit, obſtupeſcat, et ſibilo tantas ejus calamitates adſpiciat. — — 14. Aciem inſtruite contra Babylonem circumquaque, ſagittarii jaculamini in eam, ne parcatis ſagittis: peccavit enim contra Jovam. 15. Canite claſſicum undique, faciet deditionem, moenia ejus funditus ſunt deſtruenda, Jovam ulciſcimini in ea, par pari referte. 16. Exſtirpate e Babylone ſatores et meſſores. Propter gladii ſaevitiem quisque ſe ad ſuam nationem recipiet, quisque in patriam ſuam fugiet. 17. Iſraël ſimilis fuit gregi a leonibus diſperſo. Primus caedit eum rex Aſſyriae, tandem eum exoſſavit iſte Nebucadnezar rex Babylonis. 18. Propterea haec dicit Jova omnipotens Iſraëlitarum Deus. En! ego animadvertam in regem Babylonis et in terram ejus, quemadmodum animadverti in regem Aſſyriae. 19. Reducam Iſraëlitas ad caulam ſuam, paſcent in Carmelo et Baſane et in montibus Ephraimi et Gileaditidis ſatiabuntur.

20. Quodſi

c) Babylon Metropolis.

20. Quodſi eo tempore, inquit Jova, de Iſraëlitarum culpa quaeretur, ea non amplius extabit, et Judaeorum peccata erunt nulla, condonabo enim eis, quos ſuperſtites eſſe volui. — — 21. Aggredere *d*) regionem iſtam rebellem et incolas ejus puniendos. Perde et deſtrue omnia, inquit Jova, exequere quae tibi mandavi. 22. Belli ſtrepitus, ingens calamitas in terra iſta auditur; 23. o quam detruncatus eſt et fractus totius terrarum orbis malleus! quam vaſtata eſt Babylon illa gentium princeps! 24. Laqueos tibi tetendi et capta etiam es, Babylon, praeter omnem ſpem tuam, deprehenſa es, quod mecum contendere auſa es. — — 25. Aperuit Jova armamentarium ſuum et depromſit ex eo irae ſuae arma. Totum enim hoc, quod fit cum terra Chaldaeorum, opus eſt domini Jovae omnipotentis. 26. Invadite eam undique. Aperite ejus horrea et congerite omnia in acervum, perdite eam nihil relinquentes. 27. Trucidate boves ejus ad mactationem deductos. Vae eis! adeſt tempus ſupplicii. 28. Audiuntur voces profugorum e terra Babylonica, qui Sionitis annunciant ultionem Jovae Dei noſtri, ultionem templi ſui. — 29. Convocate contra Babylonem multos ſagittarios; cingite eam undique * ita ut nemo poſſit evadere. Rependite ei ejus facinora, agite cum ea prorſus eadem ratione, qua ipſa uſa eſt: inſolenter ſe geſſit adverſus

d) Apoſtrophe ad Cyrum regem.

verſus Jovam, adverſus numen Iſraëlitarum. 30. Ita cadent milites ejus in plateis, et bellatores omnes tunc conficientur. 31. En te volo, o ſuperba! inquit dominus Jova omnipotens, venit dies tuus, tempus quo ſupplicium de te ſumam. 32. Sic impinget iſta ſuperba et cadet nunquam erigenda, urbes ejus igne incendam, qui et finitima omnia abſumet. — — 33. Haec dicit Jova omnipotens: Iſraëlitae quidem et Judaei oppreſſi ſunt, et qui eos captivos abegerunt, eos retinent et dimittere recuſant: 34. Sed vindex eorum fortis, cujus nomen eſt Jovae omnipotentis, cauſam eorum aget, ita ut terram *eorum* quietam reddat, incolas vero Babylonis conturbet. 35. Gladius, inquit Jova, imminet Chaldaeis, Babylonis incolis, principibus et ſapientibus ejus. 36. Gladius *imminet* iſtis *hariolis* mendacibus, quorum ſtultitia agnoſcetur, et militibus eorum fortiſſimis, qui conſternabuntur. 37. Gladius *imminet* equis et curribus eorum et copiis auxiliaribus undecunque collectis, quae ut foeminae erunt imbecilles; gladius imminet eorum theſauris diripiendis. 38. Flumen ejus exareſcet. — — Eſt enim terra tota idololatrica atque idolis ſuis inſane gloriantur. 39. Igitur degent ibi feles agreſtes cum thoibus, et ſtruthiones ibi agent. Nunquam amplius habitabitur, nec per omnes aetates incoletur. 40. Ut Sodomam et Gomorrham everti, inquit Jova, ſic eam et vicina ejus evertam.

Nemo

Nemo eam habitabit, nec ullus mortalium ibi morabitur. — 41. En! populus venit ex ſeptentrione, populus magnus multique reges e terra perquam remota egredientur. 42. Arcu et haſta ſunt inſtructi, crudeles ſunt, non miſerentur, ſtrepitum excitant inſtar maris, equis vehuntur, acie inſtructa ut fortes bellatores procedunt adverſus te, o Babylon! 43. Quo audito rex Babylonis animum abjicit, dolore ſummo corripitur inſtar parturientis. 44. En! aſcendit ut leo *e*) ex ripis Jordani ad ſedes *iſtas* perennes. Efficiam ut fulminis inſtar accurrant e locis ſuis elatioribus. Novi jam quem huic rei gerendae praeficiam. Quis enim eſt mei ſimilis? quis propterea litem mihi movebit? ubi eſt rex qui mihi poſſit reſiſtere? 45. Propterea audite, quod Jova de Babylone conſilium cepit, et quod decretum de Chaldaeorum terra ſtatuit. Non verax habear, ni debiles illi eos diripiant, ni deſolent eos eorumque habitationes. 46. Ad famam, captam eſſe Babylonem, terra concutietur, omnesque nationes clamabunt. — CAPUT LI, 1. Sic dicit Jova: En ego excito contra Babylonem et contra incolas *ejus* mihi reſiſtentes, ventum perdentem. 2. Peregrinos mittam contra Babylonem, qui eam perdent et terram exhaurient, undique in eam irruentes tempore calamitoſo. 3. *Aggrediantur* ſagittarium arcum tendentem *, eum qui

e) Cf. Cap. XLIX, 19. 20. 21.

qui ſe jactat in lorica ſua. Ne parcatis militibus ejus, delete omnem exercitum. 4. Sic cadent occiſi in terra Chaldaeorum et confoſſi in eorum vicis. 5. Iſraëlitae enim et Judaei non prorſus derelicti ſunt a Deo ſuo, a Jova omnipotente, quanquam eorum terra ſceleribus adverſus numen Iſraëlitarum commiſſis plena eſt. 6. Fugite e Babylone, quisque ſaluti ſuae proſpiciat, ne et vos eodem judicio auferamini. Tempus enim adeſt, quo Jova vindictam ſumet eique rependet quod commeruit. — — 7. Calix aureus fuit Babylon in manu Jovae, inebrians totum terrarum orbem; de vino ejus biberunt gentes et inſanierunt. 8. Subito cadit *calix ille aureus e manu Jovae*, Babylon, et frangitur: plorate eam, adhibete reſinam ad dolorem ejus mitigandum, fortaſſe poterit ſanari. — — 9. Tentavimus ſanare Babylonem, ſed fruſtra. Relinquite eam, redeamus in patriam noſtram, nam crimina ejus ad coelum usque pertigerunt *a*), usque ad aethera ſunt ſublata. 10. Probavit Jova juſtam eſſe cauſam noſtram. Agite celebremus Sione quae Jova Deus noſter fecit. — — 11. Po-

a) Ratio redditur cur clades Babylonis ſit incurabilis. Nempe crimina ejus. Sic מִשְׁפָּט alias quoque in ſenſu deteriori dicitur, Ezech. VII, 23. Nam phraſis, *ad coelum pertigit*, non permittit verba de poena judiciali accipi.

Digitized by Google

11. Polite ſagittas, conſtipate ſcuta *b*), excitavit Jova Medorum reges; quoniam perdere decrevit Babylonem. Ulciſcetur ſe ipſe Jova, ulciſcetur templum ſuum. 12. In muris Babylonis erigite vexillum, firmate excubias, ſtatuite cuſtodes, inſtruite inſidias; tamen efficiet Jova quod decrevit, quod minatus eſt Babylonis incolis. 13. O tu quae habitas ad aquas multas, quae divitiis abundas, venit finis tuus, menſura avaritiae tuae. 14. Jurat Jova omnipotens per ſemet ipſum, ſe velle te ingenti, qualis locuſtarum eſſe ſolet, numero hominum replere, qui contra te clamorem tollent hoſtilem. 15. *Ille Jova*, qui potentia ſua terram produxit, ſapientia ſua omnia in ea diſpoſuit, atque intelligentia ſua coelum extendit. 16. Eo intonante ingens aquarum copia adeſt. Attollit undique nebulas e terra, fulgura cum pluvia fecit, ventumque ex cellis ſuis educit. 17. Deſipit, quicunque hac *veri Dei* cognitione deſtituitur. Vehementer fallitur qui idola fingit, nam nihil ſunt iſta fuſilia, vita deſtituuntur. 18. Vana ſunt, ridenda, peribunt quando poena de iſtis *idololatris* ſumetur. 19. At enim vero talis non eſt, quem Jacobitae colunt.

b) Alloquitur Babylonios et dicit omnes eorum conatus ad repellendos hoſtes futuros eſſe irritos. — מלא h. l. ex primaria ſignificatione *farcire*, *conſtipare*. Conſtipare ſolebant milites ſcuta, ut ſic eo melius tecti in hoſtes poſſent irruere.

ſunt. Is eſt creator totius hujus univerſi, Iſraëlitarum rex eſt, Jova omnipotens. — — 20. Te quidem utar ad frangenda *c*) arma bellica, immo frangam per te gentes, per te perdam regna. 21. Tu mihi contundes equos et equites, currus et vectores. 22. Viros et foeminas, ſenes et juvenes, adoleſcentes et virgines, 23. paſtores cum gregibus ſuis, agricolam cum jumento ſuo, duces et principes. 24. Nimirum rependam vobis ſpectantibus Babyloni omnibusque Chaldaeae incolis mala iſta omnia, quae intulerunt Sioni, inquit Jova. 25. Heu mons perniciofe, totum terrarum orbem evertens, ſcito: me Jovam manu mea te eſſe devoluturum ex iſtis petris *tuis*, et flammis conſumturum. 26. Ita ut non poſſit ex te ſumi lapis ad angulum, aut ad fundamenta, ſed perpetua eris vaſtitas, inquit Jova. — — 27. Erigite ubique vexilla, tuba canite inter gentes, easque contra Babylonem inſtruite. Evocate contra eam regna, utramque Armeniam et Phrygiam, praeficite eis duces, adducite equitatum *innumerum*, ut locuſtae horripilantes. 28. Seligite contra eam gentes, nimirum Medorum reges eorumque duces et antiſtites, et omnes terras ditioni ejus *Cyri* ſubjectas. 29. Tum terra com-

c) Vulgo quidem מַפֵּץ *malleus* vertitur, ſed male, uti arbitror propter ſequentia כְּלֵי־מִלְחָמָה. Eſt participium in Hiphil. — Intelligitur vero Cyrus, quo Deus ut inſtrumento utebatur.

commovebitur et contremiſcet, quando Jova decretum ſuum exequetur et Babylonem in vaſtitatem rediget non habitatam. 30. Deſinent Babylonii milites pugnare ſedentes in munitionibus. Fracta *d*) eorum virtute imbelles erunt ut foeminae, *hinc* incendentur aedes *urbis*, effractis ejus repagulis. 31. Currens currenti occurret, nuntius nuntio, ad annuntiandum regi Babylonis, captam eſſe urbem. 32. Vada eſſe capta, ſtagnorum *arundinibus* igne combuſtis, milites eſſe perterritos. — — 33. Jova omnipotens Deus Iſraëlitarum hoc aſſeverat: *e*) Babylon ſimilis eſt areae, in qua triturabitur, proxime abeſt tempus meſſis illius. 34. Devoravit me et conſumſit Nebucadnezar rex Babylonis, dicit Sion, evacuavit me ut vas, deglutivit me ut draco, ventrem ſuum meis deliciis replevit, *tandemque* abegit *in exilium*. 35. Vim mihi illatam

d) Verbum נָשְׁתָה vulgo refertur ad נשׁת de quo dictum eſt ad Jeſ. XIX, 5. Sed cum illius ſignificatio h. l. non ſatis apta videatur, malim derivare a נָשָׁה quod in L. Arab. نسي eſt *percuſſit*, *laxavit*, in ſpecie nervum femoris. Pro quo in verſione aliud verbum tropicum latinae linguae uſitatius ſubſtitui.

e) Inde ab hoc verſu usque ad v. 58. non amplius ſermo eſt de prima illa expugnatione Babylonis, quae facta eſt per Cyrum, ſed de durioribus et triſtioribus fatis hujus urbis ſub ejus ſucceſſoribus Dario Hyſtaſpis et Xerxe.

latam luat Babylon, inquit Hieroſolyma, et caedes in me commiſſas, Chaldaei. 36. Ad haec ſic Jova reſpondet: Ego cauſam tuam agam, te ulciſcar, exſiccabo mare ejus, areſaciam ejus fontem. 37. Redigetur Babylon in acervos, in draconum habitationem, in execrandam vaſtitatem non habitandam. 38. Rugient ut leones *f)*, rudent ut leonum catuli. 39. Convivium eis inſtruam de potu venenato, inebriabo eos, ut tripudient et ſopiantur ſomno aeterno, de quo non expergeſient, inquit Jova. 40. Deducam eos ut agnos ad mactationem, ut arietes et hircos. 41. Itane capta eſt Seſach *g)* et expugnata, quae in toto terrarum orbe celebrabatur? ita in vaſtitatem redacta eſt Babylon inter omnes gentes laudata? 42. Mare eam inundabit, cujus fluctuum multitudine tota obruetur. 43. Urbes ejus vaſtabuntur, *h)* terra ipſa ſterilis erit et inculta, a nemine habitata, quo nemo iter faciat. 44. Animadvertam etiam in Belum Babylonium, atque eripiam faucibus ejus quod deglutivit, nec amplius

f) Poſſunt haec intelligi de ferocia et jactantia Babyloniorum adverſus Darium Hyſtaſpis, cujus triſte conſequens exponitur verſu ſequenti. Tria millia incolarum nobiliorum Darius patibulis affixit, teſte *Herodoto* Lib. III. Cap. 159.

g) Cf. de hoc nomine dicta ad Cap. XXV, 26.

h) Urbes Babylonis ſunt variae ejus partes, tanquam totidem urbes diſtinctae. Poſterius ארץ οἱ ό et Syrus non habent. Sane πλεονάζει.

plius gentes ad eam confluent. Murus quoque Babylonis dejicietur. 45. Emigrate ex ea, o mei! Quisque saluti ſuae proſpiciat, propter irae meae fervorem. 46. Nolite animum abjicere, aut nimis vobis timere fama per terram innoteſcente et per complures annos continuanda, de *bellorum* violentia et principum in principes *commotionibus*. 47. Profecto, animadvertam aliquando in idola Babylonis cum magna terrae illius confuſione, et omnia ejus impura *ſimulacra* dejicientur *k*). 48. Tum quando a Septentrione in Babylonem deſtructor veniet, laetabuntur coelum et terra et quae in eis ſunt, inquit Jova. 49. Sicuti Babylon multos de Iſraëlitis confodit: ita et ejus incolae in ſua terra confodientur. 50. O, vos qui gladio evaſiſtis, migrate hinc non haeſitantes. Recordamini in ipſo itinere Jovae. Hieroſolyma vobis perpetuo ob oculos verſetur. 51. Puduit nos, *dicite*, quando convicia *Chaldaeorum* audiebamus. Ru-

i) Haec quoque ſatis apte poſſunt ad tempora Darii Hyſtaſpis referri, ſub quo Judaei libertatem conſecuti fuerunt plenariam, reſtituendi ſuam rempublicam. Sed multi videntur adhuc Babylone haeſiſſe. Quos propheta in his verbis excitat, ut antequam Babylon denuo caperetur, eam deſerant patriamque ſuam repetant, in qua tuti et ſecuri illos audire poſſent rumores de bellis et ſeditionibus, quae in illis regionibus futurae eſſent.

k) Quod a Xerxe inprimis impletum eſt, qui templum Beli et caetera Babyloniorum fana evertit.

bore ſuffuſi fuimus, quando peregrini templi Jovani ſanctuarium ingrediebantur. 52. Propterea inquit Jova, ego aliquando animadvertam in Babylonis idola, et confoſſorum ſingultus in tota terra audientur. 53. Etiamſi ad coelum usque Babylon aſcenderet et in locis altiſſimis ſeſe muniret, tamen immittam ei, inquit Jova, qui eam deſtruant. 54. Clamores e Babylone audientur, ingens calamitas e Chaldaeorum terra *annunciabitur*. 55. Perdam enim eam et deſtruam. Ingens clamor ex ea audietur, agitabitur ut fluctus magnarum aquarum, maximus clamorum fragor in ea excitabitur. 56. Aggredietur eam vaſtator, capientur milites ejus fortiſſimi fractis eorum arcubus: Ego enim Jova Deus ultor abunde rependam. 57. Inebriabo principes ejus, ſapientes, duces, antiſtites, heroas. Dormient ſomnum aeternum, non evigilabunt, inquit rex Jova omnipotens. 58. Idem ille dicit: Muri Babylonis latiſſimi ſolo adaequabuntur, portae ejus altiſſimae igne comburentur. Sic ea in quibus gentes et nationes tot labores inſumſerunt, in nihilum per ignem recident. — — 59. Cum Seraja, Nerijae filius, Machſejae nepos, cum Sedekia Judaeae rege anno quarto illius regni Babylonem proficiſceretur, (fuit autem ille Seraja ſupremus cubicularius,) 60. Jeremias propheta, qui mala iſta omnia Babyloni aliquando eventura in libro ſcripſerat, 61. ei mandavit, ut quando eo veniſſet, iſta omnia accurate prae-

lege-

legeret *Judaeis captivis*, 62. tandemque has preces adderet: Tu quidem, o Jova, minatus es hunc locum ita evertere, ut nemo eum inhabitet, nec homines, nec animalia in eo reſtent, perpetuam eum vaſtitatem eſſe futurum: *Tu quoque illud praeſtabis.* 63. Deinde, quando hujus libri praelectionem abſolviſti, debes ei lapidem alligare et abjicere in Euphratem, 64. ita dicens: Sic demerſa Babylon, nunquam emerſura ex iſta calamitate quam ei adducam, rotabit *. Explicit hiſtoria Jeremiae.

SECTIO XLIII. CAPUT LII. a)

1. Annum primum et viceſimum aetatis ſuae egit Sedekias, cum regnum capeſſeret. Regnavit vero annos undecim Hieroſolymae. Mater ejus vocabatur Chamital, quae filia fuit Jeremiae Libnenſis. 2. Offendit vero Sedekias Jovam prorſus eodem modo quo

a) Hoc caput non eſſe a Jeremia, jam a *Grotio* aliisque viris doctis obſervatum eſt, atque ex ipſo capitis argumento plane poteſt probari. Etenim primo non probabile eſt Jeremiam repetiiſſe hiſtoriam, quam ſupra ſuo loco Capp. XXXIX. XL. ſcripſerat. Deinde continuatur haec hiſtoria usque ad regnum Evilmerodachi, et narrantur fata Jechoniae, quae ſunt poſteriora temporibus Jeremiae. Utrum vero auctor librorum Regum hoc caput addiderit, quod *Venema* ex magna ejus convenientia cum 2 Reg. XXIV, 18 — Cap. XXV. colligit, an primores captivitatis Babylonicae (*αἰχμαλωτάρχαι*) ut introductio eſſet ad Threnos Jeremiae, quae *Grotii* conjectura eſt, equidem definire non audeo.

Jojakimus. 3. Hinc graviter iraſcebatur Jova Hiero-
ſolymae et Judaeae, ita ut tandem eos gratia ſua pror-
ſus indignos judicaret. Cum igitur Sedekias contra
regem Babylonis rebellaſſet, 4. anno nono regni
ejus, decima die menſis decimi Nebucadnezar rex Ba-
bylonis aggreſſus eſt Hieroſolymam cum exercitu ſuo,
caſtrisque ad eam poſitis, arietes moenibus undique
admovere coepit. 5. Sic urbs oppugnata eſt usque
ad annum undecimum regis Sedekiae. 6. Tandem
die nono menſis quarti, cum jam fames in urbe ingra-
veſceret, nec victus ſuppeteret neceſſarius incolis:
7. urbs perrupta eſt. Tum omnes milites fugerunt
verſus planitiem Hierichuntis, nocta urbe egreſſi per
portam, quae fuit inter duos muros, juxta hortum
regium. Chaldaei vero urbem undique obſidentes,
8. regemque Sedekiam perſecuti et in campis Hieri-
chuntis aſſecuti, diſperſis qui cum eo erant militibus,
9. eum deduxerunt Riblatham in terra Chamat ad re-
gem Babylonis, qui hanc ſententiam in eum pronun-
ciavit: 10. Liberos ejus, nec non omnes Judaeorum
principes eo ſpectante Riblathae trucidari, 11. Ipſum
vero Sedekiam excoecari et duabus catenis vinctum
Babylonem abduci et ad perpetuos carceres tradi.
12. Decimo autem menſis quinti die anno undeviceſi-
mo Nebucadnezaris regis Babylonis venit miniſter
ejus Nebuſaradan idemque ſatellitum princeps Hiero-
ſolymam, 13. atque templum Jovae, arcem regiam
aedesque Hieroſolymitanas maximas quasque igne
com-

combuſſit. 14. Murum item urbis milites Chaldaei, qui cum illo ſatellitum principe erant, deſtruxerunt. 15. Tenues autem de plebe, (nam alios urbis incolas itemque transfugas, nec non alios dedititios abduxit Nebuſaradan ſatellitum princeps,) 16. tenues, *inquam*, quosdam de plebe homines reliquit, qui vineas et agros colerent. 17. Columnas aeneas, baſes et lacum aeneum, quae in aede Jovae erant, fregerunt Chaldaei, et aes eorum omne Babylonem detulerunt; 18. ollas, palas, cultros, crateres, acerras et omnia omnino vaſa aenea, quorum uſus erat *in cultu ſacro*, abſtulerunt. 19. Itemque pelves, thuribula, crateres, ollas, candelabra, acerras et pateras, omnia vaſa vel aenea vel argentea abſtulit magiſter equitum. 20. Duas columnas, lacum unum, duodecim boves aeneos, qui ſub lacu erant *, et baſes, quas rex Salomo ad uſum templi fecerat; quorum vaſorum omnium immenſum erat aeris pondus. 21. Quod vero attinet ad iſtas columnas, octodecim cubitorum erat cujusque altitudo, et funiculus duodecim cubitorum eam circuibat quatuor digitos craſſus, ipſa vero columna cava erat. 22. Capitulum aeneum quinque cubitos altum erat ſuper iis, et opus reticulatum et mala punica ſuper capitula eas circuibat, omnia ex aere confecta. Ejusdem ſtructurae fuit quoque altera columna cum malogranatis. 23. Malorum autem punicorum erant nonaginta ſex, quae conſpici poterant, omnium enim in tota peripheria *columnae* erant cen-

tum ſuper opere reticulato. — — 24. Serajam vero ſacerdotem primarium, et Zephanjam ſecundi ordinis ſacerdotem, tres praefectos templo, 25. aulicum quendam exercitus praefectum, ſeptem regios miniſtros, tribunum militarem, qui delectui faciundo praeerat, et ſexaginta de plebe homines in urbe comprehenſos: 26. Hos omnes Nebuſaradan ſatellitum princeps abduxit ad regem Babylonis Riblatam, 27. qui eos ibidem juſſit trucidari. 28. Judaeorum vero e terra ſua abductorum hic fuit numerus: Anno ſeptimo Nebucadnezaris abducti ſunt tria millia tres et viginti. 29. Anno duodeviceſimo ex Hieroſolyma deportati ſunt octingenti triginta duo. 30. Anno tertio et viceſimo Nebuſaradan ſatellitum princeps abduxit ſeptingentos quinque et ſeptuaginta: quorum omnium numerus eſt quatuor millium et ſexcentorum. — — 31. Anno ſeptimo et trigeſimo captivitatis Jechoniae regis Judae, die quinto et viceſimo menſis duodecimi, Evilmerodach rex Babylonis, eodem anno quo regnum adiit, Jechoniam regem Judae e carcere educi juſſit. 32. Et benigne eum allocutus ſedem ei aſſignavit inter reliquos reges, qui Babylone erant, ſuperiorem. 33. Veſtes ejus, quibus in carcere indutus fuit, cum aliis commutavit, et convictorem eum habuit, quamdiu ipſe vixit. 34. *Poſtea vero* victus ei quotidianus deſtinatus eſt a rege Babylonis usque ad diem ejus emortualem.

THRE-

THRENI JEREMIAE a)

Cc 5 CAPUT

a) In duas partes abeunt interpretes circa quaeſtionem, qua occaſione Jeremias hunc leſſum compoſuerit. Alii putant divinum vatem deplorare funeſtiſſimam illam calamitatem, qua piiſſimus rex Joſias in proelio contra Aegyptios vitam amiſit, quod ab eo carmine quodam factum eſſe hiſtoria ſacra narrat 2 Chron. XXXV, 25. Alii vero negant hunc librum eſſe illum leſſum in memoriam optimi regis ſcriptum, ſed prophetam lugere vaſtationem urbi a Nebucadnezare illatam. Priorem ſententiam defenderunt ex antiquis *Joſephus* et *Hieronymus*, ex recentioribus *Junius* et *Tremellius*, *Tarnovius*, *Calovius*, quibus et nuper acceſſit Illuſtris *Michaelis* in verſione germanica hujus libri. Poſteriorem plerique interpretes antiquiores et recentiores tuentur. — — Ego quidem priorem defendi ſententiam in prima hujus libri editione rationibus uſus ad eam probandam a viris doctis allatis, quae vero jam parum accuratae et ſufficientes mihi videntur. Nimirum arbitrabar prophetam commemorare quaedam de afflictione quam deplorat, quae non poſſint de ultima a Nebucadnezare illata explicari: Primo enim Cap. I, 1. loqui divinum vatem de urbe Hieroſolyma depopulata quidem et ab incolis ſuis deſerta, non vero vaſtata et combuſta, qualis erat poſt ultimam expugnationem a Chaldaeis. — Deinde Cap. V, 2. domus dici occupatas a peregrinis, quod non videbatur convenire tempori captae et combuſtae urbis a Chaldaeis. — Tandem

dem divinum vatem Cap. I, 9 ſeqq. Capp. IV. et V. vehementer conqueri de crudelitate, qua hoſtes in Judaeos in terra ſua adhuc ſuperſtites saevirent, vitae eorum inſidiarentur atque ad duriſſimam ſervitutem cogerent: quae non putabam conciliari poſſe cum illa clementia, cum illis pacis et ſecuritatis promiſſionibus, quas relictis in terra plebejis et tenuiſſimae conditionis hominibus datas eſſe legimus Jer. XL, 9. XLII, 10. ſeqq. — At enim vero poſſe iſta omnia conciliari deinceps intellexi obſervato temporis intervallo quod interceſſit inter urbis expugnationem et ejus deſtructionem. Narratur enim Jer. LII, 6. hoſtes in urbem irrupiſſe die nono menſis *quarti* eamque occupaſſe; menſe *quinto* autem ejusque die decimo veniſſe Nebuſaradanem ducem regis Babylonis Hieroſolymam et totam urbem deſtruxiſſe et vaſtaſſe verſ. 12 ſeqq. Intra illud igitur menſis integri et aliquot dierum temporis ſpatium figendae ſunt ſcenae iſtae triſtiſſimae, quas divinus vates in his elegiis pingit et deplorat, urbis depopulatae et ab incolis deſertae, aedium ab hoſtibus occupatarum, inſolentiae et crudelitatis victorum in victos, quorum omnium ſpectator fuit Jeremias per quatuor hebdomadas, quae largam ei materiam praebere potuerunt calamitatis popularium ſuorum lugendae. — His argumentis aliud accedit adeo evidens, ut ipſe indigner, me ejus vel oblitum vel negligentiorem fuiſſe. Si haec carmina in memoriam optimi regis Joſiae compoſita ſunt, cur virtutes ejus, pietas in Deum, merita in rempublicam non celebrantur? cur nulla mortis triſtiſſimae mentio injicitur? Si quoque concedatur poſſe locum Cap. IV, 20. de rege Joſia explicari, tamen hic unus locus non ſufficit ad hunc regem

CAPUT I. b)

1. Itane ſola ſupereſt urbs populoſa! viduae ſimilis fa-
cta eſt maxima gentium! princeps inter provincias fa-
cta eſt tributaria! 2. Tota nocte plorat, madent ge-
nae lacrimis, nullus amicorum eam conſolatur, ſocii
perfide in eam egerunt, facti ſunt ejus adverſarii.
3. Migrat Juda, vexata duraque ſervitute preſſa degit
inter gentes, nec quietem invenit, perſecutores ejus
eam aſſequuntur in locis anguſtis. 4. Viae Sioniticae
lugent, nemine ad dies feſtos veniente, portae ejus
deſolatae ſunt, ſacerdotes gemunt, virgines moerent,
ipſa vero *Sion* acerbe dolet. 5. Adverſarii ejus facti
ſunt ſuperiores, hoſtes ejus pace fruuntur, Jova eam
ob tot ejus peccata affligente, parvuli ejus abducti
ſunt captivi ab hoſtibus. 6. Omne Sionis decus periit,
principes ejus ut cervi pabulum non invenientes, im-
belles incedunt, hoſte eos perſequente. 7. Recorda-
tur Hieroſolyma in his afflictionibus et calamitatibus
graviſſimis rerum ſuarum exoptabilium, quae olim
erant.

gem tantis meritis inſignem, tam acerbe ab omnibus deploratum, tanquam objectum primarium horum carminum conſtituendum. Quae omnia lugent urbem vaſtatam, templum deſtructum Cap. V, 6 ſeqq. omnem rempublicam ſine ſpe reſtitutionis ſublatam.

b) Duae ſunt in hoc Capite perſonae loquentes. Altera eſt Jeremias verſ. 1 — 11. med. altera ipſa Hieroſolyma ſ. terra Judaica ſub ſchemate mulieris viduae verſ. 11 — fin.

erant. Poſtquam cecidit populus ejus hoſtili manu, nec fuit qui ei ſubveniret, ſpectant eam adverſarii, ridentque ejus interitum. 8. Graviſſime peccavit Hieroſolyma, propterea incertis ſedibus oberrat. Qui eam antea honorabant, jam vilipendunt, ſpectantes eam nudatam. Ipſa vero gemit et averſa ſedet. 9. Veſtes ejus immunditie erant conſperſae, c) nec tamen recogitavit, quem tandem finem eſſet habitura. Propterea etiam inſignem rerum ſuarum everſionem paſſa eſt. Non eſt qui eam conſoletur. Vide, *inquit*, o Jova, miſeriam meam, nimis inſolenter ſe gerit hoſtis. 10. Manum ſuam extendit adverſarius ad res ejus cariſſimas. Videt gentiles ſanctuarium ſuum ingreſſos, quos in civitatem tuam venire interdixeras. 11. Omnes gemebundi victum quaerunt, quae cariſſima habent pro cibo dare coguntur ad vitam ſuſtentandam. — — Vide, o Jova et aſpice, quam ſim ego contemta. 12. Nihilne vos movet? vos qui hac iter facitis, aſpicite et videte, num ſit dolor meo dolori ſimilis, quem mihi inflixit, quo me Jova affecit per irae ſuae fervorem. d) 13. E ſublimi demiſit ignem in

c) Senſus: Impietas ejus adeo manifeſta erat, ut ipſa facile potuiſſet praevidere, quem exitum habitura eſſet, niſi poenitentiam ageret, nec tamen etc.

d) Hujus irae divinae gravitatem ſacer poëta quatuor ſimilitudinibus deſcribit; primo comparat eam cum immiſſo igne, deinde cum captura in reti, tertio cum impoſitione

in oſſa mea, qui ea ſubigat. Expanſo reti pedibus meis me retro egit, me attonitam reddidit ſemperque languentem. 14. * * Experrecta ſunt contra me peccata mea et manibus ejus juga complicata collo meo ſunt impoſita. Vires meas proſtravit, tradidit me dominus eis quibus reſiſtere non poſſum. 15. Conculcavit dominus fortiſſimos quosque meorum. Indixit adverſus me ſolemnem conventum ad juvenes meos trucidandos. Torculari calcavit *e*) dominus virginem, puellam Judaeam. 16. Propterea ego ploro, oculis *f*) aqua manantibus, quoniam longe remotus eſt conſolator, qui animum meum recreet. Quos habui filios jam non ſunt, cum hoſtis praevaleat. 17. Expandit Sion manus ſuas nemine eam conſolante. Addixit Jova Jacobum undique hoſtibus ſuis, quibus Hieroſolyma

ne jugi, tandem cum calcatione in torculari. Sic ſolent poëtae orientales imagines admodum diverſas cumulare.

e) Torcular imago ſeveri Dei judicii, qua et Joel utitur Cap. IV, 13. et Jeſaias LXIII, 2 ſeqq.

f) Repetitio vocis עֵינִי interpretibus videtur emphatica. Sed nullus interpretum antiquiorum eam bis legit. Omnes vel ſingularem vel pluralem exprimunt. Hinc non inepta eſt *Habiganti* conjectura, quoniam hic verſus cum litera ע incipit, (nam ſinguli ſingulis Alphabeti literis incipiunt ex artificio poëtico ſatis noto,) ſuperſcriptum eſſe lineae nomen literae עין quod deinde cum hoc עין quod in textu legebatur ſit confuſum et bis poſitum.

lyma facta eſt deteſtabilis. 18. Juſtus eſt Jova, nam contra eum rebellavi. — — Audite quaeſo omnes gentes et videte dolorem meum. Virgines meae juvenesque mei captivi abierunt. 19. Clamo ad amicos meos, ſed illi me fefellerunt. Sacerdotes et ſenatores in urbe exſpirarunt, cum cibum ſibi quaererent, quo animam recrearent. 20. Aſpice, o Jova, nam graviter affligor, viſcera mihi dolent, cor meum converſum eſt. Immo vero admodum immorigeram me praebui. Foris orbat gladius, domi mors eſt. 21. Qui me gementem audiunt, non veniunt ut me conſolentur. Hoſtes de mea calamitate audientes laetantur, te ita concedente. Sed adduces diem diu jam praenunciatum, quo erunt mei ſimiles. 22. Veniant omnia eorum ſcelera in tuum conſpectum, ages cum illis quemadmodum mecum propter tot mea delicta egiſti, quae inter multos gemitus moereo.

CAPUT II.

1. Itane obnubilavit in ira ſua dominus Sionitas? de coelo dejecit in terram decus Iſraëlitarum? *a*) non recordatur ſcabelli pedum ſuorum *b*) iratus? 2. Perdidit dominus ſine ulla miſericordia habitacula Jacobitarum, diruit ſaevus munitiones Judaeorum, projecit in terram, profanavit regnum ejusque principes. 3. Fre-

a) Templum. Eſ. LXIV, 10.

b) Arca foederis, 1 Paral. XXVIII, 2. Pſ. XCIX, 5. CXXXII, 7.

3. Fregit in irae ſuae fervore robur Iſraëlitarum, non amplius eos defendit ab hoſte, ardet in Jacobitas, ut ignis vehementiſſimus undiquaque conſumens. 4. Arcum ſuum tetendit ut hoſtis, adhibet dextram ut adverſarius, occidit quae cariſſima habebant, effudit iram ſuam, ut ignem ardentem, in tentoria Sionitarum. 5. Dominus agit hoſtiliter, perdit Iſraëlem, deſtruit omnia ejus palatia, diruit munitiones, auget inter Judaeos moerorem et moeſtitiam. 6. Evellit ſicuti vitem c) tugurium ſuum, deſtruxit locum ſibi ſacrum, oblivioni dedit Sionitarum dies feſtivos et ſabbata, rejecit indignabundus regem et ſacerdotem. 7. Abominatur dominus altare ſuum, exſecratur ſuum ſanctuarium, tradidit hoſtibus muros palatii ſui, clamorem in templo Dei edentibus ut die ſolenni. 8. Decrevit Jova deſtruere murum Sionis, extendit menſuram, nec manum a perdendo remittit, moenia cum exteriora tum interiora collabuntur. 9. Portae ejus dejectae ſunt, ſublata et fracta repagula. Rex et principes inter gentes ſine lege vivunt, atque adeo prophetae deſtituuntur revelatione divina. 10. Humi ſedent

c) Secutus ſum lectionem τῶν ό qui pro כַּגַּן *ſicuti hortum*, legerunt כַּגֶּפֶן *ſicuti vitem*, vertunt enim: διεπέτασεν ὡς ἄμπελον τὸ σκήνωμα αὐτοῦ. Recepta lectio non niſi duram admittit explicationem, qualem ego ipſe in priori hujus libri editione dederam: Removit ſepem ſuam, uti ex horto *ſepimentum tolli ſolet.*

ſedent taciti ſenatores Sionis, pulvere in capite conſperſi, cilicio amicti. Capita ad terram demittunt virgines Hieroſolymitanae. 11. Tabeſcunt prae lacrimis oculi mei, viſcera mihi dolent, conficior triſtitia *d*), propter popularium meorum calamitatem, cum parvuli et lactentes in oppidi plateis exanimentur. 12. Matribus dicunt: ubi eſt panis aut vinum? quando in vicis oppidi exanimantur ut ſaucii, animamque in ſinus maternos exhalant. 13. Quid tibi dicam? cui te conferam, o Hieroſolyma! cui te, conſolando comparem, o Sion! tam late patet tua calamitas quam mare, quis te ſanabit? 14. Prophetae tui falſa tibi vaticinati ſunt et futilia. Non retexerunt culpae tuae velamen, ut averterent captivitatem tuam, ſed falſa ediderunt vaticinia tibique pernicioſa. 15. Manus de te complodunt peregrinantes, ſibilantes caput motitant de Hieroſolyma, haeccine, inquiunt, urbs eſt, quae omnium pulcherrima? quae totius terrarum orbis voluptas dicebatur? 16. Diducunt * de te os ſuum hoſtes, ſibilantes frendent dentibus. Delevimus *eam*, inquiunt, immo hic eſt dies, quem exſpectavimus, invenimus, vidimus. 17. Fecit Jova quod decrevit, implevit quod dixerat, quod olim jam edixerat, deſtruxit, non pepercit. Fecit ut laetetur de te hoſtis, ut gloriari poſſint adverſarii tui.

d) Hebraice eſt: *ad terram effuſum eſt jecur meum*, quae deſcriptio eſt ſummae triſtitiae, cf. Job. XVI, 13.

tui. — — 18. Clament ad dominum * moenium Sionis — fluant inſtar torrentis lacrimae, diu noctuque non remittes, non ceſſet pupilla oculi: 19. Age clama noctu ſub vigiliarum initium, effunde uti aquam preces coram domino, attolle ad eum manus tuas pro vita parvulorum tuorum fame oppreſſorum in compitis platearum. 20. Vide, o Jova, et conſidera, ecquem unquam ſic tractaveris, num comederint mulieres foetus ſuos, infantes educandos? num occiſi fuerint in domini ſacrario ſacerdos et propheta? 21. Humi jacent vicatim juvenes et ſenes, virgines meae meique adoleſcentes gladio ſunt trucidati, tempore quo iraſceris, occidiſti, mactaſti ſine miſericordia. 22. Convocaſti tanquam tempore condicto terrores undiquaque. Non fuit Jova iraſcente, qui effugeret aut evaderet, quos educavi et fovi hoſtis meus conſumſit.

CAPUT III. *a*)

1. Ego is ſum, qui ſentit miſeriam, per virgam irae ejus. 2. Me duxit et incedere fecit in tenebris, non in luce. 3. In me converſus manum ſuam perpetuo agitat. 4. Attrivit carnem cutemque meam, confregit oſſa mea. 5. Obſtruxit me, caput mihi per-

a) In hoc Capite Jeremias loquitur, coll. v. 14. ita tamen ut modo ſuas afflictiones, modo patriae ſuae calamitatem deploret, et hoc maxime ubi plurali utitur.

perfregit, feſſus procumbo *b*). 6. In tenebras me deduxit ut dudum mortuos, 7. circumſepſit me ut exire non poſſim, graveſque mihi adhibuit aeneas compedes. 8. Etiamſi clamem et vociferer, prohibet preces meas. 9. Murum obſtruxit viis meis ex lapide quadrato, tramites meos *reddidit* tortuoſos. 10. Veluti urſus mihi inſidiatur, uti leo in latibulis *deſidet*. 11. Vias meas facit difficiles *c*) meque diſcerpens reddit attonitum. 12. Intendit arcum ſuum, meque veluti ſcopum ſagittis obvertit. 13. Impegit in renes meos ſagittas ſuas *d*). 14. Ridiculus factus ſum popularibus meis, cantilena eorum quotidiana. 15. Saturavit me herbis amaris, inebriavit me *potu* abſinthii. 16. Comminuit acutis lapidibus dentes meos, dejecit me

b) De verbo נקף et de h. l. pluribus egit *Schultenſius* in Origg. Tom. I. pag. 329. et 334. ubi probavit נקף Arabibus eſſe, *caput perfringere cum cerebri laeſione.* Male vulgo hoc verbum confunditur cum alio prorſus diverſo יקף *cingere.* — תְּלָאָה ei eſt *laſſitudo*, ad quod ſubſtantivum in affectu abrupte poſitum ſupplendum eſt: *mihi eſt*, h. e. *fatiſco.*

c) סֹרֵר eſt a סרר quod hebraice ſemper *rebellem* et *contumacem* ſignificat, *via* vero *contumax* ex Idiotiſmo orientali eſt via qua exitus non invenitur, impenetrabilis, difficilis. Sic Jer. LIII, 6. *montes rebelles*, h. e. aditu difficiles, quod pluribus exemplis ex uſu loquendi arabice probavit *Schultenſius* in Animadv. philol. ad h. l.

d) Hebr. filios pharetrae ſuae.

me in cinerem. 17. Ita ut omni tranquillitate deſtitutus bonum neſciam, 18. et dicam: actum eſt de me, ſpes omnis in Jova periit. 19. Memento miſeriae meae et afflictionis graviſſimae, abſinthii et cicutae. 20. Immo memor eris, animo meo hoc praeſagiente *e*). 21. Hoc ad animum mihi revoco ſpemque propterea concipio. 22. Per Dei benignitatem non ſumus conſumti, non deſiit ejus miſericordia. 23. Singulis diebus nova exiſtit, magna eſt fides tua. 24. Cum Jova mihi res eſt, inquit anima mea, propterea eum expectabo. 25. Bonus eſt Jova eum expectantibus, eis qui eum implorant. 26. Bonum eſt patienter expectare divinum auxilium. 27. Bonum eſt homini, ſi jam in pueritia jugum tulerit. 28. Quod cum ei *Deus* impoſuerit, patienter ſe geret in ipſis afflictionibus. 29. Humillime venerabitur divina judicia, ne tunc quidem omnem ſpem abjiciens. 30. Praebebit ferienti genas, probra quantum poterit perferens. 31. Nam non in perpetuum Dominus deſerit. 32. Si vel triſtitia affecerit, miſeretur rurſus pro inſigni ſua clementia. 33. Etenim non animo lubenti premit et affligit homines. — — 34. Ad pedes proſternere car-

 ceri

e) Secutus ſum in verſione lectionem textualem, ſecundum quam תָּשִׂיחַ eſt a שִׂיחַ *meditari, loqui: loquitur apud me anima mea.* Sed lectio marginalis habet תָּשׁוּחַ, ut ſit a שׁוּחַ vel שׁחח *incurvatur* ſ. *deprimitur*, ſcilicet prae triſtitia anima mea. Sed Cetib videtur praeferendum.

ceri deſtinatos, 35. jure ſuo alios defraudare ipſo ſummo numine inſpectante, 36. cauſam aliorum pervertere, dominus nequaquam approbat. — — 37. Ecquis ille eſt, qui jubeat aliquid et perficiat deo non permittente? 38. Nonne ex ore ſupremi numinis bona et mala prodeunt? 39. Quid igitur conqueritur homo? quisque potius ſe ipſe ob peccata ſua *reprehendat*. 40. Perſcrutemur et exploremus mores noſtros et ad Deum revertamur. 41. Attollamus animos noſtros una cum manibus ad Deum coeleſtem. 42. Peccavimus, rebellavimus. Tu condonare non potuiſti. 43. Iratus te nobis ſubtraxiſti, nos perſecutus es; ſine miſericordia occidiſti. 44. Nube te texiſti, ut preces pervadere non poſſent. 45. Quisquilias et retrimentum nos feciſti inter gentes. 46. Diducunt de nobis os ſuum hoſtes noſtri. 47. Terrorem et periculum experti ſumus, vaſtationem et deſtructionem. — — 48. Aquarum rivi manant ex oculis meis, propter tantam populi mei calamitatem. 49. Oculus meus fluit, nec ceſſat, non remittente malo. 50. Donec proſpectet et videat Jova de coelo. 51. Oculi mihi dolent propter patriae meae puellas. 52. Venati ſunt me uti avem hoſtes mei ſine cauſa. 53. Detruſerunt me in foveam obſtructo mihi lapide. 54. Obruerunt me aquae, ut me periiſſe dicerem -- -- 55. Invoco te o Jova, ex fovea inferiori. 56. Audiviſti vocem meam, non obſtrues aurem tuam preci-

bus

bus meis ad me recreandum. 57. Adfuiſti mihi, quando te invocavi, omnemque timorem juſſiſti abjicere. 58. Dirimes, o domine, litem ubi de ſalute mea agitur: ſervabis vitam meam. 59. Vides, o Jova, oppreſſionem meam, judica cauſam meam. 60. Vides eorum crudelitatem et conſilia mihi adverſa. 61. Audis, o Jova, eorum convicia, tot eorum adverſus me conatus. 62. Sermones adverſariorum meorum et contumelioſas *f*) eorum inſectationes quotidianas. 63. Vide quomodo omni tempore eorum ſim cantilena. 64. Reddes illis, o Jova, prouti actionibus ſuis commeruerunt. 65. Trade eos in mentem obſtinatam, *g*) tua exſecratio eis *obtingat*. 66. Iratus eos perſequere atque e rerum natura tolle.

CAPUT IV

1. O! quam vile habetur *a*) aurum? quam mutatum eſt aurum praeſtantiſſimum? disjecti lapides ſancti in

 via-

f) הִגָּיוֹן praeter h. l. ſemel Pſ. XIX, 15. ubi tamen in bonam partem dicitur, ſed h. l. manifeſte in partem deteriorem, pro ſermonibus malignis et maledicis. Poteſt illuſtrari ex Arabico هجا *irridere*, *ſubſannare*, et ſubſtantivum الهجا ſignificat *carmen invectivum*.

g) מְגִנַּה ἅπαξ λεγ. a גנן texit, eſt *operimentum* ſ. *tegumentum* cordis, h. e. obduratio, ſ. traditio in mentem obſtinatam.

a) vid. not. *a*) Ezech. XXVIII, 3.

viarum compitis? 2. Sionitae *olim* cariſſimi, auro
optimo aequiparati, quomodo jam comparantur lage-
nis teſtaceis figuli manu factis? 3. Etiam balaenae
prolatis uberibus lactant catulos ſuos, puella popula-
rium meorum tam crudelis facta eſt, quam ſunt ſtru-
thiones in deſerto. 4. Haeret lingua palato lactantis
prae ſiti, parvuli flagitant panem, nec eſt qui porrigat.
5. Qui deliciis veſcebantur, vicatim pereunt; qui in
coccino geſtati ſunt, amplectuntur ſimeta *b*). — —
6. Major eſt poena populi mei quam Sodomae *olim*
fuit de improviſo everſae, ſine manuum *humanarum*
opera. 7. Principes ejus nive candidiores, lacte pu-
riores,

b) Recte, uti arbitror, *Harmarus* in Obſervatt. Orient. P. I. p. 231. haec verba illuſtravit ex more Orientis, quo ob lignorum penuriam fimo animalium arefacto pro materia ignis alendi utuntur. Quem in finem pauperes fimum colligunt et in aedibus reponunt. Nullius momenti eſt objectio *Fabri* l. c. contra hanc explicationem, qui haec verba de veſtitu explicanda eſſe putat, quoniam praecedens membrum de eo agere ipſi videbatur. Hinc, quoniam ſignificationem *τῶ* אשפתות *fimeti* negare non audet, quam et omnes interpretes antiqui ei tribuunt, aliud vocabulum talmudicum אשפא ſubſtituit, quod pellem ſignificat et חבק ei eſt *involvere*. Sic extorſit *veſtitum pellium*. At enim vero non ſermo eſt de hominibus adultis, ſed de infantibus nondum educatis. Hi dicuntur antea geſtati et foti in purpura, jam vero deſerti jacere in fimeto, alio lecto non ſuppetente.

niores, rubicundiores corpore coralliis, uti ſapphirus politi. 8. Obſcuriorem habent ipſa nigredine faciem. Non agnoſcendi per vicos, adhaeret cutis eorum oſſibus, exaruit ſicuti arbor. 9. Melius actum eſt cum his, qui gladio, quam qui fame perierunt, citius abſciſſi, quam agrorum proventus *c*). 10. Manus mulierum miſericordium coxerunt natos ſuos, quos in cibum adhibebant in iſta populi mei calamitate. 11. Conſummavit Jova iram ſuam, effudit ardentem ſuam iram, incendit ignem in Sione, qui fundamenta ejus conſumſit. 12. Non credidiſſent gentilium reges, nec aliarum regionum incolae, ingreſſurum eſſe hoſtem adverſarium portas Hieroſolymae. — — 13. *Aſt facta haec ſunt* propter peccata prophetarum, propter delicta ſacerdotum, qui probos adeo inter ipſos interfecerunt. 14. Vagabuntur ut coeci in plateis, ita contaminati caedibus, ut tangi eorum veſtimenta non poſſent. 15. Faceſſite hinc immundi, dicetur illis, faceſſite, nolite tangere. Celerrime *e terra ſua* ejecti vagabuntur. Gentiles adeo hoſpitium eis denegabunt.

 16. Ira

c) Sic מ in מתנובות שדי accipio comparative. Apta eſt comparatio eorum qui gladio fuerunt confoſſi, cum agrorum frugibus, qui falce conciduntur. In priori libri hujus editione verteram: qui propter alimentorum *defectum* confecti perierunt. Sed durior videtur illa ellipſis et שֶׁהֵם aeque facile ad *gladio confoſſos*, ac ad *fame peremtos* poteſt referri.

16. Ira Jovae eos diſperſit, non amplius eos reſpiciet. Neque ſacerdotum habita eſt ratio, neque ſenioribus conceſſa eſt miſericordia. 17. Cum adhuc intentis oculis inane auxilium expectaremus et continuo reſpiceremus gentem non defenſuram. 18. Venantur greſſus noſtros, ut in plateis *tuto* incedere non poſſimus. Inſtat finis noſter, completi ſunt dies, immo inſtat finis noſter. 19. Aquilis velociores ſunt perſecutores noſtri, in montibus nos inſectantur, in deſerto inſidiantur. 20. Vita noſtra, Jovae unctus captus eſt in eorum foveis *d*), ſub cujus defenſione nos inter gentes felices eſſe ſperabamus. 21. Laetamini modo et gaudete, o Idumaei, qui terram Uz inhabitatis, ad vos

d) Explicavi quidem in priori hujus libri editione forte non ſine veri aliqua ſpecie haec verba de Joſia ex hypotheſi quam tum defendebam, de qua ad titulum Threnorum dixi. Nempe dicebam phraſin *captum eſſe in foveis*, tropicam eſſe et propterea de Sedekia tam parum quam de Joſia proprie poſſe intelligi. Senſum ejus eſſe: *perire ab hoſte*, quod de utriusque regis morte verum ſit: elogium praeterea quod propheta addit, Joſiae melius quam Sedekiae convenire. — Sed quoniam reliquae hujus leſſus partes huic hypotheſi non favent, haec quoque verba melius de capto ab hoſtibus rege Sedekia explicantur. Laus vero quam propheta ei tribuit, venit ex affectu dolentis, quo nonnunquam rem amiſſam lugemus nobis caram, quanquam defectuum et vitiorum non expertem.

vos quoque calix *e*) veniet, inebriabimini, nudabimini. 22. Veſtra, veſtra, o Sionitae, iniquitatis poena finem habebit, non amplius vos relegabit; in veſtram vero, o Idumaei, iniquitatem animadvertet, puniet veſtra peccata.

CAPUT V

1. Memento, o Jova, quid nobis evenerit. Aſpice et vide opprobrium noſtrum. 2. Noſtra terra aliis, domus noſtrae peregrinis ceſſerunt. 3. Pupilli ſumus, patrem non habemus, matres noſtrae ſicuti viduae. 4. Aquam noſtram pro pecunia bibimus, ligna noſtra pretio conſtant. 5. Cervicibus noſtris inhaerent, laborando fatigamur, nulla quiete nobis conceſſa. 6. Ad Aegyptios et Aſſyrios manus *ſupplices* extendimus, ut victum ad ſatietatem habeamus. 7. Majores noſtri peccarunt, qui jam non ſunt, et nos eorum peccata luimus. 8. Servi nobis imperant, nec eſt qui nos ab iis liberet. 9. Summo cum vitae periculo victum nobis comparamus propter inſidias nobis foris timendas. 10. Cutis noſtra inſtar fornacis nigreſcit prae fame ardente *a*). 11. Mulieres Sione, virgines in urbibus Judaeae

e) h. e. judicia divina, quae cum calice potus inebriantis comparantur, quem gentes puniendae cogantur bibere. cf. Eſ. LI, 17. Jer. XXV, 15. 21. Habac. II, 15. 16. Nah. III, 11.

a) Tropus, quo fami *ardor* tribuitur, neque latinis, neque graecis

Judaeae ſtuprantur. 12. Principes manibus eorum ſuſpenduntur, ſenibus nullam exhibent reverentiam. 13. Juvenes in piſtrinam detruduntur, pueri lignis *ferendis* ſuccumbunt. 14. Senatores non amplius in foro conſpiciuntur, ceſſant a cantilenis ſuis juvenes. 15. Ceſſat omne gaudium, converſae ſunt in luctum ſaltationes noſtrae. 16. Decidit capitis noſtri corona, heu nobis, quod peccavimus. 17. Propterea moeret animus noſter, propterea obſcurantur oculi noſtri. 18. Propter Sionem montem vaſtatum, in quo vulpes *b*) diſcurrunt. 19. Tu o Jova in aeternum manes, thronus tuus per omnes generationes. 20. Cur perpetuo noſtrum immemor, nos deſeris tam diu? 21. Fac o Jova ut ad te revertamur, ita ſpes nobis erit ut et in patriam revertamur. *c*) Inſtaura tempora priſtina. 22. Jam quidem nos prorſus rejeciſti, iratus nobis es vehementius.

graecis ſcriptoribus inuſitatus: *ignea fames* dicitur Quinctiliano, *atra* Claudiano. cf. Simonis in Lexico Hebr. ſub h. v.

b) Hebr. שׁוּעָלִים Species quaedam animalis vulpi et lupo ſimilis, in Oriente frequenter obvii, nec nomine ab hebraeo multum diverſi. Vocatur enim *Jakkal* ſ. *Tſchakkal*. Vid. *Schavius* in Itinerario pag. 155. verſ. germ. et *Niebuhrius* in Deſcriptione Arabiae pag. 166.

c) *Reduc nos ad te*, h. e. fac ut ſeriam agamus poenitentiam; *et revertemur* ſc. in patriam. Sic שׁוּב h. l. eſt in διλογίᾳ ut Jer. IV, 1. qui locus huic eſt ſimillimus.

EZECHIEL

EZECHIEL a)

CAPUT I

1. Anno trigeſimo, b) die quinto menſis quarti, cum ego

a) De ſtilo Ezechielis magnopere diverſo a Jeſaia, Jeremia, aliisque dictionis ſublimitate inſignioribus, rectiſſime, uti arbitror, judicavit Illuſtris *Michaelis* ad *Lowthum* nota 93. p. m. 416. Perpetuus aliqua ex parte imitator eſt, inquit, et tamen novus ac ſuus, non grandis, ſed ingenioſus; imagines enim, quibus jam diu ante poëſis hebraica adſueverat, inventas ab aliis, ſed per tranſennam modo unico oculorum conjectu viſas, certe in quibus non diu morati erant, totas abſolvit, ita plene, ita copioſe pingens, ut nihil addi poſſe, nihil in mente lectoris relinqui dixeris; quod faciens uberis quidem ingenii laudem recte conſequitur, atque etiam hoc lectoribus praeſtat, ut antiquiores poëtas perfectius intelligant, minus tamen percellit, aut in admirationem rapit.

b) Magnus eſt diſſenſus interpretum circa *terminum a quo* hic triceſimus annus ducendus ſit. Chaldaeus tempus innui putat, quo ſub Joſia rege liber legis inventus fuit ab Hiſkia, de quo hiſtoria extat 2 Reg. XX, 10. 11. 12. Cui ſententiae *Hieronymus* in Commentario, et quod magis miror, *Grotius* adſtipulantur. Sed nulla apparet ratio, cur propheta vaticiniorum ſuorum epocham ab illo eventu

ego inter alios captivos ad flumen Cabarim verſarer, aperto coelo vidi viſa divina. 2. Die quinto illius menſis, qui fuit quintus annus, ex quo rex Jechonias in captivitatem abductus fuerat, 3. Jova *me* Ezechielem, filium Buſi, ſacerdotem, in Chaldaea ad flumen Cabarin degentem, allocutus eſt, atque divino impulſu agitabar. 4. Vidi igitur c) ventum procelloſum e fe-

eventu non adeo memorabili duxerit. Alii annum aetatis prophetae trigeſimum intelligunt. Alii terminum ſeptuaginta annorum captivitatis babylonicae ſtatuunt, quem ab anno Nebucadnezaris primo et Jojakimi quarto, ſub quo abductionis iſtius initium factum eſt, deducunt. In re prorſus incerta nihil definio.

c) In hac imagine prophetae viſa, cujus jam prolixa ſequitur deſcriptio, Judaei quidem magna quaerunt myſteria, ſuaque inprimis dogmata de Deo et angelis ex ea derivant. Quod et ſuo modo fecerunt interpretes quidam Chriſtiani ſingularum partium explicationes transferentes ad res ſpirituales Nov. Teſt. ſed perquam aliene. Veriſſime judicaſſe arbitror S. R. *Doederlein* in Additamentis ad Grotii Annotatt. in V. T. non argutandum eſſe in interpretatione ſingularum partium hujus imaginis prophetae exhibitae. Majeſtatem divinam ſymbolo quadam viſibili videbat. Qua apparitione eximia inaugurabatur ad munus propheticum, quemadmodum etiam Jeſaiae ſuum munus a Deo viſibili quadam ratione apparente fuit collatum. Reſpondebant igitur utique ſingula, quae viri divini videbant, magnitudini ejus, cujus imaginem exhibe-

e ſeptentrione venientem, *et* denſam nubem, quae ignem ſpargebat: Splendor eam circumdabat, in igne vero conſpiciebatur quaſi electrum. 5. Praeterea quoque forma quatuor animalium, quae hominis ſimilitudinem prae ſe ferebant. 6. Singula quaternas formas habebant et quaternas alas, 7. crura aequalia, pedes bovinos et fulgentes ut color aeris politi. 8. Manus humanas ſub alis in quatuor ſuis partibus. Ut quatuor alas, ſic quatuor formas habebant. 9. Conjunctae erant alae inter ſe. Non reſpiciebant cum incederent, ſed quo quodque ſpectabat, eo ibat. 10. *d*) Similitudo autem formarum earum erat hominis et leonis à dextra, bovis vero et aquilae a ſiniſtra quaternis. 11. Earum formae et alae deſuper erant diſtinctae; binae erant conjunctae, et binis tegebant ſua corpora. 12. Quo quodque ſpectabat, eo incedebat. Quo quodque a vento agebatur, eo ſe movebat. Nec reſpiciebant, quando gradiebantur. 13. Color vero iſtorum animalium erat igneus, ut carbones aut faces ardentes, qui *color* erat in omnibus eorum partibus, atque ex ſplendore illo igneo fulgura emicabant. 14. Iſta animalia continuo *huc et illuc e*) currebant ad inſtar fulguris. 15. Quae cum intuerer, vidi

hibebant, ſed ſingularum partium ſingulos ſenſus afferre ingenii quidem eſt, non rationis.

d) Diſtinctius dicit, quae in verſu 6. dixerat.

e) Sic non contradicit verſ. 9. et 12.

vidi *f*) rotas humi poſitas juxta animalia ad quatuor
eorum formas. 16. Color iſtarum rotarum referebat
hyacinthum, omnes quatuor ſibi ſimiles erant. Fabrica
ipſarum erat quaſi rota rotae eſſet interpoſita.
17. In quatuor latera poterant moveri, nec ſeſe in
motu ſuo convertebant. 18. Abſides earum altae
erant et terribiles et plenae radiis circumquaque.
19. Euntibus animalibus movebantur et rotae juxta
ea; illis ſeſe efferentibus, hae quoque tollebantur.
20. Quocunque ſpiritus *animalium* ibat, eo etiam
rotae ibant; una cum illis tollebantur, nam ſpiritus
cujusque animalis pertingebat etiam ad rotas. *g*)
21. Illis euntibus hae quoque ibant, illis ſubſiſtentibus
ſubſiſtebant, illis e terra ſublatis tollebantur
pariter rotae, quippe quae ſpiritu animalium agitabantur.
22. Super capitibus autem animalium erat
tympanum *h*) quoddam cryſtallo ſimile, adſpectu terribile,
inclinatum verſus eorum capita. 23. Sub iſto
tympano alae eorum duae *ſuperiores* ita expanſae
erant, ut ſeſe mutuo contingerent, alteris vero duabus
alis obtegebant corpora ſua. 24. Sonus autem
alarum

f) In textu eſt: *rotam unam*, ſcilicet primo unam modo vidit, deinde cum accuratius attenderet vidit tres alias ſimiles, hinc ſtatim in ſequenti verſu plurium meminit.

g) Nimirum animalia ſive Cherubi propellebant rotas, uti ventus naves. Sic ſe ipſe explicat in ſequenti verſu.

h) h. e. tectum vehiculi, hebr. רקיע

alarum eorum, quando incedebant, ſimilis erat ſono multarum aquarum, aut voci omnipotentis *i*), aut imbri *k*) effuſo, aut ſtrepitui exercitus. Quando vero ſubſiſtebant, alae eorum quieſcebant. 25. *l*) Quod fiebat tum cum vox ex illo tympano ſuper capitibus eorum audiebatur. 26. Super iſto tympano, quod capitibus eorum imminebat, forma throni erat ſimilis lapidi ſapphirino, in quo throno ſpecies quaedam humana apparebat. 27. Vidi colorem electri ſimilem igni undique radianti ſurſum ea, quae lumbos referebant, deorſum vero lumborum ejus vidi ignem quendam pariter undique ſplendentem. 28. Atque ille ſplendor, qui erat ſimilitudo gloriae Jovae, ſimilis erat iridi quae in nubibus conſpicitur, quando pluit. Quibus viſis ego pronus in faciem cecidi et audivi vocem loquentis,

CAPUT II

1. qui mihi dicebat: Surge homo, tecum loquar. 2. Tum animus mihi rediit, cum me ſurgere juſſiſſet. 3. Cum vero attenderem, mihi dixit: Mitto te, homo, ad Iſraëlitas, populum in me rebellem, tum illi tum majores eorum usque ad hoc tempus

a me

i) h. e. tonitru.

k) De vocabulo הֲמֻלָּה vid. obſ. ad Jer. XI, 16.

l) In textu hebraeo eadem repetita ſunt, quae in fine praecedentis verſus leguntur.

a me defecerunt. 4. Homines ſunt impudentes et pertinaces, ad quos te mitto; his nomine domini Jovae loqueris. 5. Sive audiant, ſive non audiant, ſunt enim homines rebelles, ſciant tamen eſſe inter eos prophetam. 6. Tu igitur, o homo, noli tibi neque ab ipſis neque ab eorum ſermonibus timere, ſunt quidem homines contumaces *a*) qui te pungent, immo habitas inter ſcorpiones, ſed noli neque ſermones eorum metuere, neque propter eos terreri, homines ſunt rebelles. 7. Eloquere eis omnia a me mandata, ſive audiant ſive negligant ea, ſunt enim homines contumaces. 8. Tu vero audi quae tibi dicam, ne ſimilis ſis hominibus iſtis contumacibus. Aperi os tuum et comede quae tibi dabo. 9. Tum ego

a) Hebr. סָרָבִים וְסַלּוֹנִים אוֹתָךְ: Utrumque eſt ἅπαξ λεγ. Prius quidem in linguis Chald. et Syr. ſaepe obvium ſignificat: *repugnare*, *rebellare*, et reſpondet Hebraeorum מָאֵן. Sed poſterius unde ductum ſit, magis dubium eſt. Alii ſpinarum ſpeciem quandam eſſe affirmant, alii in genere aculeum ſive ſpinam, vid. *Celſius* in Hierobot. P. II. p. 220. Cui ſententiae favet ſequens ſimilitudo ducta a ſcorpionibus, quam propterea in verſione expreſſi. Alii deducunt a סלה quod Chaldaice et Syriace eſt: *deſpicere, contemnere.* Et ſic Syrus interpres: דְסָרְבִין וְמַסְלִין לָךְ: Oἱ ὁ, *παροιστρήσουσι καὶ ἐπισυστήσονται ἐπὶ σὲ κύκλῳ*, *inſanient*, *quaſi oeſtro perciti*, *et te circumvenient*, fortaſſe exiſtimarunt a סלל *aggerare, accumulare.*

Ego animadverti manum ad me porrectam, quae librum convolutum tenebat. 10. Quo explicato vidi eum in fronte et in tergo inſcriptum naeniis, lamentis et querelis.

CAPUT III

1. Tum ille, comede, inquit, homo, volumen illud tibi obvium, atque abi et loquere ad Iſraëlitas. 2. Aperto igitur ore praebuit mihi illud volumen comedendum. 3. Et dixit: Venter tuus excipiat, tuaque viſcera compleantur illo volumine, quod tibi dedi. Dulcem vero ſaporem habebat, cum illud comederem, inſtar mellis. 4. Et ille, abi, inquit, homo, ad Iſraëlitas et eloquere eis mea mandata. 5. Etenim non ad populum abſtruſi ſermonis et impeditae linguae mitteris, ſed ad Iſraëlitas. 6. Non ad diverſas gentes ignoti ſermonis aut linguae peregrinae, quas non intelligeres. * Si ad eas te mitterem, te audirent. 7. Verum Iſraëlitae te nolent audire: recuſant enim mihi obtemperare; omnes ſunt fronte perfricta et pectore indurato. 8. At enim vero ego quoque tuam faciem aeque ac illorum obfirmatam reddam; frontemque tuam aeque ac illorum duram, 9. immo duriorem adhuc, ſicuti adamas eſt rupe durior: ne metuas eos aut formides, quanquam ſunt homines rebelles. — — 10. Porro mihi dixit: diligenter et accurate attende ad ea quae tibi mandabo,

11. Adi captivos illos, populares tuos, atque *a*) ex auctoritate mea cum eis loquere, ſive audiant, ſive non audiant. 12. Tum ego propulſus a vento audivi a tergo ingentes clamores: celebretur majeſtas Jovae, 13. et ſtrepitum, quem alae animalium ſeſe mutuo contingentes edebant, et ſonitum rotarum juxta illa, et magnam terrae commotionem. 14. Ego igitur a vento illo propulſus abii animo valde triſtis, ſed vis divina me confortabat. 15. Et ſic veni ad exules Telabib, habitantes ad flumen Cabarin: ibi ſedes ſuas fixerant, atque inter eos animo ad ſtuporem usque commotus per ſeptem dies commoratus ſum: 16. Quibus peractis Jova me hunc in modum eſt allocutus: 17. Homo, te ſpeculatorem conſtitui Iſraëlitis, ut quod a me audies, de eo meo nomine eos admoneas. 18. Quando ego impio mortem fuero minatus, et tu eum non admonueris, aut dehortatus fueris a vita ſua improba ut ſervetur, ille quidem ſua culpa peribit, ſed a te quoque mortis ejus poenas repetam. 19. Quodſi vero impium admonuiſti, atque ille ab impia ſua vita deſiſtere noluit, morietur ſua culpa, tu vero te ipſum ſalvum praeſtitiſti.

a) In textu hebraeo eſt: *dices illis: ſic dicit dominus Jova*, quae eſt h. l. formula ſolennis, qua prophetae ſermonibus ſuis fidem atque auctoritatem conciliabant. Nam quae dicere debebat, ſequuntur demum verſu 17. Sic etiam infra verſu 27.

ſiſti. 20. Item, ſi pius a pietate ſua ad impietatem defecerit, peccandi occaſione a me oblata, is morietur: quod eum a peccato ſuo non es dehortatus. Morietur, non abſolvet eum priſtina ejus probitas, et tu mortis illius poenas dabis. 21. Quodſi vero eum monueris, ne peccet, et ille ſibi cavet a peccatis, ſervabitur, quoniam admonitionem admiſit, et tu quoque ſaluti tuae conſuluiſti. — — 22. Tum ibidem divinum inſtinctum in me ſenſi, jubente Jova ut exirem in vallem, et mandata ejus ibi acciperem. 23. Egreſſus igitur in iſtam vallem vidi majeſtatem Jovae eodem modo, quo eam juxta flumen Cabarin videram. Tum ego pronus in terram cecidi. 24. Sed *mox* ſenſi in me vires ut ſurgere poſſem, et *Jova* ſic mihi dixit: Ingredere domum tuam, ibique te conclude. 25. Funibus te vincient et ligabunt, nec poteris ad eos egredi. 26. Efficiam ut lingua tua faucibus adhaereat, ut obmuteſcas, nec eos amplius redarguas, nam homines ſunt rebelles. 27. Sed cum tibi mandata mea dedero, os tibi iterum aperiam, ut cum eis ex auctoritate mea loquaris. Qui audit, audiat, qui minus, omittat. Hominum enim genus eſt pervicaciſſimum.

CAPUT IV

1. Sume tibi, homo, tabulam lateritiam atque in ea ſcalpe urbem Hieroſolymam. 2. Finge obſidionem circa eam, exſtrue turres, duc aggerem, fac caſtra

et arietes circa diſpone. 3. Deinde ſume ſartaginem ferream, quam inſtar muri ferrei inter te et urbem ponas et immoto vultu aſpicias, et ſic *urbs* continuo a te obſidebitur. Quod Iſraëlitis ſigni loco eſſe debet. 4. Deinde cubabis in latere tuo ſiniſtro, atque impones ei peccata Iſraëlitarum; tot vero dies feres iſta eorum peccata, quot dies in latere illo tuo cubabis. 5. Nimirum per trecentos et nonaginta dies, numerum enim annorum, quibus peccarunt, mutavi in totidem dies. Feres igitur *per iſtud tempus* iniquitatem Iſraëlitarum. 6. Quibus peractis incumbes in latere tuo dextro, laturus iniquitatem Judaeorum per quadraginta dies, in quo rurſus numerus dierum annorum numero reſpondet. 7. Obſidionem vero Hieroſolymae immoto vultu aſpicies brachio tuo nudato, atque *his ſignis* fata ejus praedices. 8. Funibus te conſtringam, ut non poſſis te ex uno latere in alterum convertere, usque dum abſolveris dies obſidionis tuae. 9. Praeterea ſume tibi triticum, hordeum, fabas, lentes, milium, et zeam; ex quibus in vas conjectis tot panes conficias a te comedendos, quot dies tibi in latere tuo cubandum, nempe trecentos et nonaginta. 10. Cibus ille tuus in diem pondere conſtet viginti librarum. 11. Aquam etiam ad menſuram, ſextam nempe hinis partem, quovis die bibes. 12. Placentas etiam hordeaceas comedes, quas ſtercore excrementi huma-

humani, illis aſpicientibus, parabis *a*). 13. Eundem enim in modum, addebat Jova, edent Iſraëlitae panem impurum inter gentes, ad quas eos ſum propulſurus. 14. Ad haec ego, o domine Jova, inquiebam, nunquam pollutus ſum, neque morticinum aut diſcerptum inde a juventute mea usque in hanc diem comedi, ab omni omnino carne immunda abſtinui. *b*) —— 15. Tum ille, en, *inquit*, permittam ut boum egeſtum pro oleto adhibeas ad panem tuum coquendum. 16. Auferam enim, dicebat, panem Hieroſolymitanis, quibus vitam ſuam ſuſtentant; Appenſum eum comedent inter anxiam ſollicitudinem, aquam ex menſura bibent, mentibus fere attoniti. 17. Tandem ob panis et aquae inopiam omnes miſere peribunt et propter peccata ſua conficientur.

CAPUT V

1. Sume tibi, homo, cultrum acutum, novaculam ton-

a) Orientales in cibis parandis ſolere boum aut camelorum egeſtum, ob lignorum penuriam, adhibere, in vulgus notum eſt. Sed cum propheta ſua vivendi ratione deberet triſtiſſimam vitam indicare, quam Iſraëlitae in exilio eſſent acturi, jubet Deus eum excrementis humanis uti in cibis ſuis coquendis. A quo vero propheta tanquam a re prorſus inſolita abhorret. cf. *Harmari* Obſervatt. Orient. P. I. p. 236.

b) Eſt Anacoluthon, ſupple: Si hoc feci, multo magis abominor res per ſe immundas.

tonſoriam, atque tonde tibi ea capillos et barbam; deinde in ſtatera *pilos iſtos* ita partire, 2. ut tertiam partem in media urbe igne comburas, id quod durante obſidione eveniet; tertiam cultro frequenter diſſeces; tandem tertiam in auram diſpergas, quos gladio perſequar. 3. Ex his tamen paucos quosdam laciniis *veſtis* tuae illigato. 4. Alios quosdam in ignem conjicito, quo conſumantur, qui tandem ad omnes omnino Iſraëlitas erumpet. — 5. Sic dicit dominus Jova: Haec imago eſſe debet civium Hieroſolymitanorum, omnibus gentibus finitimis et regionibus vicinis proponenda. 6. Nam contra inſtituta mea magis quam gentiles improbe vixerunt et contra leges meas magis quam regiones finitimae egerunt; immo ſpreverunt ſtatuta mea et ſecundum leges meas vitam ſuam non inſtituerunt. 7. Propterea ſic dicit dominus Jova: Quoniam magis quam gentes vicinae libere ad inſtar brutorum animalium huc et illuc divagati eſtis *a*), ſecundum leges meas non viventes,

a) De vocabulo ἅπαξ λεγ. הָמֹן erudite egit Celeb. *Scheid* in Specimine obſervatt. p. 1 ſeqq. Confert illud cum Arabico המל (quam plurima enim exempla afferri poſſunt literarum ל et נ permutationis) quod inter alia de animalibus ſine paſtore huc et illuc evagantibus dicitur. Antiquiorum interpretum verſiones fere ſenſu carent. Οἱ ό, ἀνθ' ὧν ἡ ἀφορμὴ ὑμῶν ἐκ τῶν ἐθνῶν. *Symmachus:* τὸ πλῆθος

ventes, nec ſtatuta mea obſervantes, immo ne illis quidem quoad vitae agendae rationem ſimiles *, 8. propterea haec dicit dominus Jova: En! in vos me convertam poenasque de vobis repetam ſpectantibus gentibus 9. tam ſeveras, quam antea non repetii, nec poſtea ſum ſumturus, propter tot veſtra ſcelera turpiſſima. 10. Etenim parentes liberos et liberi parentes comedent, — — atque his inter vos exemplis editis reliquos per omnes diſpergam regiones. 11. Per vitam meam juro, inquit dominus Jova, quoniam ſanctuarium meum inquinaſtis tot veſtris turpiſſimis et abominandis idolis, me ſine ulla indulgentia et commiſeratione vos eſſe perditurum. 12. Tertia pars veſtrum peſte morietur aut fame conficietur, tertia gladio cadet in confinibus veſtris, tertia in omnes regiones diſpergetur, in quibus eos gladio perſequar. 13. Conſumet eos ira mea, continuo eis incumbet et ſic mihi ſatisfiet. Iſti vero intelligent me Jovam eſſe, qui eis iratus minatus ſim, me omnem indignationis meae gravitatem in eos eſſe converſurum. 14. Efficiam ut de-

θοι ὑμῶν. *Aquila:* ἠριθμήθητε ἐν τοῖς ἔθνεσι. *Syrus:* על דאתחשבתון *propterea quod vos cenſuiſtis de gentibus.* *Chaldaeus* ſenſum bene divinaſſe videtur: חלף תחבתון *quoniam peccaſtis magis quam gentes.* Sed illam ex lingua Arabica vocis rarioris illuſtrationem his omnibus atque etiam conjecturae *Hubigantii*, qui legere vult חמסכם *quia vos nequiores eſtis*, longe praeferendam judico.

ſolati ſitis et infames omnibus gentibus finitimis, omnibus peregrinantibus. 15. Opprobrio et ignominiae b) eritis expoſiti omnibus gentibus vicinis, exemplum ad quod obſtupeſcant, quando ſevera et atrociſſima judicia, quae vobis prae irae meae vehementia minitor, exequar. 16. Quando ſaevas in vos projiciam famis ſagittas, c) quae vobis exitium afferant, hunc ipſum etiam in finem a me immiſſae; immo augebo famis gravitatem ſublatis rebus omnibus quae ad vitae ſuſtentationem facere poſſent. 17. Praeter famem fera animalia vobis immittam, quae vos depopulentur, peſtis et caedes inter vos graſſabuntur, gladius inter vos ſaeviet. Hoc ego Jova minitor.

CAPUT VI.

1. Jova me his verbis eſt allocutus: 2. Converte faciem tuam verſus montes Iſraëlis et ſic eos alloquere: 3. Audite, o montes Iſraëlis, verba domini Jovae: Sic dicit dominus Jova montibus, collibus, torrentibus, vallibus: En ego adducam contra vos gladium *hoſtilem*, perdam ſacella veſtra. 4. Arae deſtruentur, frangentur Solis imagines, proſternam in vobis occiſos ante idola veſtra. 5. Efficiam ut cadavera Iſraë-

litarum

b) Legendum eſt הָיִיתָה ſic omnes antiqui, et contextus requirit.

c) Grandinem, imbres, mures, uredinem, rubiginem, locuſtas. Sic *Grotius*,

litarum ante idola ſua abjecta jaceant, ſpargam eorum oſſa circa altaria veſtra. 6. Urbes in vobis habitatae vaſtabuntur, ſacella deſtruentur. Et ſic aris veſtris deſolatis et everſis, fractis et abolitis ſimulacris, ſuccisis Solis ſtatuis, ſublatis veſtris operibus, 7. proſtratis in vobis interfectis: vos intelligetis me Jovam eſſe. 8. Relinquam tamen quosdam inter gentes ſuperſtites, qui gladio evadent, et in varias regiones diſpergentur. 9. Iſti a vobis elapſi mei recordabuntur inter gentes ubi captivi erunt. Siquidem mentes eorum impudicas a me averſas, oculosque laſcivos in idola ſua directos corrigam, ita ut faſtidiant facta ſua abominabilia a ſe commiſſa. 10. Tunc intelligent me Jovam eſſe, qui non fruſtra minatus ſit tanta mala eis inferre. 11. Sic dicit dominus Jova: Manus complode, *terram* pedibus percute, plange propter abominanda Iſraëlitarum ſcelera, qui gladio, fame et peſte peribunt. 12. Qui longe aberunt, peſte morientur; qui prope erunt, gladio cadent, et qui reliqui fuerint *a peſte* et ſervati *a gladio*, fame peribunt; omnem enim iram meam in eos effundam. 13. Tunc intelligetis me Jovam eſſe, quando iſti inter idola ſua circa altaria, in collibus altis, in montium cacuminibus, ſub arboribus virentibus et quercubus frondoſis, in locis ubi ſuaves edere ſolebant odores ſuis idolis, interfecti jacebunt. 14. Extendam enim manum meam contra eos, reddam eorum terram in locis omnibus habitatis

ipſo deſerto Diblatha *d*) deſolatiorem et vaſtiorem. Ex quo omnes intelligent me Jovam eſſe.

CAPUT VII

1. Item ſic me allocutus eſt Jova: 2. Haec *a*) dicito, homo: Sic fatur dominus Jova de terra Iſraëlitica. Finis adeſt, finis quatuor terrae tractibus. 3. Jam quidem finis tibi imminet. Effuſa in te ira mea te pro meritis puniam, tibique tot tua flagitia rependam. 4. Non tibi indulgebo, neque parcam, ſed reddam quod vita tua commeruiſti. Scelerum tuorum poenas experieris. Et ſic intelliges me Jovam eſſe. 5. Haec dicit dominus Jova: Unum malum excipit alterum. 6. Venit finis, finis venit, *b*) te ſpectat, immo jam adeſt. 7. Jam vos ordo tangit, hujus terrae incolae! venit tempus, dies perturbationis appropinquat, non jubila montium. 8. Brevi futurum eſt, ut effundam in vos iram meam, ut eam totam in vobis conſumam, et puniam vos pro merito et rependam vobis tot veſtra flagitia. 9. Non indulgebo, non parcam. Prouti di-

gnum

d) Eſt deſertum Moabiticum, cujus et mentio fit Num. XXXIII, 47. Jer. XLVIII, 22. Eſt pars deſerti illius magni, per quod iter fecerunt Iſraëlitae, Deut. VIII, 15. Comparative vertit etiam Syrus.

a) Deeſt in textu אֱמֹר quod recte οἱ ό et Syrus ſupplent.

b) In textu eſt paronomaſia, quam utcunque in verſione expreſſi.

gnum eſt vita veſtra, reddam. Scelerum veſtrorum poenam luetis, et intelligetis me Jovam eſſe qui puniat: 10. Ecce dies! ecce adeſt! tempus jam ortum eſt, floret baculus, viret ſuperbus *c*). 11. Violentus ille jam ſurrexit, ut feriat homines iſtos impios *d*). Nec quisquam eorum *immunis erit.* Nemo de plebe, nemo de primoribus. Nec ulla eis * requies concedetur. 12. Venit tempus, dies illuxit, emtor ne laetetur, venditor ne doleat, etenim ira univerſae ejus multitudini imminet. 13. Non repetet venditor *e*) rem venditam, etiamſi adhuc in vivis ſit. Non deſtituetur vaticinium ſuo eventu, nec quisquam ſe propter pertinacem ſuam malitiam tutum putet. 14. Clangent tuba, bellum parent, nemo pugnare audebit, ira enim mea univerſae ejus multitudini imminet. 15. Foris gladius, domi peſtis et fames. Qui ruri eſt, gladio peribit; qui in urbe, fame et peſte conficietur; 16. qui forte ex iis evadent, ad montes fugient, ut columbae convallium, gementes propter hanc ſuam iniquitatem. 17. Omnium manus erunt remiſſae, omnium

c) h. e. regnum babylonicum potens et ſeverum.

d) Hebr. *violentia ſurrexit in baculum*, h. e. ut ſit baculus improbi.

e) Nempe anno jubilaei. Alieni domini erunt illarum rerum.

omnium genua aqua pedum *f*) madebunt. 18. Centone amicti, terrore oppreſſi erunt, in facie pudorem, in capite calvitiem oſtendent. 19. Argentum ſuum in plateas abjicient, aurum ſuum a ſe removebunt. Neutrum enim eos in illo Dei judicio poterit ſervare. Non habebunt quo ſaturentur, aut ventrem ſuum expleant: Nam abuſi ſunt eo (ſc. auro et argento) ad peccata ſua. 20. Quod eis in ornatum decorum ad ſplendorem datum erat, ex eo imagines ſibi fecerunt turpiſſimas et abominabiles, propterea efficiam, ut ipſi illud ut rem impuram a ſe removeant. 21. Tradam illud peregrinis diripiendum, hominibus profanis ad praedandum, qui illud contaminabunt. 22. Omnem meam gratiam eis ſubtraham, profanabitur locus mihi ſacer, ingredientur eum latrones et inquinabunt eum. 23. Fac catenam *g*), nam terra repleta eſt criminibus capitalibus et urbs improbitate. 24. Adducam gentem ferociſſimam, quae domos (incolarum urbis) eorum occupabit. Tum efficiam ut ceſſet ſuperbia potentum et profanentur loca, quae eis ſunt ſanctiſſima. 25. Appropinquante pernicie quaerent incolumitatem, ſed fruſtra. 26. Una calamitas alteram excipiet, infauſti rumores increbeſcent, tunc a pro-

f) h. e. urina. Sic phraſin jam *Hieronymus* explicavit, quae et Hebraiſmo bene convenit. Infra Cap. XXI, 12. iterum occurrit.

g) in ſignum futurae captivitatis.

a prophetis petent oracula. Sacerdotes legi non poterunt ſatisfacere, nec ſenes conſilio prodeſſe. 27. Rex erit anxius, principes attoniti, omnes perturbati. Agam cum eis prouti vita ſua commeruerunt. Judicabo eos pro criminum ſuorum gravitate, et ſic intelligent me eſſe Jovam.

CAPUT VIII

1. Anno ſexto *a*) die quinto menſis ſexti, cum ego domi meae ſederem et Judaeorum principes apud me eſſent, ex peculiari domini Jovae revelatione 2. vidi figuram aliquam igni ſimilem, quae deorſum verſus lumbos ignea erat, a lumbis vero ſuis ſurſum ſplendebat, *b*) ut electrum. 3. Illa quaſi manu extenſa me in cincinnis capitis prehendit, et tum ventus in aëre Hieroſolymam detulit ad introitum portae interioris verſus ſeptentrionem ſpectantis *c*). Ibi offendebam ſimulacrum, quod zelum *Dei* provocabat. 4. Simul ibi majeſtas Dei Iſraëlis comparebat eadem ratione, qua eam in valle videram. 5. Tum ille, attolle, inquit, homo, oculos verſus ſeptentrionem. Quod cum feciſſem, vidi in ipſo portae introitu aram iſtius ſimulacri *Dei* aemulationem excitantis. 6. Tum ille ſic me alloquitur:

Vi-

a) captivitatis Jechoniae, cf. I, 2.

b) Cf. Cap. I, 27.

c) Quae tamen omnia tantum in viſione prophetica ſ. ecſtaſi facta ſunt.

Videsne, homo, quid iſti faciant? quanta ſcelera ab Iſraëlitis committuntur, quibus patratis ego ſanctuarium meum deſeram? ſed his adhuc majora ſcelera videbis. 7. Tum me deduxit ad oſtium atrii *levitici.* Ibi obſervabam foramen in pariete. 8. Ille vero me juſſit, perrupto muro illud ampliare, quo facto introitus *per murum* patebat. 9. Tum ille, ingredere, inquit, et vide quanta ab eis flagitia ibi committantur. 10. Cum igitur ingreſſus eſſem, vidi imagines animalium omnis generis reptilium turpiſſimorum et idolorum ab Iſraëlitis cultorum undique in pariete inſculptas. 11. Coram quibus ſtabant ſeptuaginta viri e magiſtratu populi Iſraëlitici (in his erat etiam Jaaſanjah Schafanis filius) ſuum quisque thuribulum manu tenentes et nidor *d*) nubis ſuffimenti aſcendebat. 12. Videsne, inquit, homo, quid faciunt Iſraëlitarum principes in occulto in his ſuis conclavibus pictis? Exiſtimant Jovam eos non videre, eum hanc terram deſeruiſſe. 13. Sed turpiora his ſcelera videbis, quae ab eis committuntur. 14. Tum duxit me ad portam templi Jovae ſeptentrionalem. Et en! ibi ſedebant mulieres lugentes ob Tammuzum. 15. Tum ille mihi: videsne, homo? ſed majora his flagitia videbis.

d) Ex ſignificatione primaria verbi עָתַר *κνισσοῦν*, *nidorem ſubmittere*, de qua *Schultenſius* pluribus egit in Comment. ad Prov. Sal. p. 388. ſeqq.

bis. 16. Tum duxit me ad atrium templi interius. Ibi inter porticum et altare circiter viginti quinque viri erant terga templo Jovae obvertentes, faciebus verſus orientem directis, et ſic Solem * adorabant. 17. Videsne iſta, inquit ille, homo? Nonne haec ſunt atrociſſima ſcelera, quae a Judaeis hoc in loco committuntur? Sed tota terra oppleta eſt violentia, indeſinenter me irritant; *e*) en ſurculorum faſciculum naribus ſuis applicant. 18. Igitur ego quoque iratus in eos animadvertam. Non *diutius* indulgebo, non parcam. Si quando anxie ad me clamabunt, eos non audiam.

CAPUT

e) Quoniam ſermo eſt de cultu divino Soli exhibito, quod ex praecedenti verſu apparet, equidem exiſtimem haec verba, in quorum explicatione viri docti valde diſſentiunt, optime ex religione veterum Perſarum poſſe explicari. Jam vero recentiſſimus hujus religionis enarrator, *Anquetilius Perronius* in Itinerario ſuo pag. 665. in ſupellectile ſacra Perſarum Indiae orientalis enumerat etiam faſciculum ſurculorum, *Barſom* in lingua perſica veteri dictum, quem inter precandum manibus teneant. Alii ex Bacchanalium ritibus haec verba illuſtrant, in quibus Bacchi cultores thyrſum manibus agitare ſolebant, ſed ille ignicolarum cultus contextui videtur eſſe convenientior. Silentio praetereo abſurdam Judaeorum explicationem, quam *Grotius* paucis commemoravit, pluribus vero refutavit *Gatakerus* in Miſcell. poſthumis Cap. 48. p. 918. Opp. aliaque lectu digna obſervavit.

CAPUT IX

1. Deinde magna voce exclamavit: Accedant, qui poenas ſumant de hac urbe omnes inſtructi armis lethiferis. 2. Tum ſex homines e porta ſuperiori, quae ſeptentrionem ſpectat, veniebant, ſinguli inſtrumentum deſtructionis manu tenentes. In his unus erat veſte linea indutus, a cujus latere pendebat *a*) atramentarium. Qui cum ad aram aeneam ſubſtitiſſent, 3. majeſtas Dei Iſraelitarum ex Cherubinis, ſuper quibus conſederat, ſurrexit atque ad introitum templi ſeſe contulit, et virum illum veſte linea indutum et atramentarium in latere geſtantem, his verbis eſt allocutus. 4. Peragra urbem Hieroſolymam atque nota quadam conſigna in fronte eos, qui ad tot ſcelera abominanda in urbe patrata ſuſpirarunt et doluerunt. 5. Reliquis vero dixit: Sequimini illum et caedite *b*), non parcatis, non miſereamini. 6. Senes, juvenes, virgines, parvulos et mulieres interficite, tantum illis qui ſigno ſunt notati parcite, et a loco

a) Ex more ſcribarum orientalium, de quo cf. *Harmarus* in Obſervatt. Orient. P. II. pag. 469.

b) Lectionem textualem על ſanam eſſe, nec in אל mutandam ex ſententia Maſorethárum, contendit *Schultenſius* ad Jobum p. 268. Etenim illud על nonnunquam explicandum eſſe per *non obſtante* ex uſu hujus particulae in lingua Arabica. Verſiones antiquae omnes exhibent lectionem marginalem.

loco mihi ſacro incipite. Inceperunt igitur a ſenibus illis, qui in templo erant. 7. Tum iterum eos juſſit templum inquinare et cadaveribus occiſorum implere, deinde in urbe caedere. 8. Quod cum ab eis fieret et ego ſolus relinquerer, pronus in faciem cecidi atque exclamavi: o domine Jova, num tu omnes reliquos Iſraëlitas perdes ira tua in Hieroſolymam effuſa? 9. Reſpondit mihi: Iniquitas Iſraëlitarum et Judaeorum nimis magna eſt, tota terra caedibus plena eſt et urbs idololatria. Exiſtimant enim me terram deſeruiſſe, neque iſta curare. 10. Igitur ego quoque non parcam, nec miſerebor. Rependam eis quod factis ſuis commeruerunt. 11. Tum vir ille veſte linea indutus et atramentario inſtructus referebat, ſeſe feciſſe, quod juſſus eſſet.

CAPUT X

1. Deinde videbam in tympano iſto, quod erat ſuper Cherubis, quaſi lapidem ſapphirinum, figuram throni repraeſentantem. 2. Et dixit Jova viro illi veſte candida induto: ingredere ad rotas, quae ſunt ſub Cherubis, et imple volas carbonibus igneis, qui ſunt inter Cherubinos, eosque ſparge ſuper urbem. Ingreſſus igitur eſt me ſpectante. 3. Cherubi vero ſtabant in dextro templi latere, cum vir ille intraret, et nubes implevit atrium interius. 4. Tum elevavit ſeſe gloria Jovae e Cherubis ſuper limen templi, et

cum templum nube repletum fuit, tum etiam atrium ſplendore majeſtatis divinae. 5. Strepitus vero alarum Cheruborum adeo in atrio exteriori audiebatur. Similis enim erat tonitru omnipotentis. 6. Cum igitur juſſiſſet virum illum veſte candida indutum e loco ſub curru et Cherubis ignem capere, ille ingreſſus eſt et juxta rotas ſubſtitit. 7. Tum alter Cheruborum manum ſuam extendit ad ignem, qui erat inter Cherubos, et dedit de eo in volas veſte linea amicti. Quo accepto ille exiit. 8. Videbantur vero Cherubi ſub alis ſuis manus habere humanas. 9. Deinde animadverti quatuor rotas juxta Cherubos ſingulas apud ſingulos. Color vero iſtarum rotarum ſimilis erat hyacintho lapidi. 10. Omnes autem quatuor ſibi ſimiles erant et quaſi rota rotae eſſet interjecta. 11. Quando ibant, in quatuor latera poterant moveri, nec convertebantur inter eundum. Locum quem priores ſpectabant, ad eum et *poſteriores* ſequebantur, nec ſeſe inter eundum vertebant. 12. Corpora vero Cheruborum, dorſa, manus, alae, nec non rotae ipſae in quatuor ſuis partibus circumquaque varios colores ſpargebant. 13. Tum rotis illis me audiente acclamatum eſt: volvitor. 14. Quaternas vero facies habebant ſinguli *Cherubi*, unam Cherubi, alteram hominis, tertiam leonis, quartam aquilae. 15. Et attollebantur Cherubi. Eadem haec erant animalia, quae ad flumen Cabarim videram. 16. Euntibus Cherubis ibant

ibant etiam rotae juxta eos, et quando illi alas attollebant ut ſeſe efferrent, hae quoque ab illis non diſcedebant. 17. Illis ſtantibus ſtabant, illis ſublatis tollebantur et ipſae. Spiritus enim animalium ad eas pertingebat. 18. Cum vero majeſtas Jovae e limine templi ſeſe extuliſſet atque ſuper Cherubis ſubſtitiſſet, 19. hi ſublatis alis e terra me ſpectante procedebant, et rotae una cum illis, et ſubſtitit *vehiculum* ad portam templi orientalem, et ſuper eo majeſtas Dei Iſraëlitarum apparebat. 20. Eadem haec erant animalia, quae ſub Iſraëlitarum Deo ad flumen Cabarin videram, plane perſuaſus ea Cherubos fuiſſe. 21. Singula quaternas habebant facies et quaternas alas, et ſub his quaſi manus humanas. 22. Facies eorum ſimillimae erant his, quae ad flumen Cabarin videram. Color idem partium et ſingula antrorſum ſeſe movebant.

CAPUT XI

1. Deinde vento ſublatus deductus ſum ad portam templi Jovae orientalem a). Ibi in ipſo portae introi-

a) Videtur nova pars eſſe viſionis illius prophetae, non eadem de qua Cap. VIII, 16. dixerat, quod *Grotius* putat. Nullum adeſt indicium, ex quo colligi poteſt, prophetam, quae in illo loco viderat et narrare inceperat, non abſolviſſe. Quae capite nono et decimo narrantur, vidit in aliis templi locis, ex quibus denuo deductus eſt ad por-

tu vidi quinque et viginti viros, in quibus erant Jaaſanja Aſſeri filius et Peladja' Benajae filius, principes populi. 2. Et dixit ad me Jova: Viri iſti mala cogitant et prava ineunt contra hanc urbem conſilia. 3. Non adeo inſtat *calamitas*, inquiunt, licet domos exſtruere. Illa *urbs* olla eſt, nos caro. — — 4. Propterea vaticinare contra eos, vaticinare, inquam, homo. 5. Tum ego ſpiritu divino ſum impletus: atque ille ex Jovae auctoritate haec dicere me juſſit: Vos quidem ita ſentitis Iſraëlitae. Novi cogitationes veſtras. 6. Complures commiſiſtis caedes in hac urbe, impleviſtis eam confoſſis. 7. Propterea haec dicit dominus Jova: illi, quos vos in ipſa urbe interfeciſtis, caro ſunt, urbs olla. Vos vero ex ea extraham. 8. Gladium timetis, ſed adducam gladium adverſus vos, inquit dominus Jova. 9. Vos ex urbe extractos tradam peregrinis, poenam de vobis ſumturus. 10. Gladio interficiemini, in ipſis terrae *b*) veſtrae terminis vos puniam, ut intelligatis, me Jovam eſſe. 11. *c*) Urbs non erit vobis pro olla, nec vos

portam orientalem, et quae ibi viderit, in hoc capite narrat.

b) Riblathae, cf. Jer. LII, 9. 2 Reg. XXV, 20.

c) Ex hoc verſu apparet iſtos profanos homines illud proverbium verſ. 3. in bono ſenſu de ſe dixiſſe, ſe in urbe tutos et incolumes futuros eſſe, ut caro in olla. Sed transfert propheta ſimilitudinem ad eos in alium ſenſum.

vos eritis caro in ea. In ipſis terrae Iſraëliticae finibus vos puniam. 12. Tunc intelligetis me Jovam eſſe, cujus ſtatuta non tenuiſtis, nec leges meas obſervaſtis, ſed potius mores et ritus gentium finitimarum. 13. Quae cum vaticinarer, Peladja Benajae filius mortuus eſt. Tum ego pronus in faciem cecidi, atque magna voce clamavi: o domine Jova, tune prorſus conficies etiam iſtas Iſraëlitarum reliquias? 14. Ad haec Jova reſpondit: 15. De popularibus tuis, homo, popularibus *inquam* tuis, qui tecum * captivi ſunt, et omnibus omnino Iſraëlitis, dicere quidem ſolent incolae Hieroſolymae; nimis remoti ſunt a Jova, nobis vero haec terra poſſidenda data eſt. 16. Sed dic eis meo nomine, quanquam eos procul inter gentes abegerim, et in varias diſperſerim regiones, tamen *d*) exorabilem me praebiturum eſſe breve illud tempus, quo in aliis regionibus degent. 17. Propterea promitte eis meo nomine, me velle eos congregare ex omnibus populis, atque ex variis regionibus, in quibus diſperſi ſint, colligere, reddita eis ſua patria. 18. Quo cum venerint, longe a ſe removebunt omnem idololatriam turpem et abominandam. 19. Ego vero novum prorſus animum eis dabo; duro iſto et contumaci remoto, mollem et flexilem eis indam. 20. Ita ut ſecundum leges meas vivant, et jura mea obſervent et praeſtent. Tum vero populus erunt mihi ſacer et

Ff 3 ego

d) Hebr. *ipſe ero eis templum, ſ. ſanctuarium.*

ego curam eorum geram ſingularem. 21. Illis vero qui turpiſſimae et abominandae idololatriae dediti fuerunt, rependam prouti factis ſuis commeruerunt, inquit dominus Jova. 22. Tunc Cherubi ſuſtulerunt alas ſuas et rotae ſeſe una cum illis *movebant*, et majeſtas Dei Iſraëlitarum ſuper illis 23. aſcendit ex urbe et ſubſtitit ſuper monte e) qui eſt urbi ab Oriente. 24. Ego vero a vento ſublatus reductus ſum in Chaldaeam ad captivos in viſione divina, quae deinde f) diſparuit. 25. Quo facto enarravi captivis illis *ſenioribus*, ea omnia quae Jova mihi oſtendiſſet.

CAPUT XII.

1. Deinde Jova mecum haec eſt locutus: 2. Vivis, homo, in populo rebelli, qui quidem oculos habet; ſed non videt, aures habet, ſed non audit, eſt enim populus contumax. 3. Tu igitur, homo, collige ſarcinas, et clara die eis ſpectantibus migra ex hoc loco in alium; fortaſſe attendant. — Sed ſunt homines contumaciſſimi. 4. Convaſa igitur, ac ſi eſſes alio demigraturus. Clara luce videntibus omnibus et circa veſperam egredere, ſicuti ſolent, qui demigrant. 5. Egredieris vero per perruptum a te domus tuae murum eis ſpectantibus. 6. Porro humeros onuſtus egredere, denſa caligine vultu tecto ut terram videre non

e) qui eſt mons oliveti, 2 Sam. XV, 30. coll. Zach. XIV, 4.
f) Quoad phraſin cf. Geneſ. XVII, 22.

non poſſis. Volo enim ut prodigium ſis Iſraëlitis. 7. Feci igitur quod juſſus eram. Sarcinas collegi interdiu tanquam migraturus. Circa veſperam autem pariete perrupto humeros onuſtus nocte caliginoſa egreſſus ſum eis cernentibus. 8. Poſtridie Jova me hunc in modum eſt allocutus: 9. Nonne Iſraëlitae, homines iſti contumaces, te interrogaverunt quid faceres? 10. Reſponde illis: ſic dicit dominus Jova, principem ſpectat haec prophetia, qui Hieroſolymae eſt, omnesque Iſraëlitas ejus incolas. 11. Portentum vobis eſſe debeo. Quemadmodum ego feci, ſic illis eveniet, migrabunt in captivitatem abituri. 12. Princeps eorum humeris *ſarcinam ſuam* ferens nocte caliginoſa egredietur, muro ab eo hunc in finem perrupto: faciem ſuam obvelabit, ita ut nec terram poſſit videre. 13. Ego vero, inquit Jova, expandam rete meum ſuper eo, quo capietur. Babylonem in Chaldaeam eum deducam, quam tamen oculis ſuis non videbit, ibi morietur. 14. Et omnes ejus aulicos, ſatellites, milites diſpergam in omnes coeli plagas et ſtricto gladio perſequar. 15. Tum intelligent me Jovam eſſe, qui eos inter gentes diſperſerim, et per varias diſſiparim regiones. 16. Admodum paucos ex eis relinquam gladio, fami et peſti evaſuros, ut inter gentes ad quas pervenerint narrare poſſint ſcelera ab ipſis commiſſa, et me Jovam eſſe fateantur. 17. Deinde Jova me juſſit 18. panem meum trepide comedere, et aquam

pavide bibere et anxie. 19. Atque hujus terrae incolis dicere: Sic dominus Jova ait de incolis Hieroſolymae terraeque Iſraëliticae: panem cum ſollicitudine comedent et aquam bibent attoniti. Terra enim eorum tota vaſtabitur propter communem incolarum impietatem. 20. Urbes habitatae deſtruentur, et terra deſolabitur, ut intelligatis me Jovam eſſe. — —
21. Porro Jova mihi dixit: 22. Quid eſt, quod in terra Iſraëlitica dictitare ſolent: differentur in longum tempus aut nunquam implebuntur iſta vaticinia?
23. Igitur dic illis: Scitote, inquit dominus Jova, me effecturum eſſe ut ceſſent iſta dicteria, non amplius talia a vobis proferentur. Confirma eis, utique tempus inſtare, quo iſta vaticinia impleantur. 24. Non amplius audientur inter Iſraëlitas vana iſta oracula et divinationes blandae. 25. Ego Jova loquor, et quod locutus fuero, fiet, non differetur diutius. Veſtris temporibus, natio contumax, loquar et praeſtabo quod locutus ſum, inquit dominus Jova. 26. Porro Jova mihi dixit: 27. Iſraëlitae, homo, exiſtimant vaticinia iſta *tua* remota admodum tempora ſpectare.
28. Sed dicito eis meo nomine: non differentur ulterius quae dixi. Evenient ea quae ſum locutus, inquit dominus Jova.

CAPUT XIII.

1. Jova hunc in modum me eſt allocutus: 2. Vaticina-

cinare, homo, de prophetis Iſraëlitieis: ita vero dicere debes iſtis, qui, quae ipſis placent, proferunt: Audite quod Jova dicit. 3. Hoc vero eſt, quod vobis minatur. Vae! ſtolidis iſtis prophetis, qui ſuas ſequuntur opiniones, deſtituti revelationibus divinis. 4. Prophetae veſtri, o Iſraëlitae, ſimiles ſunt vulpibus in deſerto *a*). 5. Vos non * ſtetiſtis pro ruinis, nec ſepire domum Iſraëliticam conati eſtis, ut belli tempore defendi poſſit, poena a Jova irruente. 6. Vana ſunt quae vidiſſe perhibent, divinationes eorum ſunt mendaces. Jactant oracula Jovae, cum tamen eos Jova non miſerit, et populo perſuadent, rata futura eſſe dicta ſua. 7. Nonne falſae ſunt viſiones veſtrae et divinationes mendaces? et tamen mea haec eſſe oracula dicitis, quanquam nihil ad vos ſim locutus. 8. Propterea haec dicit dominus Jova: quoniam falſa loquimini et nil niſi mendacia profertis, jam in vos me convertam, inquit dominus Jova. 9. Immo animadvertam in falſos iſtos prophetas, mendacia tantum divinantes. Non erunt in coetu populi mei, non inſcribentur catalogo Iſraëlitarum, non redibunt in terram Iſraëliticam, ut intelligatis me dominum Jovam

a) Famelicis admodum. Tales erant falſi iſti prophetae, lucrum ſuum tantum ſectantes, et propterea vaticinantes ea, quae populus lubenter audiret. Quod propheta diſerte dicit infra verſ. 19. Quales etiam Micha deſcribit Cap. III, 3 ſeqq.

vam eſſe. 10. Propterſa quod in errorem ſeduxerunt
meum populum, pacem ei promittentes, cum minime
pax eſſet *expectanda.* Alius quidem exſtruit parietem,
et reliqui obducunt eum tectorio inepto. 11. Dic iſtis,
qui adeo inſolide trulliſſant: caſura eſſe, quae ex-
ſtruunt, ab imbre inundante. * Dejiciam lapides gran-
dinis. *b*) Ventus procelloſus deſtruet iſtum parietem.
12. Cujus ruina merito vobis exprobrabitur, quod pa-
rum ſolide eum exſtruxiſtis. 13. Propterea immittam
in ira mea, inquit dominus Jova, ventum procello-
ſum, et imbrem inundantem in fervore meo, et gran-
dinis lapides in indignatione mea ad perdendum.
14. Sic deſtruam parietem, quem inepto tectorio ob-
leviſtis, ad terram eum dejiciam et funditus ever-
tam. In quo ejus caſu vos quoque peribitis et intelli-
getis me Jovam eſſe. 15. Atque ſic omnem iram meam
effundam cum in parietem iſtum, tum in architectos
ineptos, et tunc mihi ipſe videbor ſatisfeciſſe, cum
nec paries, nec qui eum obleverant, ſuperſunt.
16. *Hi ſunt c*) prophetae Iſraëlis, vaticinantes Hiero-
ſolymae, qui bona omnia ei praedicunt, etſi longe
alia ſint eventura. Hoc dicit dominus Jova. —

17.

b) תִּפֹּלְנָה quod in textu legitur, conſtruendum eſt cum אַבְנֵי quod eſt generis foeminini, ſuppleto אשׁר. Igitur eſſet ad verbum: *et dabo lapides grandinis qui cadent*, quod uno verbo expreſſi, uti eſt in verſione.

c) Ipſe explicat, quinam ſint illi incruſtatores.

17. Jam te quoque homo converte ad foeminas de populo tuo, quae et ipſae ſeſe prophetiſſas jactant, et vaticinare contra eas, 18. his verbis: Haec dicit dominus Jova: Vae! his quae conſuunt pulvinaria omnium brachiis apta et cervicalia pro cujusque ſtatura ad inſidiandum hominibus. Vos quidem populo meo inſidiamini; num vosmet ipſae ſalvae *d*) eritis? 19. Vos abutimini nomine meo apud populum meum pro pugillo hordei, pro fruſtulo panis, ut mortem minemini iis, qui non morientur, et ut vitam promittatis iis, qui non vivent, mentiendo ſic populo meo, qui lubenter audit iſta mendacia. 20. Propterea ſic dicit dominus Jova: en! ego iſta veſtra pulvinaria quibus aliorum vitae inſidiamini * abripiam a brachiis veſtris, et efficiam, ut ii quorum vitae inſidias ſtruitis effugere poſſint. 21. Nec non cervicalia iſta veſtra exſcindam, et eripiam populum meum veſtris manibus, non amplius eum permittam veſtris inſidiis; ex quo intelligetis me Jovam eſſe. 22. Propterea quod *e*) dolore afficitis mendaciis veſtris animos

d) Sic fere Syrus locum difficilem intellexit, quanquam non interrogative, quod tamen, ſi haec explicatio admittitur, neceſſarium videtur.

e) Fortaſſe pro הַכְאוֹת legendum eſt הַכְאוֹב ex oppoſitione ad apodoſin. Ex verſionibus nihil definiri poteſt. Nec tamen ſenſus magnopere differt etiam ex recepta lectione.

mos proborum, quos nolebam contriſtari, et confor-
tamini manus improborum bona omnia eis permitten-
do, ita ut in prava ſua vita continuo pergant. 23. Sed
non amplius falſa vaticinabimini, nec diutius divina-
tiones jactabitis. Eripiam populum meum veſtris ma-
nibus, ita ut me Jovam eſſe intelligatis.

CAPUT XIV

1. Venerunt ad me *a*) quidam ex principibus Iſraëli-
tarum. Qui cum conſediſſent, 2. dixit ad me Jova:
3. Viri iſti, homo, non ſolum intus ſunt idololatrae,
ſed etiam externe actu ipſo idola colunt, num * ro-
gatus eis reſpondebo? 4. Dic eis meo nomine: qui-
cunque ex Iſraëlitis idolorum amorem in animo fovet
atque ipſo facto etiam prodit, hunc, ſi prophetam ac-
ceſſit, eum *interrogaturus*, de idololatria *b*) ſua con-
vin-

a) *Grotius* putat fuiſſe Serajam, et qui cum eo miſſi erant a rege Sedekia Babylonem, Jer. LI, 59. Hi Ezechielem prophetam adeo celebrem in itinere a ſe compellandum fortaſſe ſunt arbitrati.

b) Lectio textualis בֹּה ſana eſt, perperam a Maſorethis mutata in בָּא quae prorſus eſt inepta. Illa vero prodit Syriaſmum, ſecundum quem affixum ſaepe ſolet caſum obliquum nominis pleonaſtice praecedere. Igitur illud בֹּה conſtruendum eſt cum ſequenti בְּרוֹב: Quem ſuae linguae Idiotiſmum Syrus interpres recte retinuit, eademque conſtructione uſus eſt: *Ego Jova teſtis contra eum ero*

vincam. 5. Ut manifeſtum fiat, quomodo Iſraëlitae affecti ſint *erga me*, nimirum eos per idololatriam ſuam prorſus a me defeciſſe. 6. Propterea dic eis meo nomine: revertimini ab idolis veſtris, avertite a rebus iſtis abominabilibus facies veſtras. 7. Nam quicunque, ſive Iſraëlita ſit, ſive peregrinus, me relicto ad idola ſe convertet, atque iſta peccati ſui objecta cultu etiam proſequetur, cum prophetam acceſſerit, me per eum interrogaturus, hunc *defectionis ſuae* convincam. 8. Ira mea in ejusmodi hominem converſa, eum perdam. Exemplum erit aliis et proverbium, auferam eum e populo meo. Et ſic intelligetis me Jovam eſſe. 9. Prophetam autem, qui deceptus fuerit *ſpe lucri*, ut revelationem divinam fingat, ego Jova rurſus decipiam, nimirum manu mea in eum extenſa auferam eum e populo Iſraëlitico. 10. Et aequalem poenam dabunt, cum is qui *illum prophetam* conſuluit, tum propheta ipſe, 11. ut ne amplius Iſraëlitae a me aberrent, nec ſeſe tot peccatis inquinent, ſed ut ſint populus mihi ſacer, cujus et ego poſſim eſſe Deus *favens et benignus*, inquit dominus Jova. — — 12. Porro Jova mihi dixit: 13. Si regioni cuipiam, quae contra me graviter peccavit, poenae loco, ſublatis omnibus vitae adminiculis, famem immit-

ero בְּהּ בְּסוּגָאא דְדַחְלָתְהּ *propter multitudinem idolorum ſuorum.* Vulgatus prorſus omiſit. Recte, ex genio linguae ſuae, quod et ego feci.

mittam, hominesque et animalia in ea exſcindam;
14. et tres illi viri Noachus, Daniel et Jobus in ea
fuerint: hi tantum propter probitatem ſuam vivi eva-
dent, inquit dominus Jova. 15. Aut ſi fera animalia
per regionem quandam graſſari juſſero, quae eam ita
vaſtent, ut nemo eo iter facere audeat: 16. tres illi
viri non filios, non filias ſuas (per vitam meam juro
dominus Jova) ſervabunt, ipſi ſoli ſalvi evadent e to-
tius terrae vaſtatione. 17. Aut ſi hoſtem contra ter-
ram aliquam adduxero, eamque vaſtari per eum juſ-
ſero deletis hominibus et animalibus: 18. et tres illi
viri in ea vixerint, per vitam meam juro, inquit do-
minus Jova, non filios aut filias ſuas ſervabunt, ipſi
ſoli tantum evadent. 19. Aut ſi peſtem regioni cui-
dam immiſero et effuſa in eam ira mea homines et
animalia auferre decrevero: 20. Noachus vero, Da-
niel et Jobus in ea fuerint, per vitam meam juro, in-
quit dominus Jova, non filios ſuos aut filias libera-
bunt, ipſi ſoli tantum propter pietatem ſuam ſerva-
buntur. 21. c) Quanto magis igitur, inquit Dominus
Jova, quum iſta quatuor ſupplicia mea atrociſſima,
gladium, famem, fera animalia et peſtem Hieroſoly-
mae immiſero ad auferenda ex ea homines et beſtias.

22.

c) Eſt Anacoluthon, et ſupplendum: Quanto magis — —
verendum eſt, ut ullus in ea ſuperſtes maneat aut evadat
ex tot ſuppliciis. Attamen hoc fiet. Quod in ſequenti
verſu promittitur.

22. Attamen remanebunt in ea quidam qui evadent; qui cum filiis ſuis et filiabus ad vos venient. Quorum fata cum cognoveritis, ſolatii aliquid percipietis in calamitate illa graviſſima, quam in Hieroſolymam induxi. 23. Immo ſolatium quoddam vobis praebebunt, quando ex eis quae experti ſunt, intelligetis, me non ſine cauſa ſic cum eis egiſſe; inquit dominus Jova.

CAPUT XV

1. Jova me hunc in modum eſt allocutus: 2. Quid eſt, homo, in quo vitis praeſtet aliis arboribus *a*) ſilveſtribus? 3. Num ſumi poteſt ex ea lignum, quod adhibeatur alicui operi? num clavus ex ea parari poteſt, in quo quodpiam ſuſpendatur utenſile? 4. Quid? ſi ea in ignem projecta, duae ejus partes extremae igne conſumtae ſint, medium autem uſtulatum, num uſui cuidam apta erit? 5. Cum integra eſſet, non poterat ulli operi inſervire, multo minus aduſta et fere igne conſumta operi cuidam adhibebitur. 6. Jam igitur, inquit dominus Jova, ſimiles reddam incolas Hieroſolymae ejusmodi viti ſilveſtri igni a me deſtinatae. 7. Pro ira mea erga eos efficiam, ut uno igne erepti alio igne conſumantur. Ex quo intelligi poterit me Jovam eſſe, qui vehementer eis iraſcatur. 8. Va-

a) ſc. infructuoſis. *Arbor rami* ſ. ramoſa, pleonaſtice dicitur. Athnachus h. l. male poſitus eſt. Poſt הַזְּמוֹרָה ponendus.

8. Vaſtabo terram, quia graviſſime peccarunt, inquit dominus Jova.

CAPUT XVI

1. Jova me hunc in modum eſt allocutus: 2. Oſtende, homo, Hieroſolymae ſua ſcelera *a*) 3. his verbis: Haec dicit dominus Jova Hieroſolymae: originem nataleſque trahis e terra Cananaea. Pater tuus Amoraeus fuit, mater Chetita. 4. Cum natus eſſes, umbilicus tibi non eſt praeciſus, non aqua abluta es ut munda eſſes *b*). Non ſale conſperſa, non faſciis involuta. 5. Nemo commiſeratione erga te motus praeſtitit tibi quidquam iſtorum omnium, aut id beneficii tribuit. Humi abjecta jacebas morti expoſita ſtatim cum nata eſſes. 6. Vidi te, cum forte praeterirem, ſanguine tuo inquinatam, vive, inquiebam, cruenta, vive, ſanguine foeda. 7. Effeci ut creſceres mirum in modum, ut herba in agro germinans. Creviſti, adoleviſti, ad plenam pulcritudinem perveniſti. Mammae ſororiarunt, et pubes ſuccrevit, ſed nuda adhuc eras, nec veſtita. 8. Cum igitur praeteriens viderem te jam maturam viro, te mihi deſponſavi et veſtibus indui. Solenni jurisjurandi formula pactum

a) Epiſtola ad eum miſſa. *Grotius.*

b) לְמִשְׁעִי parum accurate in Lexicis explicatur. Eſt a מָשַׁע Arab. مشع *tergere*, vid. *Schultenſius* de Defectibus pag. 22 ſeqq.

paɛtum tecum inii, inquit dominus Jova, mea facta es. 9. Lavi te aqua, ablui cruorem tuum, oleo te unxi. 10. Veſte te indui acu picta, calceos tibi dedi ex pellibus phocarum confectos, ſtragula tua byſſina fuerunt et tegumenta ſerica. 11. Vario mundo te ornavi, manus armillis, collum torque. 12. Naſum annulo, aures inauribus et caput corona pulcherrima. 13. Sic igitur ornata auro et argento, induta byſſo, ſerico, opere phrygionico, ſimila, melle et oleo nutrita pulcherrima evaſiſti, regiam dignitatem conſecuta, 14. ita ut pulcritudinis tuae fama ad alias quoque gentes perveniret, quippe quae perfectiſſima habebatur propter illa ornamenta a me tibi tributa, inquit dominus Jova. 15. Sed tu ob pulcritudinem illam tuam ſuperbiens ſcortari coepiſti, oblita nominis tui c), immo profuſae libidini te tradidiſti omni viatori d) forte obvio. 16. Ve-

c) עַל־שְׁמֵךְ׃ Praepoſitio עַל poteſt h. l. explicari per *non obſtante.* Quam ſignificationem ei interdum tribuendam eſſe, ſupra obſervatum eſt ad Cap. IX, 5. Senſus tunc eſt: Quanquam a me nominabaris ut mihi deſponſata ſ. conjux mea, tamen ſcortabaris etc. Poſſet etiam explicari: propter nominis tui famam ſ. celebritatem, ut praecedenti membro reſponderet, ſed prius praefero.

d) לוֹ יֶהִי Vulgatus vertit: *ut ejus fieres.* Codex Vaticanus non habet, ſed Alex. *ὃ ἐκ ἔϛαι.* Syrus omiſit, et Chaldaeus legit לֹא יֶהִי *quod non debebas facere.*

16. Veſtimenta tua adhibuiſti ſtruendis ſacellis, variis ſtragulis ornatis, in quibus * inauditam turpitudinem perageres. 17. Sumſiſti mundum tuum, aurum et argentum quod tibi dederam, atque ex eo imagines maſculas feciſti. Cum his ſcortata es, 18. has veſtimentis tuis acu pictis operuiſti, his unguentum et ſuffitum meum obtuliſti. 19. Panem meum, quem tibi dederam, ſimilam, oleum et mel, quibus te alueram, his adpoſuiſti tanquam oblationes ſuaves. Quae ſunt veriſſima, inquit dominus Jova. 20. Filios tuos filiasque mihi natas eis ſacrificaſti: Quaſi iſta ſcelera non ſatis enormia eſſent: 21. niſi et filios meos mactares aut eos *idolis* iſtis ſacrares trajiciendo eos *per ignem.* 22. Inter tot tuas abominandas ſcortationes non recordata es juventutis tuae, cum nuda eſſes et detecta et ſanguine tuo inquinata. 23. Praeter tot iſta tua ſcelera (vae! vae! tibi inquit dominus Jova) 24. lupanar tibi aedificaſti. In omnibus vicis loca excelſa exſtruxiſti, 25. In omnibus viarum compitis ſacella tibi erexiſti, et deturpaſti pulcritudinem tuam; ſuſtuliſti pedes tuos omnibus viatoribus, ſtupra tua ſubinde multiplicans. 26. Et ſic ſcortata es cum Aegyptiis vicinis tuis *e*) bene vaſatis.

Qua

e) Hebr. גִּדְלֵי בָשָׂר Aegyptii variae et multiplici, quod ſatis conſtat, idololatriae dediti erant. Innuit igitur propheta Judaeos Aegyptiorum ſacra in omnibus ſectatos aut imitates eſſe.

Qua multiplici tua ſcortatione graviter me irritaſti. — 27. Cum vero per iram meam portionem tibi ſtatutam imminuerem, teque traderem inimicis tuis Philiſtaeis, quos adeo pudebat vitae tuae ſceleratae: 28. ſcortata es cum Aſſyriis, quod ſatiari nullo modo poteras; at ne cum his quidem libidini tuae ſatisfactum eſt, 29. ſed in impudicitia tua per Cananaeam ad Chaldaeos uſque perrexiſti, ne ſic quidem exſaturata. 30. Quam *f*) fervet cor tuum *prae libidine*, inquit dominus Jova, dum iſta omnia facis, quae non ſunt niſi meretricis impudentiſſimae! 31. Cum lupanaria tibi exſtruebas in omnibus viarum compitis et ſacella tibi parabas in omnibus vicis, non te geſſiſti ut alia meretrix, quae de mercede gloriatur *g*), 32. aut ut mulier adultera, quae loco mariti alienos quoque admittit. 33. Alias enim meretricibus dona dari ſolent, tu vero amaſiis tuis mercedem dediſti, eosque muneribus undique allexiſti ad libidinem tuam. 34. Tu quidem in tuis ſcortationibus diverſa prorſus ratione agis quam aliae mulieres: tu non ambiris ad ſcortandum, ſed tu ipſa pretium ſolvis, tibi vero pretium non datur. Sic alia tui ratio eſt. 35. Propterea, meretrix, audi Jo-

f) Ex ſignificatione primaria verbi מלל vid. *Golius* p. 2255.

g) לְקַלֵּס ex ſignificatione hujus verbi in lingua Syriaca et Chaldaica.

vae ſententiam. 36. Sic dicit dominus Jova: Quo-
niam *gg)* ſpurcitie adeo effuſa fuiſti, et pudenda tua
detexiſti tuis ſcortationibus coram amaſiis tuis et
tot idolis abominandis, quibus et filios tuos mactaſti:
37. ego congregabo omnes amaſios tuos, quibus te
tradidiſti, cum omnes quos amaſti, tum quos odiſti;
congregabo, inquam, omnes et retegam coram eis
pudenda tua, ut ea omnes videre poſſint. 38. Sup-
plicio te afficiam, quo puniri ſolent adulterae et ho-
micidae. Poenam de te ſumam, qualem zelotypia
commotus maritus exercere ſolet. 39. Tradam te
eorum manibus. Hi deſtruent fornicem tuum, ever-
tent ſacella, teque veſtibus ſpoliatam omnique orna-
tu pretioſo privatam, nudam relinquent et retectam.
40. Adducta contra te multitudine, te gladiis con-
foſſam

gg) נְחֻשְׁתֵּךְ Omnes antiqui interpretes, praeter Chaldaeum, ex vulgari ſignificatione vertunt *aes tuum*, quod de pecunia recentiores nonnulli explicant. Sed Chaldaeus vertit *quoniam revelatus eſt* בַּהֲתָתִיךְ *pudor tuus*, eſt enim ſynonymum hebraei עֶרְוָה quod ſequitur. Quae ſignificatio ſine dubio hujus loci eſt, atque voci נחשת fortaſſe adſtrui poteſt ex Arab. نَجَسٌ *impuritas, ſpurcities*. Non deſunt enim exempla permutationis litterae ج cum ח hebraeorum. — — Pro כִּדְמֵי legendum eſt בִּדְמֵי quod ex parallelifmo membrorum et verſſ. antiquis probatur.

foſſam lapidibus obruent. 41. Domos tuas igne comburent variisque te afficient ſuppliciis, ſpectantibus multis aliis mulieribus. Et ſic coërcebo libidinem tuam, neque amplius mercedem ſolves. 42. Ira mea te premet, ſatisfiet zelotypiae meae, et ſic quietus ero indignatione levatus. 43. Etenim non recordata es juventutis tuae, ſed iſtis omnibus me irritaſti. Propterea rependam tibi in caput tuum iſtam agendi rationem, inquit dominus Jova, ita ut non poſſis novis priora augere ſceleribus. 44. Qui parabolice loqui ſolent, ita de te dicent: ſimilis matri *h*) filia. 45. Matri enim tuae ſimilis es, faſtidienti maritum ſuum *i*) et liberos *k*), et ſororibus tuis *l*) ſimillima es, quae et ipſae maritos et natos ſuos repudiarunt. Mater veſtra Chittaea fuit, et pater Amorraeus. 46. Soror tua natu major, Samaria eſt et filiae ejus, quae tibi ad ſiniſtrum habitat; altera natu minor tibi ad dextram, Sodoma eſt cum filiabus ſuis. 47. Sed non earum mores imitata es, nec eadem

 com-

h) *Matrem* vocat Chananaeos et alias gentes, quae terram eandem ante tenuerant. Sic *Grotius*, qui et in ſequentibus allegoriam bene explicavit.

i) Deum verum, cujus notitiam a Noacho habebant.

k) In honorem Saturni, quem Phoenices, qui ſunt Chananaei, primitus coluerunt.

l) Sorores ſunt Sodoma, et Ammonitae et Moabitae, quorum origo e Sodomis, et Samaria metropolis regni Iſraëlitici.

commiſiſti flagitia: quae leviora adhuc tibi videbantur, ſed longe nequiorem te geſſiſti in omni vita tua. 48. Per vitam meam juro, inquit dominus Jova, non talia patravit ſoror tua Sodoma cum filiabus ſuis, quae tu cum tuis natis. 49. Peccata Sodomae ſororis tuae erant ſuperbia *m*), quod rebus omnibus abundabat et in ſumma ſecuritate cum filiabus ſuis vivebat, et neglectio afflictorum et pauperum. 50. Per iſtam ſuperbiam faciebant mihi exoſa, ita ut non poſſem non eas e medio tollere. 51. Samaria vero ne dimidium quidem peccatorum tuorum commiſit. Longe eam tuis ſceleribus ſuperaſti, ita ut proba videri poſſit reſpectu criminum turpiſſimorum a te commiſſorum. 52. Igitur et tu lues poenam ignominioſam, qua dignam judicaſti ſororem tuam, cum tamen haec propter tua longe turpiora proba videri poſſit; poenam dabis, *inquam*, probroſam, quod ſororem tuam fere innocentem reddidiſti. 53. Sed reducam captivos eorum, nempe Sodomae et filiarum ejus, captivos Samariae et filiarum ejus, et in his etiam tuos. 54. *n*) Sic poenam

m) Ex hoc apparet prophetam non innuere veterem Sodomam a Deo everſam, ſed Ammonitas et Moabitas, qui ex illis originem habebant. Horum vero proprium vitium fuit ſuperbia. cf. Eſ. XVI, 6. Jer. XLVIII, 27. XLIX, 1.

n) לְמַעַן accipio de eventu.

nam tuam lues et pudebit te eorum quae feciſti. Illis vero ſuos tua erit ſolatio *o*). 55. Sed ſoror tua Sodoma cum filiabus ſuis revertetur ad ſtatum ſuum priſtinum, nec non Samaria, et tu quoque cum tuis res tuas recuperabis. 56. Illa Sodoma, cujus tu tempore felicitatis tuae ne mentionem quidem facere ſolebas, 57. antequam ſcelera tua manifeſtarentur. Nempe cum Syri et vicini Philiſtaei te ignominioſe tractarent, et undique diriperent. 58. Feres igitur ſcelerum tuorum turpiſſimorum poenas, inquit Jova. 59. Hoc enim tibi minitor, me tibi facturum eſſe, quemadmodum tu feciſti, quae non dubitaſti foedus rumpere rite ſancitum. 60. Attamen ego memor ero illius foederis tecum olim in juventute tua initi, illudque reſtaurabo in aeternum duraturum. 61. Tum te pudebit vitae tuae ante actae, quando tibi jungentur ſorores tuae natu majores et natu minores, quas tibi ut filias jungam, ſed non ex pacto tuo. *p*) 62. Reſtaurabo enim tecum foedus meum, et intelliges me Jovam eſſe. 63. Memoria peccatorum tuorum ſummo te pudore afficiet, ita ut ne verbum quidem proferre poſſis, quando tibi tot tua delicta condonavero, inquit dominus Jova.

Gg 4 CAPUT

o) Quando nempe videbunt te aeque ac ipſos in exilium eſſe abductum.

p) h. e. non quod ex tua parte pacto ſteteris. Ita Chaldaeus.

CAPUT XVII

1. Jova me hunc in modum eſt allocutus: 2. Propone, homo, aenigma et parabolice loquere cum Iſraëlitis. 3. Haec dominus Jova dicit, inquies, Aquila magna, magnis alis, longis pennis, plena plumis variegatis, venit in Libanum *a*) et cacumen illius cedri abſtulit. 4. Extremos ejus ramos decerptos abduxit in terram mercatorum, in negotiatorum urbe depoſuit. 5. Partem vero ſeminis terrae *b*) commiſit agro feraci, et *c*) juxta aquas multas, in locis irriguis collocavit. 6. Quae cum germinaſſet, excrevit in

a) Nebucadnezar, qui Jechoniam in captivitatem Babylonicam abduxit.

b) Sedekiam e ſtirpe regia regem conſtituit in locum Jechoniae.

c) קַח eſt infinitivus a לָקַח eujus forma praeter h. l. extat Hoſ. XI, 3. atque ex analogia aliarum illuſtrata a *Schultenſio* in Inſtitt. L. Hebr. p. 320. Ad verbum igitur eſt: *ſumendo ad aquas multas poſuit.* Sed ille infinitivus ex idiotiſmo linguae πλεονάζει. — צַפְצָפָה vocabulum ἅπαξ λεγ. poteſt analogice derivari a צוּף *fluere*, ut forma nominis ſit fluxum aquarum copioſum indicans, ſuppleta praepoſitione Bet. Judaei explicant per *ſalicem*, quae ſignificatio etiam ex lingua Arabica illuſtrari poteſt (Golius p. 1362.) tunc ſupplendum eſt Caph ſimilitudinis. Deſiderant enim ſalices fundum aquoſum. Eſ. XLIV, 4.

in vitem luxuriantem, *d*) humilem quidem, ſed tamen frondentem et radicantem. Sic vitis facta eſt ramoſa et palmitibus inſtructa. 7. Sed extitit *alia* aquila magna *e*), magnis alis, et multis plumis. Ad hanc vitis illa radicibus ſuis deflexit, et palmites ſuos ad eam extendit, ut eam irrigaret ex areolis ſuae plantationis. 8. Cum tamen in agro fertili et aquoſo plantata eſſet, in quo ramos agere, fructus

d) Comparat propheta Sedekiam clientem regis Babylonis non cum cedro, ut majores ejus, ſed cum vite, ad regiam ejus dignitatem illorum longe inferiorem indicandam. Propterea quoque non dicit vitem ex cedro ortam eſſe, ſed cedro iſta dejecta et transplantata ex novo ſemine ſuccreviſſe vitem. Quod obſervo propter objectionem S. R. *Doederlein* admodum ſpecioſam contra vulgarem explicationem h. l. (in Additt. ad *Grotium*), non poſſe ſub vite hac regem Sedekiam intelligi, quoniam propheta dicere non potuiſſet ex cedro ortam eſſe vitem, ſed *populum*, qui ſe regi ſuo ut vitis alii arbori, juxta quam plantata eſt, applicaſſet aut adhaeſiſſet. At enim vero propheta illud non dixit, ſed *ex ſemine terrae*, quod in explicatione allegoriae verſ. 13. ex ſemine regio h. e. ex familia regia dicitur, *ſuccreviſſe vitem*; neque verba hebraea admittunt hanc explicationem. Etenim היה ſequente ל ſemper mutationem alicujus rei ſignificat, nec poterit exemplum afferri, quo dicatur pro *inſervire alicui rei.*

e) Rex Aegypti, qui videtur fuiſſe Apries, cujus meminit Jeremias Cap. XL, 30.

ſere et in vitem excreſcere potuiſſet eximiam. 9. Sic dicit dominus Jova, inquies, num proſperabitur? imo vero radices ejus prior illa aquila evellet, fructus ejus ſuccidet: et ſic exareſcet *vitis ipſa*, et palmites, quos protruſit, pariter exareſcent: neque ad eam radicitus exſtirpandam magna potentia aut exercitu copioſo utetur. 10. Et quanquam *ſibi videtur* bene plantata, tamen non proſperabitur; tanquam vento orientali tacta exareſcet, immo in areolis ſuae plantationis exareſcet. 11. Porro Jova, dic quaeſo, inquit, 12. populo iſti rebelli: an ignoratis quid haec ſignificent? Venit, inquies, rex Babylonis Hieroſolymam, et regem ejus et principes captos deduxit Babylonem. 13. Sed *cum uno quodam* e familia regia pactum iniit, eumque jurejurando conſtrinxit, abductis terrae nobilioribus, 14. ut regnum haberet humile, quo ſeſe efferre non poſſet, et ut fidem ei ex pacto praeſtaret. 15. Sed rebellavit contra eum, legatos miſit in Aegyptum, qui equos rogarent copiasque *auxiliares* quam plurimas. Num haec bene ei cedent? num ſalvus evadet qui haec fecerit? num foedere violato erit incolumis? 16. Per vitam meam juro, inquit dominus Jova, in urbe regis ejus, qui regem eum conſtituit, Babylone, quod ſpreto jurejurando foedus violavit, morietur. 17. Nihil eum juvabit Pharao cum exercitu ſuo ingenti copiisque plurimis, quando aggeres congeſti erunt et arietes admo-

admotae in multorum excidium. 18. Sprevit jusjurandum, foedus violavit. Stipulata manu *fidem promiſit,* et tamen iſta omnia fecit — — non evadet. 19. Profecto haec dicit dominus Jova: non vivam niſi ob illius jurisjurandi, in quo nomen meum adhibuit, contemtum foederisque quo me ſponſorem fecit violationem poenas de eo ſumam. 20. Expandam rete meum ſuper eo, capietur mea decipula, hoc eſt, Babylonem eum deducam, ibi eum judicabo propter peccatum in me commiſſum. 21. Omnes vero una cum eo profugi de militibus aut gladio interficientur, aut diſſipabuntur per omnes coeli plagas: immo intelligetis me Jovam haec eſſe locutum. — — 22. Attamen, inquit dominus Jova, ex ſummo cacumine cedri illius peraltae *f*) de extremis ejus ramis unum aliquem tenellum decerpam, quem in monte alto et ſublimi plantabo. 23. In monte Iſraëlis alto eum plantabo, ubi ramos producet et fructus feret, et fiet cedrus nobilis, ſub qua et palmitum ejus umbra aves, omnisque generis alites

f) Quanquam verbum נָתַתִּי quod in fine prioris hemiſtichii legitur in verſione non expreſſi, tamen mihi non uti *Habigantio* ſuſpectum videtur. Parallelismus membrorum docet, duobus verbis in poſteriori membro reſpondere duo alia in priori. Propheta vero more ſuo unam ſententiam diviſit in duas, quod in verſione latina imitandum non arbitror.

tes habitabunt. 24. Tunc intelligent omnes aliae arbores, me Jovam *g*) poſſe deprimere arbores altas atque elevare humiles, me arefacere poſſe virentes, et germinantes efficere aridas. Haec ego Jova dixi atque etiam praeſtabo.

CAPUT XVIII.

1. Jova me hunc in modum eſt allocutus: 2. Quid vos utimini adagio iſto de terra Iſraëlitica *a*): Patres comederunt omphacem, et dentes liberorum hebetes facti ſunt. 3. Ne vivam ego, inquit dominus Jova, ſi amplius hoc dicterium de Iſraëlitis jactare poteritis. 4. Omnes homines ſunt in mea poteſtate, parentes aeque ac liberi. Quicunque peccaverit, ille morietur. 5. Sed qui probus fuerit, juſtitiae et aequitatis ſtudioſus, 6. qui in montibus non comederit, *b*) qui non adoraverit idola iſta gentis Iſraëliticae, nec uxorem alterius ſtupraverit, nec acceſſerit ad foeminam menſtruatam, 7. qui neminem oppreſſerit, pignus debitori

g) Haec ego in genere de omnibus regnis dicta puto, tanquam concluſione, non de regno Babylonico et Judaico in ſpecie, quod *Grotius* vult. Haberent enim illa nomina עץ גבה et עץ שפל articulum praefixum.

a) Cf. Jer. XXXI, 29.

b) h. e. qui epulis ſacrificalibus non interfuerit, quae in montibus quoque, ubi diis ſacrificatum fuerat, peragebantur.

tori reddiderit, non exercuerit rapinam, cibum eſurienti porrexerit, et nudum veſte texerit, 8. uſuram non fecerit, nec foenus acceperit, omnem iniquitatem averſatus fuerit, ſummam aequitatem in aliorum controverſiis oſtenderit, 9. vitam ſuam ſecundum leges meas inſtituerit, et decreta mea ſumma diligentia et fide executus fuerit: is juſtus vivet, inquit dominus Jova. 10. Si vero idem ille habuerit filium perditum, ſanguinarium *, qui unum iſtorum ſcelerum commiſerit, 11. patris vero virtutes nequaquam fuerit imitatus, quin potius in montibus comederit, cum uxore alterius rem habuerit, 12. pauperem et egenum oppreſſerit, exercuerit rapinam, non reddiderit pignus, idola veneratus fuerit, rem turpem c) commiſerit, 13. uſuram fecerit, foenus acceperit: num vivet? nequaquam. Propter tot ſcelera ab eo commiſſa morietur et poenas luet. 14. Quodſi hic filium habuerit, qui animadverſis tot patris ſui peccatis, metuit, nec illa imitatur, 15. non intereſt epulis ſacrificalibus in montibus, nec iſta populi Iſraëlitici idola veneratur, cum conjuge alterius non rem habet, 16. neminem opprimit, pignus non accipit, nihil vi aufert, cibum eſurienti offert, et nullum veſte tegit, 17. * ab omni injuria abſtinet, foenus et uſuram non accipit, decreta mea exequitur, ſecundum ſtatuta mea vivit; is non morie-

c) Congreſſum cum menſtruata, ut ſupra.

morietur propter patris ſui iniquitatem, vivet. 18. Aſt pater ejus, quoniam alios oppreſſit et diripuit et peſſime ſeſe geſſit inter populares ſuos, is tantum propter peccata ſua morietur. 19. Quaeritis: cur non filius luit patris delicta? nempe quoniam juſtitiae et aequitati operam dedit, atque legum mearum fuit ſtudioſiſſimus, propterea vivet. 20. Quicumque peccaverit, is tantum morietur. Filius non luet patris iniquitatem, nec pater filii. Probus probitatis ſuae praemia habebit, et impius ſuae impietatis fructus percipiet. 21. Quodſi impius ab omnibus, quibus deditus fuerat, peccatis receſſerit, ſtatuta mea obſervaverit, et juſtitiae et aequitati operam dederit, vivet, non morietur. 22. Peccatorum autem commiſſorum nulla erit memoria. Vivet, quod virtuti ſeſe dare inſtituit. 23. Num pernicie peccatoris delecter, inquit Jova, et non potius ejus poenitentia et hinc felicitate? 24. Quodſi pius a pietate ſua defecerit atque ea ſcelera commiſerit, quae non niſi ab impio peraguntur, num is vivet? nulla erit priorum virtutum memoria: morte luet crimina et peccata a ſe commiſſa. — — 25. Et vos negatis meam agendi rationem rectam eſſe? Attendite, quaeſo, o Iſraëlitae, an mea agendi ratio non recta ſit? an non potius veſtra? 26. Si probus a probitate ſua deficiens et impie ſe gerens propterea perit, is iniquitatis ſuae culpam luit. 27. Si contra impius ab impietate ſua recedens probe et recte vivit, is ſuae ſalu-

ti

ti proſpexit. 28. Conſiderans enim peccata quibus ſe dederat, receſſit ab iis, propterea ſalvus erit, non peribit. 29. Et tamen negatis, o Iſraëlitae, meam agendi rationem aequam eſſe? Num hoc de me, o Iſraëlitae, an non potius de vobis dici meretur? 30. Sane ego quemque veſtrum pro ratione vitae ſuae judicabo, o Iſraëlitae, inquit dominus Jova. Redite, immo avertite vos a peccatis veſtris, ne ſint vobis lapſus et ruinae veſtrae cauſa. 31. Abjicite ea a vobis omnia, atque mentem veſtram totam innovate; cur enim mori malletis, o Iſraëlitae? 32. Equidem nequaquam morte peccatoris delector, inquit dominus Jova: poenitentiam agite et felices eritis.

CAPUT XIX

1. Tu vero dic naeniam in Iſraelitarum *a*) reges, 2. hujus argumenti: Quam *b*) mater tua inter leones cubans catulos ſuos enutrivit! 3. Quorum *c*) unus cum in leonem adolevit, rapere didicit hominesque devorare. 4. Quod cum audirent gentes, eum in fovea captum uncinis duxerunt in Aegyptum. 5. *Igitur mater ejus* cum videret, ſpem ſuam, quam concepiſſet *d*), non impleri, alium

a) Hebr. נְשִׂיאֵי cf. Cap. VII, 27.

b) מָה h. l. eſt exprobrantis, ut Cap. XVI, 30.

c) Joachaſi ferocem et crudelem animum innuit, 2 Reg. XXIII, 33.

d) ſc. de reditu capti catuli.

alium *e*) e catulis leonem conſtituit. 6. Is vero *ſimiliter* inter alios leones verſatus praedari et vorare homines coepit, 7. * arces deſtruere, urbes invertere, ita ut tota terra prae rugitu ejus obſtupeſceret. 8. Tum gentes vicinae aliarum regionum contra eum congregatae retia tendunt, et in fovea captum, 9. et caveam uncinis tractum abductumque ad regem Babylonis, in carcerem conjiciunt, ut non amplius ejus clamor in montibus Iſraeliticis audiretur. — — 10. Mater tua * ſimilis eſt viti, quae ad aquas plantata frugifera eſt et frondoſa ex aquarum copia. 11. Ramos protrudit validos ſceptris principum aptos. Sed cum ita inter ſuas frondes creviſſet et alta evaſiſſet cum multis palmitibus, 12. violenter evulſa et humi abjecta eſt. Ventus orientalis fructus ejus arefecit, qui avulſi exaruerunt *f*), virgas vero iſtas validas ignis conſumſit. 13. Jam in deſerto plantata eſt, in terra arida et ſiticuloſa. 14. Ignis erupit e trunco ramorum ejus fructus abſumens, ut non ſupereſſet ramus validus ſceptro regio aptus. Haec naenia eſt certe aliquando proferenda.

CAPUT XX

1. Anno ſeptimo die decimo menſis quinti venerunt ad

e) Eliakimum ſ. Jojakimum, qui a rege Aegypti rex conſtitutus. cf. 2 Reg. XXIII, 35 ſeqq. 2 Paral. XXXVI, 4.

f) In textu ſingularis eſt pro plurali.

ad me quidam de principibus Iſraëliticis ad Jovam interrogandum. Qui cum apud me conſediſſent, 2. Jova me hunc in modum eſt allocutus: 3. Dic Iſraëlitarum principibus meo nomine: Num ad me conſulendum veniſtis? Non vivam, ſi vobis reſponſum dedero, inquit dominus Jova. 4. Num patrocineris *a*) eis, homo? num patrocineris? Immo vero majorum ſuorum ſcelera eis demonſtra 5. his verbis: Sic ait dominus Jova: Tunc cum Iſraëlitas *ut populum mihi ſacrum* ſegregaſſem, ego quoque potentiam meam manifeſtavi *b*) Jacobi poſteris et eis innotui in Aegypto et jurejurando interpoſito promiſi me Jovam Deum eorum futurum eſſe: 6. Illo tempore virtutem meam exſerui, ut eos ex Aegypto educerem, in terram quam eis providiſſem *c*) optimis rebus abundantem, omnium ter-

a) Verbum שָׁפַט de omnibus actionibus dicitur, quae in loco judicii ſive a judice, ſive ab actore, ſive a cauſarum patrono peragantur. Sic pro *defendere* ſ. *cauſam agere* infra quoque dicitur Cap. XXII, 2.

b) Phraſis נשא יד *manum efferre* triplicem habet ſignificatum, primo notat jurejurando aliquid confirmare, deinde potentiam et virtutem exſerere, tandem punire aliquem, metaphora in his omnibus ducta, quod facile apparet, a manuum elatione, quae eſt in ſingulis his actionibus. Atque omnes tres in hoc capite occurrunt, quod ex contextu facile poteſt definiri.

c) Hebr. lacte et melle fluentem, phraſis ſaepe obvia.

terrarum praeſtantiſſimam. 7. Tum vero etiam eis praecepi, ut omnia *d*) idola, quae colerent, abjicerent, nec Aegyptiorum diis turpiſſimis ſeſe contaminarent, quod ego Jova ut Deus ab eis coli vellem. 8. Sed rebellarunt contra me, mihique obtemperare recuſarunt, idola ſua non abjecerunt, nec Aegyptiorum Deos repudiarunt. Tum ego minabar bilem meam in eos effundere, et conſumere in eis meam iram in ipſa terra Aegyptiaca. 9. Nolui tamen committere, ut nominis mei celebritati aliquid detraheretur apud gentes, inter quas vivebant, quibus jam innotuerat, me velle eos ex Aegypto educere. 10. Igitur inde a me eductos in deſertum perduxi. 11. *Ibi* eis leges dedi et ſtatuta propoſui, in quibus implendis omnes felices eſſe debebant. 12. Sabbata quoque eis praeſcripſi, quae ſigna eſſent, ex quibus intelligeretur me Jovam eſſe, qui eos mihi ſacraſſem. 13. Verum in deſerto quoque Iſraëlitae adverſus me rebellarunt, ſecundum leges meas non vixerunt, et ſtatuta, quibus obſervandis omnes felices eſſent futuri, contemſerunt, ſabbata valde profanarunt. Igitur minitabar eos pro irae meae vehementia in ſolitudine perdere. 14. Attamen nolebam, ut nominis mei fama inter gentes, in quarum conſpectu eos eduxeram, minueretur. 15. Igitur quanquam juraveram in deſerto, me nolle eos

d) Hebr. abominationes oculorum ſuorum, ut ſupra VI, 9. XVIII, 6. ſublatis oculis adorare et venerari idola.

eos perducere in terram promiſſam, fertiliſſimam et prae aliis omnibus celeberrimam, 16. quod ſtatuta mea ſprevīſſent, nec ſecundum leges meas vixiſſent, ſed ſabbata profanaſſent, et idola ſua coluiſſent: 17. tamen eis peperci, ne penitus eos perderem et delerem in ſolitudine: 18. igitur adhortabar eorum filios, ne ſecundum patrum ſuorum leges viverent, nec inſtituta eorum obſervarent, nec turpiſſimis eorum idolis ſeſe contaminarent: 19. me Jovam eſſe Deum ab eis colendum, meis legibus obtemperarent, mea ſtatuta diligenter exequerentur, 20. Sabbata quoque ſancte peragerent, haec enim ſigna eſſe, ex quibus intelligi poſſet, me Jovam eſſe Deum, quem colerent. 21. Verum enim vero filii quoque ſeſe contumaces praebuerunt; legibus meis non obediverunt, nec decreta mea ſunt executi, quibus tamen praeſtandis feliciſſimi omnes fuiſſent, ſabbata quoque profanarunt: Tum volebam eos per indignationis meae vehementiam prorſus in deſerto perdere et conſumere. 22. Attamen eam cohibui propter nominis mei celebritatem, ne haec inter gentes minueretur, quibus ſpectantibus eos eduxiſſem. 23. Sed jam in deſerto jurejurando interpoſito minatus ſum, eos inter gentes diſſipare et per varias regiones diſpergere *e*), 24. quoniam ſtatuta mea non obſervabant, leges contemnebant, ſabbata profanabant, et idola patrum ſuorum colebant. 25. Ideo quo-

e) Deut. XXXII, 22 ſeqq.

quoque *f*) permiſi, ut ſibi ipſi leges imponerent peſſimas et ſtatuta eis perniciofa: 26. ut ſeſe oblationibus ſuis contaminarent, dum in ſtupore ſuo primogenita *per ignem* trajicerent. Ex quo intelligere debebant *g*) me Jovam eſſe. 27. Igitur alloquere, homo, Iſraëlitas his verbis: Sic ait dominus Jova: Amplius adhuc probris me affecerunt majores veſtri ſuis peccatis. 28. Cum enim eos introduxiſſem in terram, quam eis jurejurando dare promiſiſſem, ubicunque collem editum aut denſam arborem conſpiciebant, ibi etiam ſacrificabant, ibi oblationes ſuas offerebant *mihi* inviſas, ibi odores victimarum ſuarum *h*) excitabant, et fundebant ibi libamina. 29. Et quanquam eos propter illa

f) In textu eſt: *dedi eis leges non bonas* etc. Interpretes laborant in his verbis Deo digne explicandis. Sed facillimam putem explicationem, ſi verbum activum de permiſſione accipiatur, ut multa alia ex idiotiſmo linguae, de quo videſis *Glaſſium* in Philologia S. p. 244.

g) h. e. quantum diſcrimen ſit inter iſta idola et Deum Jovam.

h) Hebr. רֵיחַ נִיחוֹחֵיהֶם quod vulgo vertitur *odorem ſuavitatis* cum Vulgato interprete, qui ſic reddit Graecorum *ὀσμὴν εὐωδίας*. Sed obſcure ſic vertitur, quanquam non prorſus falſo. Nempe Hebraei ſacrificia vocare ſolent *odorem ſuavem*, ex gentilium opinione, qui Deum nidore victimarum oblectari, aut eum libenter olfacere exiſtimabant. Quod ex hoc loco plane apparet, in quo ſermo eſt de ſacrificiis Deo vero ingratis atque exoſis.

illa excelſa *loca*, in quibus conveniebant, redarguebam, tamen ad hunc usque diem ea uſurpant. 30. Propterea dic Iſraëlitis: Haec ait dominus Jova: vobisne, qui iisdem, quibus majores veſtri, peccatis contaminati eſtis, qui abominanda idola ſectamini, 31. qui donaria iſta offertis, qui filios veſtros per ignem trajicitis, et omnibus iſtis idolis turpiſſimis polluti eſtis, vobisne, inquam, ego reſpondeam? non vivam, ſi hoc fecero. 32. Quod vero animis veſtris concepiſtis, nullo modo fiet: quando nimirum cupitis ſimiles eſſe gentibus aliisque terrarum orbis nationibus, deosque ligneos et lapideos colere. 33. Per vitam meam juro, inquit dominus Jova, me manu valida, brachio exſerto et effuſa ira in vos regnaturum eſſe, 34. vosque e gentibus eductos et collectos ex regionibus, in quas diſſipati eſtis per potentiam meam, virtutem iramque graviſſimam, 35. perducturum eſſe in *i*) deſertum populorum; ibi vos judicabo, 36. eodem prorſus modo, quo majores veſtros judicavi in deſerto prope Aegyptum, inquit dominus Jova. 37. Vos ſceptro *meo* ſubjiciam et foederis diſciplina cogam *k*). 38. Separabo e vobis rebelles et contumaces. E terra peregri-

 na-

i) Ducam vos in loca a populis deſerta, ut ſupra XIX, 13. *Grotius.*

k) h. e. agam vobiscum ex conditionibus foederis, quod vobiscum pepigi, puniendo nempe peccata veſtra.

nationis ſuae *l*) educti nunquam in terram Iſraëliticam redibunt: et intelligetis me Jovam eſſe. 39. Vos vero, o Iſraëlitae, inquit dominus Jova, *m*) colite modo omnes idola veſtra turpiſſima. Ita enim, ſi prorſus mihi non obtemperatis, nomen meum ſanctiſſimum non amplius profanabitis per donaria iſtis veſtris idolis oblata. 40. Etenim in monte meo ſancto, in monte Iſraëlis eminentiſſimo, inquit dominus Jova, ibi me omnes totius terrae Iſraëlitae colere debent; *n*) ibi eis favebo, ibi lubenter admittam oblationes veſtras, et primitias veſtrorum munerum. *o*) 41. Propter omnia *mihi* dicata, propter *p*) victimas vobis favebo, quando vos e gentibus eduxero, atque e regionibus, per quas diſſipati eratis, collegero, et ſpectantibus populis honor mihi debitus a vobis exhibetur. 42. Tunc intelligetis me Jovam eſſe, *nimirum* quando vos introduxero in terram Iſraëliticam, in terram quam jurejurando majoribus veſtris promiſi. 43. Tunc vitae veſtrae et actionum, quibus vos contaminaſtis, memores taedebit, omniumque ſcelerum a vobis commiſſorum. 44. Tunc intelligetis me Jovam eſſe, quando vobiscum

l) Quam propheta in ſequenti membro terram Iſraëliticam vocat, in qua illi quidem ſperabant perpetuo habitare.

m) Eſt conceſſio ironica.

n) Supple: non aliis in locis.

o) Verſus h. l. non ſatis accurate ſunt diſtincti.

p) Cf. notam ad verſ. 28.

cum pro nominis mei *celebritate* egero, non pro vitae veſtrae pravitate morumque ſumma corruptione, o Iſraëlitae, inquit dominus Jova.

CAPUT XXI

1. Jova me his verbis eſt allocutus: 2. Verte, homo, faciem tuam verſus meridiem, loquere ad auſtrum, vaticinare ad ſilvam agri meridionalis. 3. Ita vero ei dicere debes: audi verbum Jovae, En, inquit dominus Jova, incendam in te ignem, qui omnes tuas arbores cum virentes tum aridas abſumet, inextincta ardebit ingens iſta flamma. Adurentur ea omnium facies a meridie usque ad ſeptentrionem. 4. Atque intelligent omnes, me Jovam eam accendiſſe non extinguendam. — — 5. Ad haec ego, o domine Jova, inquiebam: Dicere de me ſolent: is non niſi aenigmatice loquitur *a*). 6. Tum Jova mihi reſpondit: 7. Converte faciem tuam, homo, verſus Hieroſolymam, vaticinare de locis ſanctis, futura praenuntia terrae Iſraëliticae. 8. His vero verbis eam alloquere: En adverſus te me vertam, inquit Jova, educto e vagina gladio meo, exſcindam in te pium et impium. 9. Quoniam vero hoc facturus ſum, prodibit e vagina ſua meus gladius in omnes mortales a meridie ad ſeptentrionem usque. 10. Et intelligent

 omnes

a) Supple: rogo igitur ut explices parabolam, quod etiam in ſequentibus fit.

omnes me Jovam eduxiſſe e vagina ſua gladium non amplius reverſurum. 11. Tu igitur, homo, ingemiſce cum laterum concuſſione, acerbe admodum ingemiſce illis ſpectantibus. 12. Tunc quando te interrogabunt, cur ingemiſcis? reſponde: propter rumorem venturum, *propter quem* omnes ſummo metu percellentur. Manus langueſcent, mentes fatiſcent et genua *b*) aqua pedum madebunt. En! venit, et fiet, inquit dominus Jova. 13. Porro Jova me his verbis eſt allocutus: 14. Vaticinare, homo, meo nomine ſic: Gladius, gladius acutus eſt et politus, 15. ad mactandum eſt acutus, ad ſplendendum politus, ut dejiciat virgam filii mei. * Spernit omne lignum. 16. *c*) Tradetur autem politus, ut manu teneri poſſit; immo eſt et politus et acutus ille gladius, ut manui interfectoris tradi poſſit. 17. Clama et ejula, homo, *ſaeviet* ille *gladius* in populum meum, in omnes principes Iſraëlis, terrore agitatus erit populus meus propter gladium iſtum; Igitur percute femur *d*). 18. Immo tunc gladius iſte operam ſuam mihi * probaverit, ſi virgam illam ita everterit, ut non amplius extet, inquit dominus Jova. 19. Porro vaticinare, homo, et manus

b) De hac phraſi cf. Cap. VII, 14.

c) Hebr. וְיִתֵּן *dabit* eum, ſcil. gladium, imperſonaliter accipio. Nolim cum *Grotio* regem Chaldaeum intelligere, qui potius a propheta ſub ſchemate gladii ſiſtitur.

d) Nempe in ſignum luctus et triſtitiae. Jer. XXXI, 19.

nus complode, *e*) ut gladius iſte tribus vicibus redeat. Gladio iſto multi et magni interficientur, ad quem omnes * obſtupeſcent. 20. Ad animorum perturbationem, ad urbium omnium everſionem deſtinavi gladium hunc *f*) perdentem. Ah! jam terſus eſt ad fulgendum, jam prehenſus *g*) ad mactandum. 21. Strenuo

e) Noli amplius dolere, ſed teſtare potius approbationem tuam de poena ſumenda. Sic enim haec phraſis mox adhibetur verſ. 22. et XXII, 13.

f) Circa vocem *ἅπαξ λεγ.* אִבְחַת interpretes et Lexicographi magnopere diſſentiunt. *Lud.* quidem *de Dieu* confert ex lingua Aethiopica verbum אבח *poteſtatem dare*, hinc vertit *poteſtatem gladii; Caſtellus* in Lexico eodem fere modo, confert tamen ſimul Arab. אבאחה *exterminium* et praeterea citat verſionem Arabicam ex MS. *Seldeni*, quae habeat *evaginatum*. Quodſi antiquiores interpretes inſpicimus, videri poſſent aliter legiſſe, niſi conſtaret, eos in vocibus rarioribus ſaepe ſignificationem ex contextu uteunque divinaſſe: *οἱ ό, παραδέδονται εἰς σφάγια ῥομφαίας*, quaſi legiſſent טבחת. Vulgatus: *in omnibus portis eorum dedi conturbationem gladii acuti*, forſan ex בעת. Chaldaeus: *in omnibus urbibus dedi caedes gladii*, conſentit cum verſione graeca. Quem diſſenſum miror ab *Hubigantio* non eſſe annotatum, qui *mucronem gladii* vertit ex ſententia Judaeorum quorundam. In re adeo incerta nihil definio.

g) Hebr. מְעֻטָּה poteſt eſſe participium ab עטה *manu prehendit* ex ſignificatione Arab. hujus verbi عطا. Sed pot-

nue age *h*) ſive dextram, ſive ſiniſtram petas, quocunque velis faciem tuam converte *. 22. Ipſe ego manus complodam, omnemque bilem meam effundam *i*), inquit Jova. — — 23. Porro Deus mihi dixit: 24. Deſigna *in tabula* duas vias, quibus exercitus regis Babylonis veniat, ambas ex eadem terra ductas, et locum quendam elige in principio harum viarum, quae ad urbes quasdam ducant. 25. Altera quidem harum viarum ducat exercitum *regis Babylonis* Rabbatam Ammonitarum, altera Hieroſolymam in Judaea munitam. 26. Etenim conſiſtet rex Babylonis in bivio, in viarum divortio, ad divinationes adhibendas, laevigabit ſagittas, conſulet Teraphim, inſpiciet jecur. 27. Divinationes indicant, verſus dextram pergendum

poteſt etiam derivari a מעט quod Arab. eſt *glabrum*, *laevem* eſſe. Sed tunc legendum eſſet מְעוּטָה *laevigata.*

h) Apoſtrophe ad iſtum gladium. — In vertendo verbo *ἅπαξ λεγ.* הִתְאַחֲדִי iterum maximus eſt diſſenſus inter antiquiores et recentiores interpretes. Oἱ ό, *ὀξύνε*, ſic et Vulgatus *exacuere*, derivarunt a חדד. Syrus: חַמְסַנִי *perſevera*, ſ. *conſtanter perge.* Chaldaeus אִשְׁתְּלִיפִי *evaginare.* Expreſſi in verſione ſignificationem quam Syrus verbo ſubjecit, quae aliqua ratione ex lingua Arabica illuſtrari poteſt, in qua hoc verbum in ſeptima et octava conjugatione ſignificat: *unitus fuit*, *in unum coaluit.*

i) Hebr. quieſcere faciam: h. e. placabo iram meam. Sic infra Cap. XXIV, 13.

tum eſſe, verſus Hieroſolymam, huic arietes eſſe admovendos, huic clamore ſublato caedes minandas eſſe, ad hujus portas arietes eſſe dirigendos, aggeres exſtruendos, turres aedificandas. 28. Illis *k*) quidem, qui jurejurando ſe obſtrinxerunt, vana videbuntur illa auſpicia. Verum hic *l*) ulciſcetur perfidiam urbis expugnatione. 29. Propterea ſic dicit dominus Jova, quoniam vos culpam veſtram augetis (nam peccata veſtra manifeſta ſunt et in omnibus actionibus veſtris delicta aperta) quoniam, inquam, vos tales eſtis, capiemini. 30. Tu vero profane, impie *m*) princeps Iſraëlis, cujus dies venit, cujus poena proxime inſtat, 31. Sic dicit dominus Jova, auferam cidarim, tollam coronam: Haec non erit tibi amplius. Humilem exaltabo et ſublimem humiliabo. 32. Prorſus eam evertam, neque iterum reſtituetur, donec veniat is cui judicandi poteſtatem denuo tradam. — — — 33. Porro vaticinare hunc in modum: Haec dicit dominus Jova de Ammonitis et de injuria, qua Iſraëlitas affecerunt: O gladie ſtricte! ad caedendum terſe, ad con-

k) ſc. Judaeis, qui credent oracula mentita eſſe Chaldaeis felicem belli eventum, dum Aegyptiorum auxilio, quibuscum foedus inierant, fidebant.

l) Nebucadnezar.

m) Sedekias.

conſumendum *n*) fulgens, 34. falſa tibi dicunt et mendacia divinant, *o*) ut irruere poſſis in colla iſtorum profane impiorum, quorum dies venit, quorum poena proxime inſtat. 35. Reducam te in vaginam * tuam in loco, in quo factus es, in terra nativitatis tuae te judicabo. 36. Effundam in te iram meam, indignationis meae ardore te afflabo, tradam te hominibus crudelibus perdendi peritis. 37. Ignis te conſumet, ſanguis tuus fluet per terram, memoria tui peribit. Hoc ego Jova minitor.

CAPUT XXII

1. Jova me hunc in modum allocutus eſt: 2. Audesne,

n) Gladius hic non poteſt eſſe poena, quam propheta Ammonitis minetur, ſed ipſi vocantur gladius, qui ſaevierit in Judaeos, quod ex Apodoſi in verſu 35. apparet. Quodſi ſub gladio hoc loco quoque, uti in praecedenti, Chaldaeos velis intelligere, quod *Grotius*, aliique faciunt, nihil eſt in tota pericopa, quod dictum ſit contra Ammonitas, quod tamen inſcriptio ejus dicit — — לְהָכִיל non male uti arbitror explicatur ut dictum ſit pro לְהַאֲכִיל nec opus eſſe putem criſi Hubigantii, qui illud mutare vult in מהלל. Syri vero interpretis מַבְרֵק non huic voci ebraeae ſed potius ultimae ברק videtur reſpondere.

o) Falſi prophetae et harioli perſuadebant populo nihil mali ipſi a Chaldaeis metuendum, poſſe ipſum ſecure Judaeos perſequi et affligere.

ne, o homo, cauſam agere *a*) urbis ſanguinariae, immo vero demonſtra ei tot ſua ſcelera. 3. Sic autem dicere debes meo nomine: Urbs, in qua caedes patrantur in perniciem tuam, *b*) quae idola facis, quibus te contaminas in damnum tuum. 4. Caedibus iſtis in te commiſſis reatum tibi contraxiſti, et idolis a te fabricatis temet polluiſti, hinc adduxiſti tibi dies tuos *c*) et ad annos tuos perveniſti; propterea te gentium opprobrio exponam, regionumque omnium ludibrio. 5. Propinquae et remotae te deridebunt: heu infamem iſtam urbem adeo turbulentam! 6. Principes Iſraëlis pro ſuis quisque viribus caedes committunt. 7. Parentibus nulla exhibetur apud te reverentia, peregrini injuria afficiuntur, pupilli et viduae opprimuntur. 8. Vilipendis mihi ſacra, profanas mea ſabbata. 9. Sunt, qui per calumniam aliis necem intendant. In montibus idolothyta comedunt cives tui et paſſim ſcelera patrant. 10. Sunt, qui cum patris uxore concumbant et menſtruatam comprimant. 11. Alter alterius uxore foediſſime abutitur, ſocer nurum ſuam inceſto polluit, et frater cum ſorore, eodem patre nata, rem habet. 12. Munera accipiunt ob caedem patrandam. Foenus et uſuram faciunt, ob lucrum

a) שפט ut ſupra XX, 4.

b) In textu eſt tertia perſona, ſed in ſequenti verſu eſt ſecunda. Lamed, uti ſaepe, de eventu eſt explicandum.

c) ſc. deſtructionis et captivitatis, ſ. tempus poenarum.

lucrum aliis vim inferunt, me prorſus non curant, inquit dominus Jova. 13. Ego vero manus *d*) complodo propter lucra iſta tua, propter caedes a te commiſſas. 14. Num ſuſtinebis illos dies? num iis ferendis ſatis valida eris, quibus ego te judicabo *e*)? Exequar ego ſane quod tibi minatus ſum. 15. Diſpergam te inter gentes, diſſipabo te per regiones; ſic finem faciam ſcelerum in te patratorum, 16. Quando te ſic omnium gentium ignominiae expoſitam videbis, intelliges me eſſe Jovam. — 17. Jova me hunc in modum eſt allocutus: 18. Iſraëlitae, homo, facti ſunt mixtura quaedam *viliorum* metallorum; omnes ſunt aes, ſtannum, ferrum, plumbum, catino *inferendi*, ex argento in viliora metalla converſi. 19. Propterea ſic dicit dominus Jova, quod vos tales eſtis, colligam vos Hieroſolymam, 20. tanquam in catinum, argentum, aes, ferrum, plumbum et ſtannum, ut igne ſufflata liquentur. Sane in ira et indignatione mea vos ibi congregatos liquefaciam. 21. Immo vos colligam et irae meae ignem ſuper vobis excitabo, ut liquefiatis. 22. Quemadmodum argentum in catino liquatur, ſic vos quoque in ea diſſolvemini. Ex quo intelligetis me Jovam iram meam in vos effudiſſe. — — — 23. Porro Jova me dicere juſſit: 24. Terra es contaminata, cui Deus iratus pluviam prohibet. 25. Cujus pro-

d) Cf. Cap. XXI, 13.

e) שׁפט h. l. idem eſt quod *judicare*.

prophetae conjurarunt in aliorum perniciem, ut leo rugiens praedam rapit; opes et divitias aliorum auferunt, augent numerum viduarum. 26. Sacerdotes legem meam violant, profanant mihi ſacra, non diſcernunt ſacrum a profano, nec quae pura ſint et impura explicant, violationem ſabbatorum meorum non curant, palam me profanant. 27. Principes ejus lupis rapacibus ſimiles caedes patrare aliosque perdere non dubitant lucri faciendi cauſa; 28. Ejus prophetae *f*) incruſtant homines tectorio inepto, falſa vaticinantur, mendacia divinant, dicunt: Sic ait dominus Jova; et Jova nihil eis dixit. 29. Plebs injuriam faciunt, rapinas exercent, pauperem et egenum opprimunt et peregrinum inique vexant. 30. Circumſpiciebam num eſſet, qui maceriem interponeret, qui ruinam terrae ſuſtentaret, quo minus eam perderem. Sed neminem inveni. 31. Propterea effundam in eos iram meam. Igne indignationis meae eos conſumam, rependam eis prouti commeruerunt, inquit dominus Jova.

CAPUT XXIII

1. Jova me hunc in modum eſt allocutus. 2. Duae fuerunt, homo, mulieres, ejusdem matris filiae. 3. Jam in Aegypto in pueritia ſua ſcortatae ſunt, ibi jam mammae earum contrectatae, et ubera compreſſa virginea. 4. Nomen natu majoris fuit Ohola, minoris

f) ut ſupra XIII, 11.

ris Oholiba, illius ſoror. Mihi nupſerant pepererantque filios et filias. Samaria eſt ea, quam Oholam vocas, Oholiba eſt Hieroſolyma. 5. Ohola, cum jam mea eſſet, fornicata eſt, ſuosque habuit amaſios, Aſſyrios nempe finitimos, 6. veſtitos hyacintho, duces et principes, juvenes admodum formoſos, equis inſidentes. 7. His ſeſe proſtituit, lectiſſimis Aſſyriorum omnibus, omnibus quos adamavit, idolis nempe eorum eſt polluta. 8. Neque abſtinuit ab iſta impudicitia cum Aegyptiis, qui cum ea adhuc virgine concubuerunt, mammas ejus contrectarunt, omnique libidine perfuderunt. 9. Propterea tradidi eam amaſiis ſuis, Aſſyriis, quorum amoribus adeo capta fuit. 10. Illi ejus verenda retexerunt, filios filiasque abduxerunt, ipſam vero interfecerunt gladio. Infamis facta eſt aliis mulieribus, cum poenas de ea ſumſiſſent *Aſſyrii*. 11. Quod quanquam ſoror ejus Oholiba videret, tamen turpiorem ſe dedit, ſororemque ſuam impudicitia adhuc ſuperavit. 12. Aſſyrios adamavit, duces et principes propinquos, egregie veſtitos, equis inſidentes, pulcherrimos juvenes. 13. Vidi utramque iisdem vitiis contaminatam. 14. Illa vero longius adhuc proceſſit in impudicitia ſua. Nam cum videret ſculptos in pariete homines, Chaldaeorum imagines, minio impreſſas, 15. cinctas in lateribus balteis, tiaras verſicolores in capitibus geſtantes, omnes principum ſpeciem prae ſe ferentes et Babyloniis natione Chaldaeis

daeis ſimiles: 16. Statim his viſis eorum amore capta eſt miſitque ad eos legatos in Chaldaeam. 17. Igitur venerunt ad eam Babylonii, ut cum ea concumberent et ſtupris ſuis contaminarent. Sed illa ab eis polluta eorum mox pertaeſa fuit, 18. et me quoque ejus taeduit, quemadmodum ſororis ejus, cum nimis impudica ſeſe omnibus proſtitueret. 19. Sed auxit adhuc ſcortationes ſuas, memor juventutis ſuae, qua in Aegypto ſcortata fuit. 20. Et adamavit ejus a) cynaedos, qui aſininos coles habent et ſeminis fluxum inſtar equorum. 21. Sic iteraſti peccata juventutis tuae, cum Aegyptii mammas tuas contrectarent et ubera juvenilia ſubigerent. 22. Propterea, Oholibama, haec tibi dicit dominus Jova: en ego excitabo contra te amaſios tuos, a quibus animum avertiſti, eosque undique adverſus te adducam. 23. Babylonios et Chaldaeos omnes, Bactrianos, Suenſes et Coenſes, omnes Aſſyrios. Juvenes iſtos formoſos, praefectos, antiſtites, duces, conſiliarios, omnes illos equis inſidentes. 24. Hi venient contra te rhedis, curribus falcatis multisque copiis, ſcutis, clypeis et galeis armati te aggredientur; atque ego tradam te iis, ut pro arbitrio ſuo tecum agant. 25. Dum igitur pro zelo meo in te ani-

a) Obſerva פְּלֶגֶשׁ h. l. de mare dici. Aegyptios vocat *bene vaſatos*, quod multiplici idololatriae dediti erant. Confer ſimilem locum ſupra Cap. XVI, 26.

animadvertam, illi ſeverum de te ſupplicium ſument, nares et aures *b*) tibi abſcindent, tandemque gladio interficient. Filios filiasque tuas auferent, et quae reliqua ſunt igne conſumentur. 26. Veſtes tibi detrahent et ornatu tuo pretioſo te privabunt. 27. Sic ego te a flagitiis tuis et Aegypto meretricio coërcebo, ut illorum ſc. *Aſſyriorum* non amplius concupiſcas, neque horum ſc. *Aegyptiorum* recorderis. 28. Haec enim dicit dominus Jova: tradam te eis, qui tibi jam exoſi ſunt et quos averſaris. 29. Admodum infenſe tecum agent, te privabunt opibus multo labore partis, te prorſus nudam et retectam relinquent, ut libido tua et flagitioſa impudicitia prorſus appareat. 30. Haec vero tibi evenient propter inſanum tuum alias gentes ſectandi ſtudium, et quod te iſtarum idolis contaminaſti. 31. Eodem te ſupplicio afficiam, quo ſororem tuam, quod mores ejus prorſus es imitata. 32. Sic dicit dominus Jova: Calicem ſororis tuae bibes profundum et latum, et multae capacitatis. Quo facto deriſui et ludibrio eris, 33. ebria, moeſta, calicem *bibes* ſtuporem et deſolationem inferentem, calicem ſororis tuae Samariae. 34. Hunc totum exſuges, atque adeo teſtas ejus confringes, ubera tua *prae rabie* dilacerabis. Quod ego minitor, inquit dominus Jova. — — 35. Idem ille dominus Jova dicit: quod mei immemor mihi

b) h. e. Principes et ſacerdotes interficient. Manet in allegoria mulieris moechae.

mihi tergum obvertiſti, tu et ſceleram tuorum et impudicitiae poenas lues. 36. Audesne, o homo, inquit Jova, cauſam agere Oholae et Oholibae? immo vero demonſtra eis abominanda ſua ſcelera. 37. Moechatae ſunt, manus habent ſanguine conſperſas; neque ſolum cum idolis ſuis adulterarunt, ſed etiam filios ſuos mihi natos eis conſumendos *per ignem* trajecerunt. 38. Praeterea hoc quoque fecerunt. Polluerunt meum ſanctuarium eodem die, meaque ſabbata profanarunt. 39. Et quando filios ſuos idolis mactarunt, illico etiam templum meum accedunt, quo facto illud turpiter profanant. Sic faciunt aedi meae! 40. Praeterea mittunt ad homines procul arceſſendos: His per legatos invitatis ſeſe lavant c), oculos fucant, et vario mundo adhibito ornant. 41. Sedent in lecto egregie ornato, ante menſam bene inſtructam adhibito ſuffitu meo et unguento. 42. Tum vero ſeſe beatas praedicant. — Sed iſti tantae hominum turbae adduntur adhuc Sabaei ex Arabia arceſſiti, qui manus eorum armillis ornant et capita coronis elegantibus. 43. Ego vero ſic ſtatuo de vetula iſta meretrice: mox finem habebunt ejus ſcortationes. 44. Eveniet ei quod omni meretrici evenire ſolet: Eadem fata expectant Oholam et Oholibam meretrices. 45. Etenim ſupplicio afficientur promerito adulterarum et ſanguinariarum, quales iſtae fuerunt. 46. Adducam contra eas, inquit domi-

 nus

c) In textu eſt mutatio perſonae tertiae in ſecundam.

nus Jova, exercitum *hoſtilem*, a quo diſſipabuntur et diripientur. 47. *d*) Lapidibus eas obruent, gladiis trucidabunt, liberos eorum interficient, et domos igne comburent. 48. Sic flagitiorum in iſta terra finem faciam, aliaeque mulieres diſcent ſibi ab iſtis ſceleribus veſtris cavere. 49. Quorum *mox* poenam dabitis et idololatriae veſtrae peccata luetis, meque dominum Jovam eſſe intelligetis.

CAPUT XXIV

1. Anno nono, decimo die menſis decimi, Jova me hunc in modum eſt allocutus: 2. Conſigna literis hunc ipſum diem, etenim eo ipſo die oppugnabit rex Babylonis Hieroſolymam. 3. Atque hac allegoria utere ad populum hunc contumacem. Sic dominus Jova dicit: Appone ollam *a*) *igni*, atque aquam ei infunde. 4. Deinde conjice in eam offas optimas, nempe femora et armos, et oſſibus optimis ollam imple. 5. Sume *carnem* de pecore pinguiſſimo, et ſtrues iſta oſſium vehementius in olla coquat *b*). 6. Haec enim dicit domi-

nus

d) Cf. Cap. XVI, 40. Lapidatio ſupplicium erat adulterae. Redit propheta ad allegoriam, cum in antecedenti verſu proprie dixiſſet.

a) Occaſionem huic allegoriae dedit ſine dubio proverbium Judaeorum, contra quod ſupra jam propheta dixerat Cap. XI, 3 ſeqq.

b) Propheta pro more ſuo idem dicit, quod antea, modo

accu-

nus Jova: vae urbi ſanguinariae, *haec eſt olla*, cui plurimum aeruginis ineſt, quae nunquam deterſa eſt; deprome oſſas quae in ea ſunt, ſine diſcrimine. 7. Sanguis enim in ea *c*) effuſus per petram ſolidam fluxit, non humi fuſus ut terra eum texiſſet. 8. Hic vero ſanguis in petra arida effuſus non obtectus, iram meam et vindictam perpetuo provocat. 9. Propterea ſic dicit dominus Jova: vae urbi ſanguinariae, jam ego ingentem pyram ei exſtruam. 10. Congere ligna, accende ignem, carnes conſumantur, * vehementer *omnia* effervefcant, ita ut et oſſa comburantur. 11. Deinde colloca ollam ſuper prunis vacuam, ut incaleſcat, et exardeſcente ejus aere immundities diſſolvatur, et conſumatur aerugo. 12. Verum ne *d*) ſic quidem multa ejus aerugo, ne igne quidem adhibito auferetur. 13. Abominanda eſt tua impuritas. A qua

 cum

accuratius determinat; nempe oſſibus illis in olla poſitis ignem ſubjiciendum eſſe, qui oſſa vehementer coquat. Minime vero Deus praecipit oſſa ſub olla ponere, quod nonnulli interpretes volunt, offendentes nimirum in voce תַּחְתֶּיהָ quae, uti ſaepe, redundat.

c) ſc. Hieroſolyma.

d) Hebr. תְּאֻנִים הֶלְאָת *moleſtiis fatigavit.* Non apte. Puto legendum eſſe in Hophal paſſive הָלְאֵת *moleſtiis* ſ. *malis fatigata* ſ. *affecta.* Quem ſenſum ſequens verſus confirmat. Sed quoniam haec proprie dicta ollae non conveniunt, ſenſum expreſſi ut tropus ſervaretur.

cum te purgare vellem, noluiſti purgari. Jam igitur non purgaberis, niſi omnem meam iram in te effuderim *e*). 14. Ego Jova quod dixi etiam praeſtabo. Non mutabo ſententiam, non parcam, non miſerebor. Pro vitae morumque tuorum meritis judicaberis, inquit dominus Jova. 15. Idem his verbis me eſt allocutus: 16. Auferam ſubita morte uxorem tuam, tibi cariſſimam *f*). Tu vero non debes eam lugere, aut plorare, aut lacrimari. 17. Tacite tantum ingemiſce. Abſtine ab omni, quod in mortuorum luctu fieri ſolet. Tiaram capiti impone, calceos indue, noli os tuum obvelare, aut veſci parentalibus. 18. Poſtridie cum mane ad populum eſſem locutus, circa veſperam mortua eſt uxor mea. Feci igitur quemadmodum juſſus eram. 19. Tunc populus me rogavit, ut ipſi indicarem, cur ita me gererem. 20. Tum ego reſpondi: Jova me juſſit, 21. vobis ſuo nomine dicere: En! ego profanabo ſanctuarium meum, quo gloriamini, quo delectamini, quod vobis tam carum eſt *g*): et filii filiae-

e) De hac phraſi cf. Cap. XXI, 22.

f) Hebr. deſiderium oculorum tuorum, cf. v. 18.

g) Recte reprehendit *Schultenſius* in Animadverſſ. philol. ad h. l. interpretes antiquiores et recentiores, qui voci מַחְמַל quae in textu legitur, ſignificationem verbi חמל frequenter obviam *parcendi* ſubjiciunt. Sic enim *οἱ ὁ*, *ὑπὲρ ὧν φείδονται αἱ ψυχαὶ ὑμῶν*, qui praeterea parum accurate haec cum ſequentibus jungunt. Ex eadem ratione vertit *Hie-*

filiaeque veſtrae, quos reliquiſtis, gladio peribunt. 22. Tunc vos idem facietis, quod jam ego. Ora non obvelabitis, non veſcemini parentalibus, 23. tiaras in capitibus, calceos in pedibus geſtabitis; non lugebitis, non plorabitis. Conficiemini poenis veſtris, et alter alteri ingemiſcet. 24. Sic vobis Ezechiel ſignum eſſe debet, idem quod ille vos quoque eſſe facturos, ſi haec eventura ſunt, ut intelligatis me dominum Jovam eſſe. 25. Quando vero eos privabo gloria, gaudio et ornamento ſuo, eo quod tantopere deſiderant et concupiſcunt, filiis et filiabus eorum, 26. ad te veniet, qui iſti calamitati evaſerit, ad eam tibi narrandam. 27. Tum vero libere cum eo loqueris, nec erit cur ſileas, nam ſignum eis fuiſti, meque Jovam eſſe intelligent.

Hieronymus: ſuper quo pavet anima veſtra, nempe tanquam de re cui *parcendum* ſit. Sed rectiſſime, uti arbitror, *Schultenſius* l. c. vocem explicandam judicavit ex verſu 25. ubi propheta idem repetit, uti ſaepe. Ibi vero τῷ מַחְמַל reſpondet מַשָּׂא. Jam vero nemo dubitat de ſignificatione formulae נשא נפש ſaepe obviae, quin ſit: *deſiderio ferri aut affici alicujus rei.* Atqui חמל apud Arabes ſynonymum eſt τῷ נשא et notio *parcendi* in lingua hebraea eſt derivata. Igitur מַחְמַל נַפְשׁ eſt *deſiderium animae*, atque correctio hujus vocis in מחמד quam Codex Regiomontanus habet, eſt a Critico quodam, qui ſignificationem vocis rariorem non intellexit.

CAPUT XXV

1. Deinde Jova me hunc in modum eſt allocutus:
2. Converte te, homo, ad Ammonitas, et vaticinare
contra eos. 3. Sic vero eis dicere debes: Audite quod
dominus Jova dicit: quoniam laetamini de ſanctuarii
mei profanatione, de terrae Iſraeliticae vaſtatione et
de Judaeorum captivitate, 4. tradam vos Orientali-
bus, qui ſibi palatia in terra veſtra extruent, ſuasque
ſedes inter vos ſigent, fruges veſtras comedent, et
lac bibent. 5. Rabbam in camelorum ſtabulum, et
Ammonitarum terram in ovium cubile convertam, ut
intelligatis me Jovam eſſe. 6. Immo ſic dicit dominus
Jova, quod manus comploditis, terram tripudiantes
percutitis *a*) atque admodum contemtim de terrae Iſ-
raeliticae vaſtatione laetamini: 7. iram meam in vos
convertam. Vos gentibus tradam *b*) diripiendos, ita
ut

a) h. l. in ſignum laetitiae, ſupra Cap. VI, 11. triſtitiae.

b) Secutus ſum in verſione lectionem marginalem, quae pro textuali לְבַג ſubſtituit לְבַז atque eam non ſolum expreſſerunt verſiones antiquae omnes, ſed etiam Codices MSS. Regiomontanus, Berolinenſis et Daventrienſis a prima manu, licet a punctatore ז in ג eſt mutatum. Praeterea noſter eadem phraſi utitur Cap. XXVI, 5. et XXXVI, 5. — — Sed pro lectione textuali pugnat *Tſepregi* in Diſſ. I. de Avthentia ſelectiorum Cetibim 120. (Inſerta eſt Syllogae Diſſertt. *Schultenſii* et *Schroederi* P. I. pag.

ut inter alias nationes non amplius exiſtatis, vosque ſublatos penitus perdam. Ex quo me Jovam eſſe intelligetis. — — 8. Idem ille dominus Jova haec dixit: Quoniam Moabitae et Seiritae exiſtimant Judaeos aliis gentibus nihil praeſtare, 9. aperiam Moabitarum urbes ad unam omnes, terram praeſtantiſſimam Beth - Jeſchimoth, Baal - Meon et Kirjathemam, 10. Chaldaeis, quemadmodum etiam Ammonitis facturus ſum, quorum ne quidem nomen inter alias gentes

 com-

pag. 142.) eamque longe ſonantiorem et quae tumorem deceat Orientis, ut verbis ejus utar, judicat. Permittam te furori et libidini hoſtium, qui tui tanquam cupediarum aviditate moti, laxo te ore devorabunt, et ingluviem abdomenque ſuum ex te ſatiabunt. Quem ſenſum illuſtrat ex aliis locis, in quibus verbum אכל de clade ab hoſtibus inferenda adhibetur, aut gladio hoſtili jungitur. At enim vero quanquam hunc tropum in illo verbo non nego, tamen contra unanimem antiquitatis conſenſum et loca parallela non videbatur praeferenda lectio vocis hoc loco tantum obviae et cujus ſignificatio omnino incerta et dubia eſt. Equidem non ignoro regulam criticorum: lectionem difficiliorem faciliori eſſe praeferendam. Verum in criſi Veteris Teſtamenti eam ſuas admittere exceptiones, nec tam abſolute valere, quam in Novo Teſtamento arbitror. Literarum quarundam ſimilitudo, quae in lingua hebraea major eſt, quam in graeca, originem dedit multis variis lectionibus, ſive potius ſcribarum erroribus, ex quibus lectiones ſane difficiles venerunt facilioribus minime praeferendae.

commemorabitur. 11. Sic etiam judicabo Moabitas, ex quo me Jovam eſſe poterit intelligi. — — 12. Sic dicit dominus Jova: Quoniam Edomitae Judaeos infeſtando graviter deliquerunt, 13. ego iratus in eos animadvertam, perdam homines et beſtias. Vaſtabo terram eorum a Temane c) usque ad Dedanem; gladio interficientur. 14. Hanc vero ultionem ſumam de Edomitis per populum meum Iſraëliticum, qui pro irae meae ſeveritate cum eis agent. Sic ſentient meam ultionem, inquit dominus Jova. — — 15. Sic dicit dominus Jova: quoniam Philiſtaei perquam inimice ſe geſſerunt *erga Judaeos*, atque admodum inſolenter pro inveterata ſua *erga illos* inimicitia egerunt, 16. extendam manum meam adverſus eos. Exſcindam d) Cretaeos, perdam reliquias iſtius regionis maritimae. 17. Sic iratus in eos animadvertam et ſeveram vindictam de eis ſumam, ut intelligi poſſit me eſſe Jovam.

CAPUT

c) Duos terminos nominat, Themanem ad Auſtrum, et Dedanem ad Septentrionem. Ille nomen habet a Themane nepote Eſavi. Geneſ. XXXVI, 15. cf. Jer. XLIX, 7. Sic *Grotius*.

d) In textu eſt paronomaſia, quae in verſione exprimi non poteſt. הִכְרַתִּי אֶת כְּרֵתִים Cretim vero eſt nomen proprium partis regionis a Philiſtaeis habitatae, vid. 1 Sam. XXX, 14.

CAPUT XXVI

1. Anno undecimo a) prima die menſis Jova me hunc
in modum eſt allocutus. 2. Tyrus vehementer laeta-
tur de capta Hieroſolyma: Actum eſt, inquit, cum
illo gentium emporio, jam ad me omnes vertentur,
replebor illa vaſtata. 3. Propterea ſic dicit dominus
Jova: en ad te me convertam, Tyre, adducam con-
tra te populos multos, ut ſolet mare fluctus attollere.
4. Qui muros tuos deſtruent, turres evertent, et pul-
verem adeo diſſipabunt. Redigam te in petram ſteri-
lem maris, 5. in qua retia expandant. Quod ego
dominus Jova minitor. — — A gentibus diripieris.
6. Municipia tua, quae in terra continenti ſunt, gla-
dio peribunt, et intelligetur me Jovam eſſe. — —
7. Nimirum adducam contra te Nebucadnezarem b)

regem

a) Scilicet a captivitate Jechoniae, a quo ſemper ſolet Ezechiel annos numerare, cf. Cap. VIII, 1. *Prima die menſis*, qui ſecutus eſt poſt Hieroſolymam expugnatam, quod ex ſequenti verſu apparet.

b) Satis clare quidem haec verba indicant, de qua Tyro propheta loquatur, nempe de ea, quam Nebucadnezar poſt diuturnam tredecim annorum oppugnationem evertit atque deſtruxit. Quae ad mare quidem, attamen in terra continenti ſita fuit, et prorſus diverſa ab ea, quae in inſula ab incolis prioris Tyri exſtructa fuit, et ab Alexandro M. everſa. Sed inſunt tamen his vaticiniis quaedam, quae iſti Palaetyro, uti vocari ſolet, non recte con-

venire

regem Babylonis, ſummum regionis ſeptentrionalis regem, cum equis, quadrigis, equitibus et ingenti copiarum multitudine. 8. Is municipia tua terrae continentis armis evertet, contra te vero tormenta diriget, aggerem ducet, teſtudinem admovebit. 9. Ariete moenia tua percutiet, turresque tuas *bb*) globis ferreis irruet. 10. Tantum equorum multitudo pulverem excitabit, ut urbem obtegat; ab equorum, quadrigarum et curruum ſtrepitu aedes *c*) concutientur. Portas tuas intrabit, ut ſolet urbs perrupta occupari *d*). 11. Equorum ungulae plateas tuas quatient, milites interficiet, ſtatuasque tuas nobiliſſimas humi proſternet. 12. Opes tuas diripient, merces praedabuntur, muros evertent, ſplendida aedificia deſtruent, atque adeo lapi-

venire videntur, e. g. quae Cap. XXVII, 26. 27. 29. Cap. XXVIII, 2. etc. leguntur. Igitur in his prophetа ſimul alteram illam Tyrum inſularem ab Alexandro M. deſtructam videtur innuere. Quod recte, uti arbitror, obſervatum eſt a *Pridauſio* in Connexione Vet. et Nov. Teſt. Tom. I. p. 614. coll. 115.

bb) Sic Chaldaeus recte explicat חֲרְבוֹת. Globi nempe ferrei ſunt intelligendi, qui e baliſtis jaciebantur, et ſic חרב alias quoque dicitur, v. c. Jer. XXXIII, 4. Gladii enim, quos h. l. habent *οἱ ό* et Syrus, parum apti ſunt ad turres deſtruendas. Vulgatus habet: *in armatura ſua.*

c) In textu eſt: *muri tui*, ſc. aedium, non urbis.

d) Scilicet per moenium fiſſuras hoſtis maximo impetu irruit.

pides et ligna et quae ſuperſunt de iis rudera in mare projicient. 13. Sic faciam ut ceſſent iſti cantantium in te clamores, nec ſtrepitus citharae amplius audiatur. 14. Redigam te in petram ſterilem maris, in qua retia extendantur, nec priſtinam fortunam recuperabis: quod ego dominus Jova minitor. — — 15. Haec fatur dominus Jova de Tyro: o quam contremiſcet ora maritima ad famam ruinae tuae, ſaucios in te ingemiſcere, occiſos paſſim conſpici. 16. Deſcendent de throno ſuo maris principes et depoſitis palliis exutisque veſtibus acu pictis terrore attoniti humi ſedebunt et inter continuos pavores de caſu tuo perterriti, 17. naenias de te dicent hunc in modum: o quam periiſti *e*) a regionibus maritimis frequentata! urbs adeo cele-

e) In textu eſt: נוֹשֶׁבֶת מִיַּמִּים *habitata a maribus*. Non inepta videtur explicatio, quam *Grotius* dedit: ad quam ab omni mari advenae veniebant. Nec tamen poſſum ſilentio praeterire elegantiſſimam S. R. *Doederlein* conjecturam; fortaſſe mutatis punctis legendum eſſe מִיָּמִים *habitata a multis diebus*, h. e. a multis retro ſeculis. Quae conjectura eo majorem conſequetur probabilitatem, quoniam et ipſa *Hubigantio*, quo Vir Celeb. uſus non eſt, in mentem venit; vertit enim: *quae jam dudum habitabatur*. Videtur tamen omnino ad puncta vocalia non attendiſſe, nam ſenſus, quem ea oſtendunt, ne quidem mentionem facit. Quicquid de eo ſit, placet conjectura. Sed antiquiores interpretes omnes notionem *maris* voci ימים ſubdiderunt, quam

celebris! maris domina cum tuis incolis * qui toti ter-
rae continenti erant formidabiles. 18. Jam * naves
pavent ad caſum tuum, inſulae ſunt perterritae quod
transmigraſti. 19. Immo ſic dicit dominus Jova: Red-
igam te in urbem vaſtatam, non habitatam, dum ma-
re contra te inveham, dum ab aquis multis obrueris.
20. Detrudam te ad alios jam detruſos ad populum
f) ſemper latentem; ſedes tibi aſſignabo apud inferos
in aeterna ſolitudine, apud mortuos. Nec reſtitueris
quando reddidero decus priſtinum terrae fortunatae *g*).
21. Terrori eris aliis in nihilum a me redacta, immo
quaeſita nunquam invenieris, inquit dominus Jova.

CAPUT

quam tamen, ut et antecedentem, active legerunt. Vulgatus: *quae habitas in mari.* Οἱ ὁ omittunt נושבת πῶς κατελύθης ἐκ θαλάσσης. Syrus: *quomodo periiſti habitatrix marium,* et ſic quoque Chaldaeus. — — Dubius haereo inter illam lectionis receptae explicationem et conjecturam laudatam. Quodſi regula criticorum ad praecedens caput commemorata valet, de lectione difficiliori faciliori praeferenda, lectio recepta debet defendi.

f) Hebr. עַם עוֹלָם quod non eſt, uti cum Vulgato multi vertunt, *ad populum ſempiternum*, ſed *ad populum obſignatum* ſ. *abſconditum* ex ſignificatione verbi עלם arabica, *obſignavit*, *abſcondidit*.

g) h. e. Judaeae. Hebr. אֶרֶץ חַיִּים *terra vitae* ſ. *viventium*, ex hebraiſmo: *vivere* i. q. felicem eſſe.

CAPUT XXVII

1. Jova me ſic eſt allocutus: 2. Profer, homo, de Tyro naenias. 3. Dic Tyro ad mare ſitae, gentium regionumque maritimarum negotiatrici. Sic ait dominus Jova: o Tyre, tu quidem nihil tibi ad perfectiſſimam pulcritudinem deeſſe putas. 4. Mare terminos tuos conſtituit, architecti tui ad ſummum te ornarunt. 5. Abietibus ex Senire *a*) conſtruxerunt tibi *b*) apluſtria, cedros ex Libano adhibuerunt malis. 6. E therebinthis Baſaniticis fabricarunt remos, et tranſtra fuerunt *c*) ex buxo ebore indico inciſa. 7. Ex byſſo ver-

a) h. e. ex Hermone, Deut. III, 9.

b) Hebr. לֻחֹתָיִם *tabulas*. Quaenam vero illae ſint, difficile eſt explicatu. Verti per apluſtria, h. e. ornamenta illa quae ſolent eſſe in prora et puppi navis, unde etiam fortaſſe nomen in numero duali eſt uſurpatum. Nam cum de eleganti navium ſtructura in hoc et ſequenti verſu ſermo ſit, videntur non tabulae ſ. aſſeres cuicunque uſui aptae intelligendae. — — Sed non poſſum ſilentio praeterire verſionem interpretis Vulgati, qui habet: *exſtruxerunt te cum omnibus tabulatis maris*. Non difficile eſt ad divinandum, cum vocem hebraeam diviſim legiſſe לֻחֹת יָם *Tabulata* vero *maris* intellexit ſine dubio *pontes*, atque ſic etiam Chaldaeus explicavit: גִשְׁרָךְ. Equidem non dubitarem huic explicationi aſſentiri, niſi contextus obſtaret, qui tantum de ornatu navium agit.

c) De בת אשרים vide dicta ad *Glaſſium* noſtrae edit. p. 105.

verſicolore Aegyptia vexilla tua navalia, et vela tibi hyacinthina et purpurea ex Aeolum inſulis afferuntur. 8. Sidonios et Arvadenſes remiges habes, atque ex ipſis civibus tuis peritos gubernatores. 9. Senes Giblenſes iique peritiſſimi apud te verſantur ad faciendas navium commiſſuras. Ex omnibus regionibus naves et nautae ad te confluunt mercaturae cauſa. 10. Perſae, Lydii et Libyes in tuo exercitu militant, clypeum et galeam tua cauſa induunt, et famae tuae augendae inſerviunt. 11. Arvadenſes una cum aliis in muris tuis excubias agunt, et Gammadenſes *d*) in turribus tuis ſunt diſpoſiti, ſcuta ſua circum moenia ſuſpendunt et ornamenta tua perficiunt. 12. Tarteſſenſes quoque tecum negotiantur omnis generis merces; argentum, ferrum, ſtannum, plumbum ad *e*) nundinas tuas comportant. 13. Iones, Iberi, Cappadoces tecum mercatum inſtituunt, ſervos et vaſa aenea tibi vendentes. 14. Armeni tibi equos, equites et mulos venditant. 15. Dedanenſes tecum negotiantur, omnesque regiones maritimae tecum commercium habent, ebur et hebenum tibi vendentes. 16. Syri pro mercibus tuis permultis reddunt tibi carbunculos, veſtes purpureas et acu pictas, byſſum, corallia et chalcedonios. 17. Judaei et

d) De his videſis *Glaſſium* pag. 801.

e) עִזְבוֹן Chaldaeus explicat per *domos theſaurorum*, Waaren-Lager. Non male, nam עזב eſt *claudere*. Sed reliqui interpretes per *mercaturam*, *nundinas*.

et Iſraëlitae tibi vendunt triticum ex *f*) Minnith, balſamum *g*), mel, oleum, et reſinam. 18. Damaſceni commercium tecum habent in rebus compluribus apud te fabricatis ex omnibus praeſtantiſſimis pro vino optimo et lana candidiſſima. 19. Danitae et Javanitae ex Uſal *h*) ad nundinas tuas veniunt, cum ferro fabricato, caſia et calamo odorato. 20. Dedanitae tibi vendunt ſtragula ad jumenta curruſque ornandos. 21. Arabes omneſque Kedarenſium duces commercia tecum habent in agnis, arietibus et hircis. 22. Mercatores Sabae et Reemae tibi maxime vendunt aromata, lapides pretioſos et aurum. 23. Item Charrenſes, Cannenſes, Edenenſes, Sabaei, Aſſyrii, Cilmadenſes, 24. hi tibi vendunt pretioſiſſimas merces, pallia hyacinthina et acu picta, veſtes pretioſas, funibus colligatas

f) Nomen proprium regionis in finibus Ammonitarum, Jud. II, 33. Chaldaeus vertit; *triticum optimum.* Sic fere etiam Vulgatus: *in frumento optimo.* Οἱ ὁ videntur aliter legiſſe, vertunt enim *ἐν πράσει σίτου καὶ μύρων.* Syrus חִטָּא וְרוּזָא *triticum* et *oryzam.*

g) Hebr. פַּנַּג Circa hanc vocem *ἅπαξ λεγ.* magnus eſt interpretum diſſenſus, quem enarravit *Celſius*, in Hierobot. P. II. p. 73. *Hieronymus*, Chaldaeus et Judaei nonnulli vertunt: *balſamum. οἱ ὁ, κάσια.* Syrus דּוּחְנָא *milium.*

h) De hac voce obſcuriſſima vide praeter *Grotium*, *Bocbartum* in Phaleg, p. 116.

gatas in capſis cedrinis. 25. Naves Tarteſſi praecipuae ſunt in negotiatione tua, quae te valde locupletarunt, marisque dominam effecerunt. — — 26. Sed per aquas ad te penetrabunt, qui *i*) tibi invident, ventus orientalis te franget in medio mari. 27. Opes tuae, nundinae et negotiationes, nautae et gubernatores, naviumque architecti, omnes apud te negotia exercentes, bellatores * omnesque qui in te confluunt in medium mare demergentur tempore ruinae tuae. 28. Ad clamores gubernatorum tuorum contremiſcent ſuburbia, 29. omnes remiges, nautae et gubernatores relictis navibus in terra continente ſtabunt, 30. et ſublata voce de te acerbe plorabunt, capita pulvere conſpergent, in cinere ſeſe volutabunt. 31. Attonſi et veſtitu lugubri induti te deflebunt vehementiſſime et graviſſime. 32. * Liberi eorum naenias de te proferent, hunc fere in modum lamentantes: quaenam urbs maritima Tyro poterat comparari? 33. tu quae longinquis tuis navigationibus tot gentes ſatiabas, multarumque opum mercatura tot reges ditabas! 34. Jam *naves tuae* a maris fluctibus fractae ſunt, et ingens illa mercatorum apud te copia tecum periit. 35. Omnes regionum maritimarum incolae de te obſtupeſcunt, reges eorum horrore correpti

i) שָׁטִים ſcriptum eſt pro שָׁאטִים uti legitur Cap. XXVIII, 24. a שָׁאַט *contemſit, vilipendit*, ut Chald. et Syr. שׁוּט.

repti vultu turbantur. 36. Aliarum gentium mercatores te exſibilabunt. Terrori eris aliis nunquam reſtauranda.

CAPUT XXVIII

1. Deinde Jova me hunc in modum eſt allocutus. 2. Dic homo principi Tyri: Sic ait dominus Jova: quoniam tantus eſt animi tui faſtus, ut te Deum eſſe dicas, cum ſedes tua in medio mari divinae ſimilis ſit. (Sed homo es, non Deus, quanquam id temere tibi perſuades.) 3. Immo ipſo Daniele te ſapientiorem judicas, nullius rei abſconditae *a*) imperitum. 4. Tu tua ſapientia et prudentia tantas tibi

 opes

a) Verbum עמם quod praeter h. l. bis extat, nempe infra Cap. XXXI, 8. et Thren. IV, 1. a plerisque interpretibus et lexicographis explicatur per *tegere, obſcurare*, collato Arab. عمي quod tamen tantum de obſcuratione oculorum, aut غمّ quod de luna nubibus tecta dicitur. — Sed objicit *Schultenſius* in Animadv. philol. ad h. l. non ſatis convenire illa verba ſingulis locis hebraicis. Igitur mavult conferre عمّ quod notat *vilis, communis fuit*, a quo ſine dubio Hebraeorum עם *populus, plebs* debet derivari. Atque nemo neget hanc ſignificationem ſingulis locis, in quibus עמם legitur, eſſe aptiſſimam. Sic enim in noſtro loco ſenſus eſt: nihil adeo abſconditum eſt, quod te imperitum oſtenderet. Et infra Cap. XXXI, 8. Cedri eam arborem non vilem reddebant, h. e. eam ſua altitudine non vincebant aut ſuperabant.

opes acquiſiviſti, tantamque auri et argenti copiam in theſauris tuis congeſſiſti. 5. Tu tua negotiatione, quae et ipſa de tua ſapientia teſtatur, divitias tuas auxiſti: hinc gloriaris de his tuis opibus. 6. Jam vero, inquit dominus Jova, quoniam te Deo ſimilem eſſe putas, 7. en! ego adducam contra te hoſtes, gentium ferociſſimos, qui ſtrictis gladiis deſtruent iſta pulcherrima ſapientiae tuae opera, et ſplendorem tuum obſcurabunt. 8. Ad foveam te detrudent, et violenta morte oppreſſus morieris in medio mari. 9. Num te Deum dices apud eos, qui te ſupplicio afficiunt? immo inter manus carnificum tuorum te hominem eſſe intelliges, non Deum. 10. Peribis, ut par eſt perire *b*) barbaros, a manu hoſtili, quod ego dominus Jova

b) Diu haeſitavi, quo ſenſu עֲרֵלִים h. l. Cap. XXXI, 18.
et XXXII, 19 ſeqq. dicatur. Non apta videbatur ſignifi-
catio vocis vulgaris, *praeputiatus*, etenim non intellige-
bam, cur propheta, dum homini gentili mortem minatur
violentam, diceret eum ſimilem futurum eſſe aliis prae-
putiatis, qui etiam gladio eſſent interemti. Placuit tan-
dem *Hubigantii* explicatio, quam ex *Caſtelli* Lexico hau-
ſerat, ערל Arabibus eſſe *amotus fuit;* cui et aliam addi-
dit, qua ערל comparandum judicavit cum Arab. רעל
quod ſignificat, *haſta confodit;* hinc videbantur mihi iſti
ערלים iidem eſſe qui חללי חרב quibus XXXI, 18.
et XXXII, 19 ſeqq. plerumque junguntur. Attamen
ſcrupulum injiciebat, quod illam verbi ערל ſignificatio-
nem

Jova tibi minitor. — — 11. Porro Jova me allocutus eſt: 12. Dic homo de rege Tyri has naenias: Sic dominus Jova ait: Tu annulus es bene figuratus *c*) multa arte factus, egregie fulgens. 13. In Edene *d*) horto Dei videbaris conſtitutus, lapidibus

 omnis

nem tantum a *Caſtello* allatam, *Golio* vero prorſus ignoratam videbam. Et magis adhuc ſuſpecta videbatur comparatio verbi ערל cum רעל, noveram enim ſignificationum inveſtigationem per literarum trajectionem doctiſſimis philologis omnino improbari. — Igitur per literas quaeſivi ex *Schnurrero*, Linguarum Orientalium Profeſſore Celeberrimo in Acad. Tubingenſi, cujus erga me amicitiam maximi facio, quid ipſi videretur de hac explicatione? Ille vero reſcripſit ſibi videri vocem ערלים ll. cc. in ſignificatione ſua vulgari uſurpatam, neque a vero abhorrere Judaeos pro faſtu ſuo, quo nationes alias deſpiciebant, eas per contemtum ערלים vocitaſſe, uti olim Graeci et Romani alios, qui non ſuae gentis eſſent, *barbaros*. Et en! ſcrupulus ille meus penitus evulſus fuit doctiſſima hac Viri Eruditiſſimi obſervatione. Venit enim in mentem locus, in quo ex uſu loquendi Hebraeorum plane intelligitur, Judaeos voce ערל contemtim uſos fuiſſe de gentilibus. David quidem congreſſurus cum Goliatho dicit Saulo: 1 Sam. XVII, 36. *talis erit* (qualis leo et urſus, quos interfectos a ſe dixerat) *iſte Philiſtaeus* הֶעָרֵל *iſte praeputiatus.*

c) Hebr. plenus ſapientia.

d) h. e. omnibus rebus praeſtantiſſimis abundabas, uti olim

Ada-

omnis generis pretioſiſſimis ornatus, Rubino, Topazio, Adamante, Sardoniche, Onyche, Jaſpide, Sapphiro, Carbunculo, Smaragdo, auro incluſis. Primo nativitatis tuae die inter tympanorum et fiſtularum *jubila* exceptus es. 14. Te Cherubo ſimilem *e*) late alis expanſum et protegentem quaſi in monte mihi ſacro collocavi *f*), verſabaris inter lapides ſplendentes. 15. Initium regni tui probum fuit, deinde vero in vitia prolapſus, 16. copioſa tua negotiatione theſauri rapinis ſunt repleti: hinc te peccatorem ex illo monte mihi ſacro depellam, teque Cherubum protegentem auferam e medio lapidum iſtorum fulgentium. 17. Superbis de illa dignitate tua, *jam* minus prudenter agis propter illum ſplendorem tuum, igitur te ad terram dejiciam, atque efficiam ut alii reges de caſu tuo laetentur. 18. Per tot tua peccata in negotiatione tua commiſſa profanaſti ſanctuarium

Adamus in Paradiſo. Sic deſerit tropum alias in eo ſervando ſatis conſtans.

e) משח ex ſignificatione Syriaca et Chaldaica *extendit*. Sic Vulgatus. Syrus hoc ipſo verbo utitur. *Oi ó* utrumque מִמְשַׁח et סוֹכֵךְ omittunt.

f) Allegoria ſumta eſt a Cherubino arcam alis ſuis obtegente, ad quam Pontifex veſtitu ſacro indutus ſolebat accedere.

rium *g*) tuum. Ignem in te incendam qui te abſumet, in cinerem te redigam in conſpectu omnium qui te frequentabant. 19. Aliae nationes de te obſtupeſcent, terrori eris *aliis*. Non amplius exiſtes. —— 20. Deinde Jova me his verbis eſt allocutus: 21. Converte te ad Sidonios, et ſic vaticinare contra eos. 22. Haec dicit dominus Jova, inquies, en! in Sidoniis potentiam meam manifeſtabo. Cognoſcetur me Jovam eſſe, quando ejusmodi poenam de iis ſumam, ex qua ſanctitas mea appareat. 23. Peſte eos affligam, et ſanguis per plateas *fluet*, et * cadent occiſi a gladio *hoſtium* ubique irruentium: ex quo intelligent me Jovam eſſe. 24. Non amplius timendi erunt Iſraëlitis, ſpinae pungentes et aculei laedentes, undique eos infeſtantes. Ex quo me dominum Jovam eſſe intelligetur. 25. Idem ille dominus Jova ſic fatur: Quando ego Iſraelitas ex gentibus inter quas diſperſi ſunt colligam, ſanctitatem meam manifeſtabo, habitabunt enim iterum in terra ſua, quam cultori meo Jacobo dederam. 26. Et ſecure eam inhabitabunt, domos exſtruentes, vineas conſerentes, — — — tuto degentes, quando judicia iſta exercebo in omnes

g) h. e. urbem tuam; quam ob celebritatem ſuam *ſanctuarium* vocat, uti antea ſimilibus tropis uſus eſt a rebus ſacris ſumtis, ad ſummam regis Tyrii dignitatem indicandam.

eorum vicinos, qui eos adeo contemtim tractarant. Sed intelligent me Jovam Deum eorum eſſe.

CAPUT XXIX

1. Anno decimo *a*) menſisque duodecimi die decimo Jova me his verbis eſt allocutus: 2. Verte faciem tuam, homo, adverſus Pharaonem *b*) Aegypti regem, et contra eum et univerſam Aegyptum hunc in modum vaticinare: 3. Sic dicit dominus Jova: Te jam volo, Pharao Aegypti rex, cete ingens, recubans in flumine tuo *c*) et glorians tuum eſſe illud et tibimet ipſi a te paratum. 4. Hamum *d*) injiciam maxillis tuis, teque una cum multis aliis piſcibus ſquamis tuis adhae-

a) a deportatione Jechoniae.

b) Idem eſt qui Jeremiae XLIV, 30. חָפְרַע *Herodoto* Ἀπρίης *Apries* dicitur, LXX interpretibus Οὐαφρής. Contia eum rebellabant Aegyptii, regemque eligebant *Amaſin* ad eos pacandos ab illo miſſum. Is cepit Aprien, honeſte tamen habuit. Sed coactus ab Aegyptiis eum iis tradidit, a quibus eſt ſtrangulatus. Sub hoc Amaſi Nebucadnezar Aegyptum eſt aggreſſus et vaſtavit. Sic *Herodotus* Lib. II. Cap. 161 ſqq.

c) h. e. qui te jactas de regni tui opulentia et felicitate. Regnavit vero Apries quinque et viginti annos. Narrat *Herodotus* l. c. Cap. 169. eum dictitare ſolitum fuiſſe, ne Deum quidem ullum poſſe eum regno privare.

d) Is fuit Amaſis.

adhaerentibus *e*) extraham ex illo tuo flumine. 5. Teque non minus ac illos in ſiccum ſolum abjiciam, in quo morieris, non collectus aut congregatus. Feris animalibus avibusque *rapacibus* tradam te devorandum. 6. Omnesque Aegypti incolae agnoſcent me Jovam eſſe, quod *f*) fueris Iſraëlitis baculus arundineus *g*) 7. qui prehenſus ab illis * manu quaſſatus fueris manumque eis transfixeris, et cum tibi inniterentur, fractus latera eis * percuſſeris. 8. Propterea haec dicit dominus Jova: gladium contra te adducam perdamque apud te homines et beſtias. 9. Et ſic Aegyptus vaſtabitur et deſtruetur, ut me Jovam eſſe intelligant et *quam temere rex ejus glorietur* ſuum eſſe fluvium, ſibimet ipſi paratum. 10. Propterea ad te me conver-

e) Hi ſunt ii, qui ab initio erant a partibus Apries.

f) In textu eſt יַעַן הֱיוֹתָם *quod fuerint illi*, ſc. Aegyptii. Sed LXX. interpretes, Syrus et Vulgatus vertunt ac ſi legiſſent יַעַן הָיִית *pro eo quod fuiſti*, ſermone tantum ad regem Aegypti converſo, ad quem etiam in ſequenti verſu eſt directus. Sed quoniam hujusmodi perſonarum mutationes frequentiſſimae ſunt in prophetis, non putem lectionem receptam eſſe ſollicitandam, quanquam ob faciliorem cum ſequenti verſu connexionem ſtatim in hoc membro verba tanquam ad regem dicta verterim; quae fortaſſe quoque cauſa fuit, cur antiqui interpretes ita verterint.

g) Dictio proverbialis, de iis qui nocent dum prodeſſe debebant. Qua etiam utitur Jeſaias Cap. XXXVI, 6.

tam et ad fluminis tui oſtia: redigam Aegyptum in horrendam vaſtitatem a Migdole *et* Syene usque ad terminum Aethiopiae. 11. Ab hominibus et animalibus erit deſerta, nec per quadraginta annos habitabitur. 12. Sic vaſtabo Aegyptum, ut aliae terrae *eo tempore* vaſtatae erunt, et urbes ejus, ut aliae urbes erunt deſolatae per quadraginta annos, diſpergam enim Aegyptios inter alias gentes, diſſipabo eos in alias regiones. 13. Sed exactis annis quadraginta, inquit dominus Jova, colligam Aegyptios ex gentibus, inter quas eos diſſiparam. 14. Atque ex captivitate eos reducam in patriam ſuam, in terram Pathros, ibique regnum humile conſtituent, 15. nempe ſi comparentur cum aliis regnis, neque ſe amplius efferent ſuper aliis gentibus. Etenim imminuam eos, quo minus poſſint aliis dominari. 16. Atque ſic Iſraëlitae non amplius ſpem in eis ponent, ſed potius eos commonefacient criminis, quo ipſos ſedulo reſpiciebant, atque ſic intelligent me Jovam eſſe. — 17. Anno ſeptimo et viceſimo, primo die menſis primi *h*) Jova me hunc in modum eſt allocutus: 18. Nebucadnezar rex Babylonis exercitum ſuum in Tyro oppugnanda adeo defati-

h) Junguntur hoc et ſequentium trium capitum vaticinia praecedentibus propter argumenti ſimilitudinem, quanquam tempore admodum diverſo prophetae revelata erant, uti ex tempore adſcripto apparet.

fatigabit *i*), ut omnium capita glabra et humeri depilati evadant, nec tamen ex diuturna illa obſidione neque ipſe neque exercitus ejus mercedem accipient. *k*) 19. Propterea, inquit dominus Jova, tradam Nebucadnezari regi Babylonis Aegyptum, ut captivum abigat ejus populum magnaque praeda potiatur: haec merces ſit pro exercitu ejus. 20. Pro labore, quem ex voluntate mea ſuſtinuit, tradam ei Aegyptum, inquit dominus Jova. 21. Eo tempore efficiam, ut Iſraëlitis *l*) praeſidium aliquod oriatur. Tibi *m*) vero libere inter eos loquendi occaſionem ſuppeditabo, ita ut me Jovam eſſe intelligant.

CAPUT

i) Tredecim annos in oppugnatione conſumſerat.

k) Incolae enim maximam divitiarum ſuarum partem, ut et ſe ipſos, trajecerant in inſulam non ita longe ab ora maritima remotam, in qua antiqua urbs exſtructa fuit. Cum igitur tandem Nebucadnezar urbem perrumperet, vacuam eam et deſertam invenit. In inſula vero illa aedificabant incolae prioris Tyri novam urbem, cui idem Tyri nomen dabant, quae non minorem celebritatem conſequebatur atque ab Alexandro M. tandem expugnata eſſet et everſa.

l) Hebr. *cornu; Grotius* Danielem intelligit, ſed alii melius, uti videtur, liberationem regis Jechoniae e carcere et dignitatem ei conceſſam, de qua legitur Jer. LII, 31. et 2 Reg. XXV, 27.

m) Vatem alloquitur: propter tot tamque eximia vaticinia magnam inter populares tuos conſequeris auctoritatem.

CAPUT XXX. *a*)

1. Jova me his verbis eſt allocutus: 2. Vaticinare homo, Sic dominus Jova dicit: ejulate: o diem infelicem! 3. Etenim inſtat illa dies, appropinquat dies Jovae, atra dies, tempus quo gentes punientur. 4. Invadet gladius Aegyptum, pavor Aethiopiam, multis in Aegypto confoſſis, abducto ejus populo, funditus ipſa everſa. 5. Cuſchaei, Phutaei, Lydii, auxiliares copiae, Cubii, et qui *b*) eis foedere juncti ſunt, una cum illis gladio peribunt. 6. Sic Jova minatur: cadent Aegypti ſocii, deprimetur faſtus, quo ſe ob potentiam ſuam efferebat. A Magdole et Sevene gladius ſaeviet, inquit dominus Jova. 7. Vaſtabitur ut aliae regiones, deſtruentur urbes ejus non minus ac aliorum populorum. 8. Intelligetur me Jovam eſſe, cum ignem in Aegypto incendero et copias ejus auxiliares proſtravero. 9. Illo tempore nuncii navibus a me mittentur, qui Aethiopes ſecuros terreant, tunc aeque pavebunt ac Aegyptii. Adeſt enim *hoſtis.* 10. Haec dominus Jova minatur: efficiam ut ceſſet ſtrepitus ille Aegypti per Nebucadnezarem regem Babylonis. 11. Hic et exercitus ejus, ferociſſimi homines in perniciem terrae adducti, ſtrictis gladiis Aegyptum occiſis replebunt. 12. Exſiccabo fluvios, tradam terram

a) Tria quae ſequuntur capita, ad idem bellum Nebucadnezaris contra Aegyptum pertinent.

b) Judaei. Jer. XLII, 22. XLIV, 14.

terram hoſtibus, vaſtabo eam una cum fructibus ſuis per peregrinos. Hoc ego Jova minitor. 13. Idem ille Jova ſic dicit: perdam ſimulacra, auferam idola iſta Memphitica. Princeps terrae Aegyptiacae non amplius exiſtet, tota Aegyptus pavebit. 14. Vaſtabo Pathros, incendam Tanis, puniam Memphin. 15. Effundam iram meam in Sain Aegypti robur, deſtruam *c*) Thebas. 16. Igne incendam Aegyptum, vehementer affligetur Sain. Effringentur Thebae, et Memphin * hoſtes quotidie affligent. 17. Iuvenes * Heliopolis et Bubaſtes gladio occumbent, * mulieres captivae abducentur. 18. Daphne Peluſiorum lugebunt fractis a me *d*) *captivorum* ab Aegyptiis vinculis. Tunc ceſſabit iſta potentiae ſuae gloriatio, tanquam a nube obſcurabitur, *coloniae* ejus et ipſae captivae abducentur. 19. Sic puniam Aegyptum, ut me Jovam eſſe intelligatur. — — 20. Anno undecimo, primo menſis ſeptimi die, Jova me his verbis eſt allocutus: 21. Pharaonis Aegyptii regis brachium ita frangam, ut nec medicina, nec faſciis quibus obligetur adhibitis reſtitui poſſit ad gladium iterum manu tenendum. 22. Immo, inquit dominus Jova, vertam me in Pharaonem Aegy-

c) Hiſtoria hujus urbis extat in *Zornii* Opuſculis S. Tom. II. pag. 322.

d) Cf. Cap. XXXIV, 27. ubi ſententia plenius eſt enunciata.

Aegypti regem, et brachium ejus *e*) utrumque dextrum et ſiniſtrum frangam, et gladium ei de manu excutiam. 23. Diſſipabo Aegyptios inter gentes, diſpergam eos in varias regiones. 24. Brachium vero regis Babylonii confortabo, et gladium meum ei in manus tradam, ut fracto Pharaonis brachio confoſſus coram eo gemat. 25. Immo firmabo brachia regis Babylonis, Pharaonis vero brachia concident, atque tum intelligetur me Jovam eſſe, quum tradidero regi Babylonis gladium meum, qui eum in Aegyptum extendet. 26. Immo diſpergam Aegyptios inter gentes, diſſipabo eos inter nationes, ut conſtet inter omnes me Jovam eſſe.

CAPUT XXXI

1. Anno undecimo, primo tertii menſis die, Jova me juſſit 2. Pharaonem Aegypti regem populumque ejus his verbis alloqui: Cuinam ſimilis es in illa magnitudine tua? 3. *Rex* quidem Aſſyriae fuit ut cedrus Libani, pulcherrimis ramis, frondibus umbroſis, tanta altitudine, ut cacumine ſuo nubes attingeret. 4. Aquae eam nutriebant, latices educabant, flumina omnem, in quo plantata erat, locum circumibant, et de ſuis fontibus et aliae arbores irrigabantur. 5. Hinc etiam aliis arboribus omnibus altior evaſit, ramis compluribus

e) In textu eſt: זְרֹעֹתָיו אֶת־הַחֲזָקָה וְאֶת־הַנִּשְׁבָּרֶת Nihili eſt ſi vertas: *brachia ejus, forte et fractum.*

bus et longiſſimis, dum ſe per humoris abundantiam diffundebat. 6. In frondibus ejus omnis generis aves nidulabantur, ſub ramis animalia terreſtria pariebant, et ſub umbra ejus gentes quam plurimae requieſcebant. 7. Sic pulcherrima extitit magnitudine, ramis patulis, per aquarum copiam altas radices agens. 8. Cedri *a*) in horto Dei eam non *b*) ſuperabant, abietes non aequabant ejus ramis, platani non tales habebant ſurculos, nulla in iſto divino pomario tam pulchra extitit, quae poſſet cum illa comparari. 9. Ego eam tam pulchram, tam ramoſam feceram, ut arbores Edenis, pomarii illius olim a me conſiti, invidiſſent. 10. Verum enim vero, inquit, dominus Jova, cum ad tantam altitudinem * excreviſſet, ut ad nubes usque ſuo cacumine aſcenderet, ſuperbire de eo incepit, 11. propterea tradidi eam * gentium fortiſſimae, quae cum ea a me rejecta, prouti impietate ſua meruerat, egit. 12. Exciderunt eam peregrini, gentium ferociſſimae eam dejecerunt, per montes et valles diſſipati ſunt ejus rami, et confracti per varias regiones ſurculi diſperſi, gentes ſub umbra ejus quieſcentes eam deſeruerunt. 13. In trunco ejus conſident aves, et in frondibus degunt fera animalia. 14. *Quod factum eſt*, ut ſibi caveant aliae arbores ab iſta tali ſuperbia propter altitudinem ſuam, nec ſua cacumina ad nubes usque

a) Cf. XXVIII, 13.

b) Cf. notam *a*) Cap. XXVIII, 3.

que efferant, nec in aliis ejusmodi magnitudinem nimis *c)* admireatur. Nam omnes morti tradentur: ad inferos, ad alios dudum mortuos omnes tandem pervenient. 15. Quando igitur, inquit dominus Jova, *iſta cedrus* ad inferos deſcendet, efficiam ut ſummus ubique luctus exiſtat, ut aquae ſubterraneae lugeant, flumina ſubſiſtant, et aquae multae cohibeantur. Libanus ideo ipſa de ea contriſtabitur, omnesque ſilveſtres arbores ſtabunt exanimatae. 16. Quam ſi cecidiſſe audient gentes, vehementer commovebuntur, ſi eam ad inferos detruſero, ſolatium quoddam percipient in inferiori iſta regione arbores Edenis lectiſſimae, *olim* aquarum potatrices, Libani ornamenta. 17. Nam et haec aeque ac illa deſcenderunt ad inferos, ad alios interfectos, *d)* et quicunque ex aliis gentibus a poten-

c) In textu hebraeo eſt: *nec flent ad eas propter altitudinem earum, aquam bibentes*, h. e. arbores.

d) וזרעו *et brachium ejus* non niſi difficilem admittit explicationem. Affixum non referri niſi ad cedrum poteſt, de qua tamen ſermo non eſt in hoc verſu, ſed de illis qui cum ea perierunt. Οἱ ό et Syrus aliis punctis ſubjectis legerunt זרעו *ſemen ejus*: quae vero mutatio parum lucis affert. Non inepta eſt conjectura *Hubigantii:* וגועו *et perierunt quicunque ſub umbra ejus ſedebant.* Nolui tamen eam in verſionem recipere, quoniam antiquiores omnes in lectione literarum recepta conſentiunt. Senſum, qui verbis hebraeis videtur ſubeſſe, utcunque expreſſi,

potentia ejus defenſionem ſperaverant. 18. Tunc, o Pharao, illi ſimiles es, magnitudine et gloria inter alias Edenis arbores inſignis? Dejicieris ut illae ad barathrum, inter barbaros *e*), inter occiſos gladio jacebis. — Haec erunt fata Pharaonis et populi ſui, inquit dominus Jova.

CAPUT XXXII

1. Anno duodecimo, primo menſis duodecimi die, Jova me his verbis eſt allocutus: 2. Profer, homo, has naenias de Pharaone Aegypti rege: Tu quidem gentium quaſi leo es, aut balaena marina, ruens per tua flumina, aquam pedibus turbas et calcas. 3. At enim vero, inquit dominus Jova, expandam ſuper te rete meum, per gentes multas congregatas, quae te illa ſagena mea extrahent. 4. Tum te in terram ſiccam projectum relinquam avibus rapacibus, ſatiabuntur ex te fera animalia. 5. Carnem tuam per montes diſpergam, et valles tuis *a*) reliquiis implebo. 6. Ir-

preſſi, quanquam de eorum conſtructione mihi non conſtat.

e) Cf. de voce עֲרֵלִים Cap. XXVIII, 10. not. *b*).

a) Hebr. רָמוּתֶךָ quod vulgo vertitur *celſitudine tua*, h. e. toto tuo corpore. Quod contextui non ſatis aptum videtur. Minatur propheta diſſipationem vaſti illius corporis. In praecedenti membro carnem per montes eſſe di-

6. Irrigabo terram ſanguine tuo, *b*) cruor tuus *fluet* per montes, et valles a te implebuntur. 7. Coelum tegam in interitu tuo et ſtellas ejus obſcurabo, ſolem obnubilabo, et luna lucem ſuam non emittet. 8. Omnia coeleſtia luminaria propter te tenebris involvam, et terrae tuae inducam caliginem, inquit dominus Jova. 9. Multas gentes gravi dolore afficiam, quando famam de interitu tuo ad regiones tibi ignotas propagavero. 10. Obſtupefaciam de te multos populos, eorumque reges horrore de te corripientur, vibrante me gladium meum ante facies eorum, de ſua vita ſolliciti, cum tu cecideris. 11. Haec enim dicit dominus Jova: Gladius regis Babylonis te aggredietur. 12. Tuum exercitum numeroſiſſimum proſternam per gladios militum prae aliis ferociſſimorum, hi vaſtabunt ſuperbam iſtam Aegyptum et profligabunt

copias

ſpergendam dixerat; quibus valles opponit. His tribuit רְמוּת quod ex Arab. رمة *reliquias* indicat, quae ex re aliqua majori ſuperant, vid. *Golius* p. 1070. quae ſignificatio huic contextui aptiſſima videtur.

b) Non ſuo loco ſtat צָפָתְךָ quod parallelismus membrorum docet; Nam ſi jungitur ſequenti מִדָּמְךָ non habent ſequentia verba אֶל־הֶהָרִים verbum quocum conſtruantur. Sed hac trajectione admiſſa tria membra ſunt, quae ſibi bene reſpondent. Quae *Hubigantii* eſt conjectura.

copias ejus numeroſiſſimas. 13. Tum prohibebo ejus animalia ab aquis multis, quominus eas turbent, neque hominum pedes, neque animalium ungulae eas amplius turbidas reddent. 14. Tum tranquillabo illas aquas et flumina, ut leniter tanquam oleum fluant, inquit dominus Jova. 15. Quando Aegyptum ſic vaſtavero, quando, omnibus ejus incolis interfectis, deſerta erit, intelligetur me Jovam eſſe. 16. Hae ſunt iſtae naeniae, quibus aliae gentes deplorabunt, quibus Aegyptum ejusque populum lugebunt, inquit dominus Jova. — — — 17. Anno duodecimo, decimo quinto ejusdem *c*) menſis die, his verbis Jova me eſt allocutus. 18. Deplora, homo, Aegyptum, *vaticinare* eam non minus ac alias gentes nobiliſſimas ad ima terrae ad mortuos deſcenſuram eſſe *d*). 19. Cuinam praeſtas? deorſum et recuba inter alios barbaros. 20. Immo cadent cum aliis ferro interfectis. Gladio tradentur, rapient eam et homines ejus ad ſepulcrum. 21. Alloquentur eam heroum principes, orci incolae cum auxiliatoribus ſuis, qui

 jam

c) nempe duodecimi, non multo poſt praecedentem revelationem, cf. verſ. 1.

d) Imitari noſtrum carmen elegantiſſimum Jeſaiae Cap. XIV, 6. ſeqq. quisque intelligit, ſed facit id ſuo more, ita ut non minus ac in illo ingenii fertilitas, ſermonis copia et ſententiarum variatio ſit admiranda. — De ſignificatione vocis עֲרֵלִים in hac pericopa ſaepe obviae cf. Cap. XXVIII, 10. not. *b*).

jam deſcenderunt et jacent inter barbaros ferro trucidatos. 22. Ibi eſt Aſſur cum hominibus ſuis inter multa ſepulcra gladio occiſorum. 23. In hoc carcere et Aegypto ſuus aſſignabitur locus et homines ejus ſepulcra replebunt, gladio interfecti, qui dum viverent terrori erant. * 24. Ibi et Elam cum hominibus ſuis omnes enſe confecti, ut dignum eſt barbaris, venerunt ad ima terrae. Qui vivi alios terrebant, jam ignominioſe ad mortuos ſunt detruſi. 25. Aſſignatum eſt ei et hominibus ſuis ſuum cubile inter alia barbarorum et gladio occiſorum; qui inter vivos timendi, turpiter in barathro jacent inter multos occiſos. 26. Ibi quoque Cappadoces et Iberi cum ſuis ſunt ſepulti, omnes barbari gladio interfecti, quud vivi aliis erant formidabiles. 27. * Decumbunt cum heroibus iſtis, praedonibus * antiquis, qui ad inferos deſcenderunt cum armis ſuis, gladiis ſubter capita ipſorum repoſitis, *e*) poenam luentes peccatorum ſuorum, quod cum vivebant, aliis fuere terribiles. 28. Sic tu quoque *Aegypti rex* inter alios barbaros ferro trucidatos, confectus jace-

e) In textu eſt וַתְּהִי עֲוֹנוֹתָם עַל עַצְמוֹתָם. Mihi quidem עָוֹן *iniquitas*, metonymice pro poena iniquitatis dicta videtur, et עֶצֶם non ſubſtantivum *os*, ſed pronomen reciprocum, *ille*, *ipſe*. Senſus igitur verborum idem eſt, qui in phraſi יִשְׂאוּ כְלִמָּתָם verſſ. 24. et 30. Sic non opus eſt correctione, quam *Hubigantius* parum feliciter tentavit.

jacebis. 29. Ibi et Edom cum regibus ſuis et principibus, qui nihil eos juvante virtute ſua, jacent inter occiſos et ſepultos. 30. Ibi principes *f*) Aquilonis omnes et Sidonii, qui deſcenderunt ad occiſos, ut ut terribiles et potentes, turpiter victi cubant jam inter alios barbaros, poenam ignominioſam luentes cum aliis mortuis. 31. Quorum aſpectus ſolatium quoddam praebebit Pharaoni de ſuorum hominum fato. — Pharao cum exercitu ſuo gladio peribit, inquit dominus Jova. 32. Terribilis fuit *g*) me permittente aliis in vita ſua. Jam cubabit inter alios barbaros gladio jugulatos cum exercitu ſuo omni, inquit dominus Jova.

CAPUT XXXIII

1. Jova me his verbis affatus eſt *a*): 2. Haec dicito, homo, nomine meo popularibus tuis: Si regioni cuidam bellum intulero, et incolae aliquem ex ſuis ſpeculatorem conſtituerint, 3. isque hoſtem terram invadentem conſpicatus tuba ſignum dederit hominesque admonuerit, 4. et quispiam, audito tubae ſono, ſibi non proſpexerit, et ſic ab hoſte oppreſſus occubuerit:

 is

f) Tyrii, qui Judaeis ſunt ad Aquilonem.

g) Praeferendam putavi lectionem textualem חִתִּיתוֹ *terrorem ejus*, marginali, *terrorem meum*. Illam quoque exprimunt antiqui interpretes omnes, praeter Vulgatum.

a) Cf. ſimilem locum Cap. III, 17.

is ſua culpa periit. 5. Audierat enim tubae ſonum, nec ſibi cavit, ſua igitur culpa periit. Poterat admonitus vitae ſuae conſulere. 6. Quodſi vero ſpeculator viderit hoſtem adventantem, nec tuba ſignum dederit, nec homines admonuerit, et hoſtis aliquem eorum oppreſſerit: hic quidem propter delictum aliquod periit, ſed a ſpeculatore poenam illius mortis repetam. 7. Talem te, o homo, ſpeculatorem conſtitui Iſraëlitis, ut minarum mearum eos certiores faceres. 8. Nempe cum dixero impio, tu, o impie, mala morte peribis, et tu eum ad vitam ſuam emendandam non hortatus fueris, ille quidem propter peccata ſua auferetur, a te tamen quoque mortis illius poenam exigam. 9. Quodſi vero ad pravos ſuos mores corrigendos eum hortatus fueris et hic non reſipuerit, luet peccatorum ſuorum poenas, tu vero ſalvus evades. 10. Porro haec dicere debes, homo, Iſraëlitis: Vos quidem dicitis, ſi criminum et delictorum noſtrorum poenas luere debeamus, prorſus actum erit nobiscum: 11. Reſponde eis ſic *b*): Per vitam meam juro, inquit dominus Jova, non cupio mortem impii, ſed ejus correctionem et felicitatem. Reſipiſcite igitur, emendate vitam veſtram pravam, cur malletis infelices eſſe? o Iſraëlitae! 12. Porro dicere debes popularibus tuis: Probum probitas ſua non defendet, ſi peccaverit, nec improbo improbitas ſua nocebit, ſi reſipuerit. Vir bonus

b) Cf. Cap. XVIII, 23.

bonus non felix erit, quam primum peccaverit. 13. Quodſi viro bono vitam et felicitatem promiſero, atque hic virtutibus ſuis confidens male egerit, omnium virtutum ſuarum nullum fructum habebit: poenam dabit iniquitatis admiſſae. 14. Contra ſi impio poenam et mortem minatus fuero, atque hic ad bonam frugem ſeſe receperit, probe et honeſte vixerit, 15. pignus reddiderit, ablatum reſtituerit, verae virtuti ſtudioſus fuerit, ita ut ab omni iniquitate abſtineat: felix ab omni poena liberatus vivet. 16. Peccatorum antea commiſſorum non redibit memoria, jus et aequum facere inſtituit, vivet. 17. Verum populares tui negant meam agendi rationem rectam eſſe, cum potius ipſorum agendi ratio perverſa ſit. 18. Nam ſi probus a virtute ſua defecerit, mala patrarit, et *c*) propterea puniatur: 19. Contra, ſi improbus a vitiis abſtinere, jus et aequum facere inceperit, et propterea felix evadet: 20. Quomodo negant meam agendi rationem rectam eſſe, cum tamen quemque pro merito judicem? — — 21. Accidit

 autem

c) Pro בָּהֶם *Hubigantius* legendum cenſet בּוֹ quoniam praecedit עָוֶל laudat etiam codicem qui hanc vocem circello notatam habeat. Sic etiam Syrus et Codex Vaticanus. Nec tamen neceſſaria videtur mutatio, quia numerus ſaepe ſenſum, non verba reſpicit.

autem anno *d*) duodecimo, quinto die menſis decimi exilii noſtri, ut veniret ad me profugus quidam Hieroſolyma, qui urbem captam eſſe nuntiaret. 22. Sub veſperam vero, antequam ille veniret, quod mane erat, Jova os mihi iterum *e*) aperuit, ut non amplius obmuteſcerem. 23. Atque haec mihi dixit: 24. Iſti, qui ruinas terrae Iſraëliticae incolunt, ſperant, ſe, quod multi ſint, terram poſſeſſuros eſſe, quam Abrahamus ſolus poſſediſſet. 25. Sed reſponde eis meo nomine ſic: Vos ſanguinem editis, oculi veſtri intenti ſunt ad idola, caedes patratis, et vos terram inhabitare ſperatis? 26. *f*) armis veſtris confiditis,

d) Loco *duodecimi* anni Syrus interpres habet undecimum. Quem numerum praeferendum cenſet S. R. *Doederlein* in Additamentis ad *Grotium*, quoniam non probabile ſit, nuntium captae urbis non niſi exacto anno et quatuor menſibus ad exules veniſſe. Attamen ego putem lectionem receptam defendi poſſe, ſi dicatur prophetam eum annum, quo abductus eſt, ut integrum numerare, et huic annos undecim regni Sedekiae addidiſſe. Probabile autem eſt eum ſic numeraſſe, quoniam dicit: anno duodecimo *deportationis noſtrae.*

e) Cf. Cap. XXIV, 26. 27.

f) Sic Chaldaeus verba paullo difficiliora עֲמַדְתֶּם עַל חַרְבְּכֶם explicat. Oi ό, Syrus, Vulgatus verba ſine ſenſu dant: *ſtetiſtis in gladiis veſtris.* Elegans eſt conjectura S. R. *Doederlein* l. l. fortaſſe legendum eſſe חֲבַרְכֶם *ſteti-*

ſtis

ditis, idololatriam exercetis, adulteria committitis, et vos terram inhabitare vultis? 27. Sic igitur eis dicere debes: Per vitam meam juro, inquit dominus Jova: 'In his ipſis ruinis gladio peribitis. Qui rure degunt, hos feris animalibus devorandos objiciam, et qui in locis munitis aut ſpeluncis *latent*, peſte auferentur. 28. In vaſtam ſolitudinem hanc terram redigam, ceſſabit iſta potentiae tuae jactatio, ita deſolati erunt montes Iſraëlitici, ut nemo eo iter faciat. 29. Tum intelligent me Jovam eſſe, cum terram vaſtatam et deſtructam reddidero propter tot ſcelera ab eis commiſſa. 30. Populares g) quidem tui, o homo, de te ſermones miſcent in aedibus ſuis earumque veſtibulis, colloquuntur inter ſe et mutuo ſe excitant ad te conveniendum, et audiendum, quae tibi dixerim. 31. Confluunt ad te frequentes, aſſident tibi quaſi populus mihi maxime deditus. Sed nihil eorum, quae ex te audierunt, faciunt. Ore ſuo magnum quidem amorem prae ſe ferunt, mente vero tantum de lucro faciendo cogitant. 32. Te vero et dicta tua perinde habent,

 ac

ſtis contra ſocium veſtrum, h. e. populares veſtros impugnatis. Nec *Hubigantium* deſtituit ingenium ſuum. Is mutat חֲרְבְכֶם in רְחֹבְכֶם et connectit hoc membrum ſequenti, ſic: *ſtatis in plateis veſtris et abominationem facitis*, h. e. cultui idololatrico indulgetis in platea veſtra, ſ. palam profitemini idololatriam.

g) Sermo eſt de deportatis, inter quos propheta vivebat.

ac ſi carmen aliquod amatorium voce ſonora et bene modulatum cantes. Audiunt ſermones tuos, ſed nihil eos curant. 33. Sed ſi evenient *quae dixiſti* (certo vero evenient), tunc intelligent prophetam inter eos fuiſſe.

CAPUT XXXIV

1. Jova haec mihi dixit: 2. Vaticinare homo contra *a*) paſtores Iſraëlis, vaticinare et dic iſtis paſtoribus: Sic dicit dominus Jova: Vae paſtoribus Iſraëlis, qui ſe ipſos paverunt. Nonne paſtoris eſt, oves paſcere? 3. Sed vos lac comediſtis, lana vos veſtiiſtis, pingues mactaſtis, mali omnino paſtores fuiſtis. 4. Infirmas non confirmaſtis, aegrotas non ſanaſtis, fractas non obligaſtis, diſperſas non reduxiſtis, errantes non conquiſiviſtis, ſed violenter et ſevere eis praefuiſtis. 5. Igitur diſperſae ſunt, quod paſtorem non habebant, et devoratae a feris agreſtibus, palantes. 6. Oberrant oves meae in montibus et collibus, et per totam terram disjectae ſunt, nemo eas curat aut colligit. 7. Propterea, paſtores, audite, quod Jova dicit: 8. Per vitam meam juro, inquit dominus Jova, quoniam oves meae a paſtore deſti-

a) Exciſa urbe cauſas excidii propheta commemorat. Principum (qui *paſtores* dicuntur, etiam in Jeremia ſaepiſſime, e. c. II, 8. III, 15. X, 21. etc.) crimina, deinde et populi.

deſtitutae, direptae et devoratae ſunt a feris animalibus, cum paſtores eas negligerent, ſui curam tantum habentes, oves vero meas non paſcentes, 9. audite, inquam, paſtores, quod vobis dico; 10. In vos me convertam, repoſcam oves meas a manibus veſtris, abdicabo vos munere veſtro, non amplius vosmet ipſos paſcetis, eripiam oves meas faucibus veſtris, non amplius eas abſumetis. 11. Ipſe ego, inquit dominus Jova, curam ſuſcipiam ovium mearum, easque quaeram. 12. Quemadmodum ſolet paſtor oves a reliquo grege ſeparatas quaerere: ſic ego oves meas inveſtigabo, et liberabo eas ex omnibus locis, in quibus miſerae et afflictae oberrant. 13. Atque ex populis eductas et ex variis regionibus collectas, reducam in terram ſuam, et paſcam in montibus Iſraëliticis et vallibus, aliisque terrae locis. 14. Per amoena paſcua eas ducam et in montibus Iſraëlis altiſſimis habebunt ſua ſtabula. Ibi cubabunt et pingui paſcuo veſcentur. 15. Sic ego ipſe paſcam oves meas et ſtabulabo, inquit dominus Jova. 16. Perditas quaeram, diſperſas reducam, fractas obligabo, aegrotantes confirmabo, pingues et robuſtas * cuſtodiam, omnium diligentem curam geram. — — — 17. Vos vero quod attinet, oves meae, inquit dominus Jova, ego diſcernam *b*) oves ab arietibus et hircis. 18. Nonne

b) Altera pars Capitis, in qua peccata populi redarguit. — Quan-

ne ſatis vobis eſſe debebat, optimis paſcuis veſci? cur vero reliquias pedibus conculcatis? et aquam limpidiſſimam bibere? cur reſiduam pedibus turbatis,
19. ut meae oves pedibus veſtris contrita paſcere et conturbata bibere cogantur? 20. Scitote, me inter pecus obeſum et macilentum diſcrimen eſſe facturum.
21. Quoniam vos lateribus et humeris detruditis et cornibus arietatis infirmas, ita ut eas foras diſpergatis:
22. Ego defendam oves meas, ut non amplius a vobis vexentur, pecus a pecore ſecernam. 23. Dabo eis paſtorem, ſervum meum Davidem, is eos paſcet.
24. Ego vero Jova ero eorum Deus, et ſervus meus David eorum princeps. Ego Jova hoc promitto.
25. Efficiam ut ſumma felicitate fruantur, abigam fera animalia, in locis incultis tuto degent, et in ſaltibus dormient. 26. Dabo eis (ſaltibus) et locis colli meo vicinis ſummam fertilitatem, demittam pluviam tempeſtivam, pluviam foecundantem. 27. Tunc arbores fructus ſuos edent et terra proventum dabit, et illi in terra ſua ſecure degent. Ita me Jovam eſſe intelligent, quum fracto eorum jugo eos a poteſtate eorum liberavero, a quibus dura ſervitute premebantur.

Quanquam vero alias ſub hircorum et arietum nomine duces populi indicantur, ut Jer. L, 8. tamen iſtae voces h. l. non ita videntur uſurpatae, quoniam cum illis propheta jam egit. Sed potentiores et ditiores de plebe intelliguntur.

tur. 28. Non amplius a gentilibus diripientur, nec fera animalia eas conſument, ſecurae vivent terrente nemine. 29. Conſtituam eis * plantarium ſaluberrimum, non amplius fame affligentur, nec gentibus erunt ludibrio. 30. Atque intelligent me Jovam Deum eorum eſs adeſſe: illi vero populus meus, poſteri Iſraëlis, erunt, inquit dominus Jova. 31. Vos enim grex meus *c*), oves quas paſco, homines eſtis; quorum Deus ego ſum, inquit dominus Jova.

CAPUT XXXV

1. Jova me his verbis affatus eſt: 2. Verte te, homo, verſus regionem montanam Seir *a*), et contra eam ſic vaticinare. 3. Haec dicit dominus Jova: En te jam volo, o Seir, manum meam contra te extendo, reddamque te vaſtatam et deſtructam. 4. Urbes tuas deſolabo, deſerta eris et intelliges me Jovam eſſe. 5. Etenim per inimicitiam iſtam inveteratam Iſraëlitas gladio objeciſti, cum propter peccata ſua in extrema verſarentur calamitate. 6. Propterea per vitam meam juro, inquit dominus Jova: te caedi exponam, te caedes perſequetur, quod tu ab iſta crudeli-

c) His verbis propheta explicat, quomodo allegoria ſit intelligenda.

a) h. e. Idumaea, cf. Jer. XLIX, 17.

delitate *b*) non abhorruiſti, eadem tecum agetur. 7. Montes Seiriticos in ſummam vaſtitatem redigam, excisis omnibus eorum incolis. 8. Cadaveribus eos replebo. Per colles, valles et campeſtria loca jacebunt, qui gladio perierunt. 9. Deſtruam vos Edomitas in longiſſima tempora, quibus urbes veſtrae non habitabuntur, ut intelligatur me Jovam eſſe. 10. Dicitis enim utramque *c*) utriusque gentis terram veſtram fore, vos eam eſſe poſſeſſuros, me adhuc ibi praeſente. 11. Propterea per vitam meam juro, inquit dominus Jova, me pro ira, invidia et odio, quo erga eos egiſtis, vos eſſe judicaturum. 12. Et tunc intelligetis me audiviſſe convicia veſtra, quae in Iſraëlitas contuliſtis: vaſtatam eſſe eorum terram, veſtram eam eſſe, vobis in praedam datam. 13. Sic enim adverſus me vos jactaſtis et atroci oratione in me eſtis uſi, quam non ignoro. 14. Haec igitur dicit dominus Jova: *d*) lae-

b) Vulgatus omittit negationem: *cum ſanguinem oderis*. Syrus quoque: *ſanguis, quem oderis, ille ſanguis te perſequetur*. Sed lectio recepta praeferenda videtur.

c) Sperabant primum, decem tribubus in captivitatem Aſſyriacam abductis earum terram ſibi vindicare. Deinde everſo per Chaldaeos regno Judaico hujus regiones occupare optabant. Sed vanam futuram eſſe ſpem illam Deus dicit. *Me adhuc praeſente*, h. e. ſtante adhuc templo meo.

d) Pro כְּשְׂמֹחַ legendum videtur בְּשְׂמֹחַ ſic οἱ ό, ἐν τῇ εὐφροσύνῃ πάσης τῆς γῆς, et Vulgatus: *laetante univerſa terra*.

laetante tota terra vos vaſtabo. 15. Quemadmodum vos gaviſi eſtis terram Iſraëliticam vaſtatam eſſe, ſic efficiam, ut et veſtra terra, o Edomitae, deſtruatur. Ex quo me Jovam eſſe innoteſcet.

CAPUT XXXVI. *a*)

1. Vaticinare, homo, ad montes Iſraëlis, et ſic eos alloquere: Audite, montes Iſraëlis, quae dominus Jova dicit: 2. quoniam hoſtes de vobis gaudent, et dicunt: antiqui iſti montes nobis cedent in poſſeſſionem *b*). 3. Propterea vaticinare nomine meo his verbis: quoniam veſtram poſſeſſionem, cum vaſtati eſtis, inhiant finitimae gentes reliquae, et in hominum dicteria et probra veniſtis: 4. audite, montes Iſraëlis, quae dominus Jova dicit vobis, et collibus, campeſtribus locis et vallibus, vaſtatis et deſolatis, urbibusque derelictis, quae direptae ſunt et ludibrio habitae a reliquis gentibus finitimis, 5. haec, inquam, dicit dominus Jova: juro, me pro ardenti ira acturum eſſe in reliquas iſtas gentes, inprimis in Edomitas, qui terram meam occuparunt, ſumma cum mentis laetitia animique levitate, ut praedam legitimam *Judaeis* expulſis. 6. Vaticinare igitur ad terram Iſraëliticam, dic ejus montibus, collibus, locis campeſtri-

a) Promiſſo de reditu aliquando futuro ex captivitate. Similis Apoſtrophe ad montes etiam eſt Cap. VI, 2 ſeqq.

b) Edomitae inprimis, de quibus modo in Capite praeced.

peſtribus vallibusque meo nomine: ego pro aemulatione mea iraeque vehementia haec edico: quoniam vos gentes ignominioſe tractant, 7. ſublata manu juro, iſtas gentes vobis vicinas viciſſim ignominiam eſſe ſubituras. 8. Vos vero, o montes Iſraëlis, et ramos veſtros edetis, et fructus feretis, Iſraëlitis meis proxime redituris. 9. Etenim favorem in vos meum iterum oſtendam, colemini, conferemini. 10. Efficiam ut magna ſit in vobis hominum frequentia, nempe univerſa gens Iſraëlitarum, urbes incolentur et quae deſtructa erunt reſtaurabuntur. 11. Magna erit in vobis non hominum ſolum, ſed et animalium copia, quae crebreſcent et foetificabunt. Efficiam ut habitemini, ſicuti olim, et plura bona in vos conferam quam antea. 12. Homines ad vos ducam, nempe meos Iſraëlitas, qui vos occupabunt et poſſidebunt, nec eos amplius orbabitis *c*). 13. Sic enim dicit dominus Jova: quoniam vos traducunt, tanquam qui homines conſumerent *d*) gentesque orbarent. 14. Profecto non amplius homines conſumetis, nec gentem veſtram orbabitis. 15. Non patiar ut audiantur

c) Sequentes verſus explicant, quomodo hoc fieri deberet.

d) Scilicet praeliis in terra Judaica commiſſis. — Mutavit in ſequentibus propheta conſtructionem, pluralem in ſingularem generis foeminini. *Montes* nimirum, quos antea dixerat, jam *terram* vocat. Sed in verſione numerum pluralem retinendum putavi.

tur de vobis deinceps probra gentium, nec populorum contumeliam ulterius ſubibitis. Nam veſtram gentem non amplius orbabitis, inquit dominus Jova. 16. Praeterea haec mihi Deus dixit: 17. Iſraëlitae, homo, terram, quam habitant, vita ſua perditiſſima inquinarunt, mores eorum deteſtor, ut mulieris menſtruatae impuritates. 18. Effudi igitur iram meam in eos propter caedes in terra commiſſas et propter turpiſſimam idololatriam, qua eam polluerunt. 19. Diſperſi eos inter gentes, diſſipavi per regiones, pro corruptiſſimis eorum moribus in eos animadvertens. 20. Verum et inter gentes, inter quas *e*) verſantur, nomen meum ſanctum profanarunt. Vocantur enim populus Jovae, e cujus terra abducti ſint. 21. Sed rationem habebo nominis mei ſancti, quod iſti inter gentes, apud quas degunt, profanant. 22. Igitur haec dicere debes ex auctoritate mea Iſraëlitis: non propter vos *f*) magna praeſtabo, Iſraëlitae, ſed propter nomen meum ſanctum, quod apud gentes, ad quas veniſtis,

e) Pro יָבוֹא legendum eſt ſine dubio יָבוֹאוּ ſic omnes veteres et ſequitur etiam ſtatim אֲשֶׁר בָּאוּ שָׁם *Profanarunt nomen meum*, h. e. ibi quoque peccarunt, quo fit, ut ego male audiam, quum mei dicantur eſſe. Atque ob id crimen ego eos delerem. Sed male audirem apud gentes, niſi eos revocarem, ut promiſi. *Caſtellio.*

f) Sic עֹשֶׂה h. l. uti alias et infra verſ. 32.

veniſtis, profanatis. 23. Verum enim vero vindicabo honorem nominis mei magni. Intelligent omnes iſtae gentes me Jovam eſſe, inquit dominus Jova, dum in vobis ſanctus agnoſcar * illis ſpectantibus. 24. Etenim *g*) vos ex omnibus iſtis gentibus et regionibus congregatos reducam in terram veſtram. 25. Aqua pura vos conſpergam, ut mundemini; ab omni idolorum veſtrorum ſpurcitie vos purgabo. 26. Novum animum vobis dabo, alia mente vos inſtruam, remoto iſto animo duro mollem et flexilem vobis indam. 27. Non deerunt vobis prophetae *h*) et doctores, et efficiam, ut ſecundum leges meas vivatis atque inſtituta mea diligenter obſervetis. 28. Tunc inhabitabitis terram, quam majoribus veſtris dedi, populus eritis mihi ſacer, et me ut Deum veſtrum coletis. 29. Servabo vos ab omnibus *i*) imparitatibus veſtris. Frumentum evocabo et multiplicabo, fame nunquam amplius vos affligam. 30. Arborum fructus et agrorum proventus augebo, ne vobis amplius inopia apud alias gentes poſſit exprobrari. 31. Tum vos, ſi recordamini vitae veſtrae ante actae peſſimae morumque corruptiſſimorum, pudebit criminum iſtorum deteſtabilium.

32.

g) Jam docet, quomodo nominis ſui honorem vindicare velit.

h) hebr. Spiritum meum dabo in medio veſtrum.

i) h. e. idololatria. Ad quam quoque Judaei poſthacc nunquam relapſi ſunt. Cf. in ſequenti Capite v. 23. 24.

32. Atque intelligetis me non propter merita veſtra iſta praeſtitiſſe, inquit dominus Jova. Immo pudeat vos et erubeſcite propter vitam veſtram, o Iſraëlitae! — — 33. Quando vos ſic mundavero ab omni iniquitate, efficiam ut urbes iterum habitentur, et diruta reſtaurentur. 34. Terra vaſtata iterum coletur, quam viatores conſpiciebant deſertam. 35. Quomodo, inquient, haec terra, quae adeo vaſtata erat, converſa eſt in hortum amoeniſſimum? urbes dirutae, deſtructae et everſae, habitantur munitae. 36. Ex quo intelligent omnes gentes finitimae, me Jovam iſtas ruinas reſtauraſſe, et plantaſſe extirpata. Ego Jova hoc promitto, idque etiam praeſtabo. 37. Porro, inquit dominus Jova, in eo quoque curam geram Iſraëlitarum, ut eos augeam inſtar gregis. 38. Inſtar gregis lectiſſimi, ſicuti oves, quae Hieroſolymam feſtis ſolennibus deferuntur; tales erunt quoque urbium jam vaſtatarum incolae copioſi. Ex quo intelligetur me Jovam eſſe.

CAPUT XXXVII

1. In ecſtaſi divina a) viſus mihi ſum ſtare in valle, quae eſſet oſſium plena. 2. Tum Jova, cum me per omnem hujus vallis ambitum, in quo perquam multa eaque arefacta oſſa jacerent, deduxiſſet, 3. me interroga-

a) Hebr. *et fuit ſuper me manus Jovae, et eduxit me in ſpiritu Jovae, et collocavit me in valle.* Cf. Cap. VIII, 3.

rogavit, num putarem iſta oſſa reviviſcere poſſe. Re-
ſpondi: tu ipſe, domine Jova, hoc noſti. 4. Tum il-
le, vaticinare, inquit, de iſtis oſſibus, eaque his ver-
bis alloquere: Audite vos oſſa arida, quae Jova dicit:
5. ego vos ſpiritu vitali animabo, 6. nervis inſtruam,
carne obducam, cute obtegam, tandemque vitam lar-
giar, et intelligetis me Jovam eſſe. — — 7. Quae
cum eſſem effatus, uti juſſus eram, motus extitit, et
oſſa ſibi invicem jungebantur. 8. Videbam ea nervis
inſtructa, carne veſtita, cute tecta, ſed vita adhuc ca-
rebant. 9. Tum ille mihi dixit: alloquere, homo,
ventum his verbis: Haec dicit dominus Jova: e qua-
tuor terrae plagis *b*) orire, vente, et affla hos interfe-
ctos ut reviviſcant. 10. Quod cum feciſſem, illo ven-
to ſunt animati, revixerunt et ſteterunt erecti; ingens
vero eorum erat multitudo. 11. Tum ille pergebat:
haec oſſa, homo, ſunt Iſraëlitae. Dicunt illi quidem:
exaruerunt oſſa noſtra, ſpesque omnis nobis eſt exci-
ſa. 12. Sed vaticinare ad eos meo nomine: ego ape-
riam ſepulcra veſtra, et educam meos ex eis, intro-
ducam vos in terram Iſraëliticam. 13. Quae cum per-
fecero, intelligetis me Jovam eſſe. 14. Spiritu meo
vos animabo ut reviviſcatis, reſtituam vos terrae ve-
ſtrae, praeſtabo quae promiſi, inquit Jova. — 15. Por-
ro Jova ſic me allocutus eſt: 16. Sume, homo, tabu-
lam

b) Similis loquendi forma eſt Jer. XLIX, 36. ſupra Cap. V, 10. XII, 14. XVII, 21.

lam ligneam, eique inſcribe: c) Júda et Iſraëlitae illi aſſociati. In alia vero tabula ſcribe: Joſephus, lignum Ephraimi et omnes Iſraëlitae eis juncti. 17. Deinde alteram alteri junge, et in manu tua quaſi in unam coaleſcant. 18. Quodſi populares tui te rogant, ut eis explices, quid haec debeant ſignificare, 19. reſponde eis: Sic dicit dominus Jova: ego ſumam lignum Joſephi, quod eſt ad latus d) Ephraimi, cum reliquis tribubus Iſraëliticis illi junctis, illudque aduniam ligno Judae, et efficiam, ut unum lignum evadant in manu mea. — — 20. Atque has tabulas a te inſcriptas manu tenens illis ſpectantibus, 21. ſic perge nomine meo eis dicere: ego collectos Iſraëlitas ex gentibus, inter quas vivunt, deducam in terram ſuam. 22. Ibique ex eis unam gentem efficiam, unus rex eis omnibus praeerit, non amplius in duas gentes aut duo regna erunt diviſi. 23. Neque ſe deinceps polluent idololatria abomina-

c) ל h. l. eſt *δεικτικὸν*, ut Jeſ. VIII, 1. non nota dativi. — Indicatur vero utrumque regnum, Judaicum, cui tribus Benjamin juncta erat, et Iſraëliticum.

d) יד non poteſt verti *manus*, ſed *latus*, quam ſignificationem ſaepe habet. Intelligitur vero alterum lignum, ſ. tabula lignea, cui ſecundum verſum 16. inſcripſerat illa verba: Joſephus, lignum Ephraim et omnes Iſraëlitae. Quae vero verba non in uno latere, ſed in utroque ſcripta erant, quanquam hoc v. 16. non clare indicatum eſt. Fortaſſe in uno latere tantum ſcriptum fuit: *Joſephus*, in altero vero reliqua verba.

minabili, aut tot aliis ſceleribus, quibus antea dediti fuerunt. Liberabo eos ex illis locis *e*), in quibus peccarunt, puros eos efficiam, populus erunt mihi ſacer, me ut Deum ſuum colent. 24. Davides vero meus eorum rex erit, et unum omnes paſtorem habentes ad leges meas vivent et ſtatuta mea diligenter obſervabunt. 25. Sic terram inhabitabunt, quam Jacobo meo dedi, quam majores eorum jam tenuerunt, ibique cum ipſi, tum filii eorum et nepotes in aeterna tempora vivent, ſub principe ſuo longaevo *f*) Davide meo.

26.

e) ſc. exilii ſui, in quibus non minus ac in terra ſua idololatriae dediti fuerant. LXX interpretes h. l. habent aliam lectionem, quam, quoniam contextui perquam apta eſt, nolo ſilentio praeterire: *καὶ ῥύσομαι αὐτὰς ἀπὸ πασῶν τῶν ἀνομιῶν αὐτῶν, ὧν ἡμάρτοσαν ἐν αὐταῖς.* Nimirum loco מוֹשְׁבֹתֵיהֶם legerunt מְשׁוּבֹתֵיהֶם *defectiones eorum.* Sed quoniam recepta lectio commodam admittit explicationem, atque etiam Syrus, Chaldaeus et Vulgatus eam exhibent, non putavi eam ſollicitandam eſſe. Fortaſſe quoque ex lectione *τῶν ὁ* hebraice dicendum fuiſſet in ſequentibus verbis, non אֲשֶׁר חָטְאוּ בָהֶם ſed אֲשֶׁר חָטְאוּ בִי *quibus contra me peccarunt.*

f) Haec non poſſunt de Sorobabele intelligi, qui nec ipſe diu praefuit Iſraëlitis reducibus ex captivitate, nec poſteros habuit ſucceſſores. Igitur ſine dubio promittitur hoc loco regnum Meſſiae, ſed eſt *vaticinium conditionatum*, cujus eventus ſive plenarium implementum pendebat ab

obe-

26. *g*) Felicitatem eis largiar in aeternum duraturam *, multiplicabo eos et ſacra mea peragent in perpetuum. 27. Sedem meam apud eos habebo, me ut Deum ſuum colent, et illi populus erunt mihi ſacer. 28. Et ſic intelligent gentes, me Jovam ſanctificaſſe Iſraëlitas, dum ſacrarium meum apud eos eſt in perpetuum.

CAPUT XXXVIII. *a*)

 1. Jo-

obedientia populi. Quae cum eſſet admodum imperfecta, mirum non eſt, ſi ampliſſimae illae promiſſiones non ita ſunt impletae, uti factum eſſet, ſi omnes rediiſſent, terram eis promiſſam recuperaſſent, et Jeſum Meſſiam ut regem ſuum agnoviſſent et excepiſſent.

g) hebr. Foedus pacis pangam cum eis, cf. XXXIV, 25.

a) Cum tantus ſit virorum doctiſſimorum circa hoc et ſequens caput diſſenſus, equidem ab illa arrogantia longe abſum, ut judicem agam aut definire aliquid audeam. *Grotii* quidem hypotheſis mihi quoque ut aliis viris perſpicaciſſimis valde probabilis videtur, *Antiochum Epiphanem* indigitari a propheta. Favet enim tempus, quod aſſignatur huic bello, nempe non nimis remotum a reditu ex exilio. Favet quoque infelix hujus expeditionis a Gogo iſto ſuſceptae exitus. Sed ſentio non minus difficultates, quibus haec hypotheſis premitur. Primo nominis *Gogi* huic regi dati, deinde regionum, quarum princeps dicitur, Magog, Roſch (quod ab aliis proprium nomen, ab aliis appellativum putatur), Meſchech et Tubal, tandem etiam cladis inferendae huic hoſti a populo judai-

judaico, quae gravior praedicitur, quam ut in victoriis Maccabaeorum impleta videri poſſit, — Primum ſcrupulum evellit fere Illuſtris *Michaelis* (in Spicilegio geogr. exterae p. 34.) qui putat Ezechielis tempore Magogitarum tyrannos hereditario nomine *Gog* vocitatos fuiſſe, uti reges Aegypti omnes uno nomine Pharaones vocabantur. Sed quae praeterea Vir Summus l. l. diſſeruit de terra Magog, ea quidem ad locum Geneſeos illuſtrandum quam maxime faciunt, ſed an eadem illa Magog ſive Tartariae pars ſeptentrionalis intelligenda ſit in Ezechiele, id quidem mihi non veriſimile videtur, quoniam in illis temporibus non nimis remotis a reditu Judaeorum nulla Tatarorum in Palaeſtina irruptio, nulla eorum clades ex hiſtoria poteſt oſtendi. Neque ipſe vir illuſtris in hac eſt opinione, quod plane dixit pag. 36. Sed de vaticinio Ezechielis, quod ab ejus conſilio alienum erat, non egit. — Fuerunt, qui exiſtimarent, hujus prophetiae implementum adhuc expectandum, et non niſi extremis eccleſiae temporibus hoſtem illum metuendum eſſe, quoniam propheta Cap. XXXVIII, 8. dicat בְּאַחֲרִית הַשָּׁנִים Gogum invaſurum eſſe terram. Sed non nimis tribuendum eſſe huic argumento, concedent omnes qui ſciant, formulam hanc aeque ac alteram בְּאַחֲרִית הַיָּמִים poſſe etiam explicari per *tandem.* Praeterea contra hujus ſententiae patronos iterum iterumque urgeo temporis determinationem ab ipſo propheta factam, quae aliam interpretationem non admitit: calamitatem hanc una cum exitu ejus felici incidere debere in tempora non nimis remota ab reditu Iſraëlitarum ex captivitate. Atque omnino mihi haec hypotheſis de vaticiniis adhuc implen-

1. Jova me ſic affatus eſt: 2. Verte te, homo, ad Gogum, terrae Magog *b*) principem, caput Meſchechi et Tubalis, et vaticinare contra eum, 3. his verbis: haec dicit dominus Jova, te jam volo, Goge princeps, caput Meſchechi et Tubalis. 4. Te convertam injectis frenis ori tuo, ejiciam te cum omni exercitu tuo, equis et equitibus egregie armatis. Quorum ingens copia eſt ſcutis et clypeis inſtructi, gladium omnes tenentes. 5. Perſae, Aethiopes, Libyi inter eos ſunt omnes clypeati et galeati. 6. Gomer cum ſuis catervis, Armeni, extremae Septentrionis nationes cum ſuis catervis, gentes multae tibi auxiliantur. 7. Arma te, et ſociorum tuorum multitudinem, eſto eorum imperator: 8. Diu *eis c*) imperabis. Tandem aggredieris

 ter-

plendis parum videtur probabilis. In tanto hiſtoriarum defectu illorum temporum et regionum quis negare ſuſtineat illa vaticinia eſſe impleta? et quidni etiam Ezechiel fata Antiochi praedixerit, de quibus Daniel adeo multa? Sed dixit de iis ſuo more, ſuo ingenio, verborum copia rerumque exaggeratione.

b) Sic *Grotius* verba jungit.

c) תִּפָּקֵד quid h. l. ſit, difficilius dictu. Oi ó vertunt *ἑτοιμασθήσεται.* Syrus idem verbum habet אֶתְפַּקַדְתְּ. Chaldaeus: *parabis exercitum tuum.* Ego ex ſignificatione, quam alias in Hiphil habet, *praeeſſe*, verti paſſive, *praefectus eris*, ſ. *imperabis*, atque ex antecedenti verſu repeto ſocios ſ. gentes Gogo junctas.

terram, *cujus incolae* gladio evaſerunt, ex pluribus gentibus collecti, montes Iſraëliticos *d*) diu vaſtatos, et reducti ex gentibus ſecure omnes vivunt. 9. Venies quaſi tempeſtas, quaſi nubes terram tegens, cum tuis turmis, populisque multis te comitantibus. 10. Tunc, inquit dominus Jova, has animo tuo volves cogitationes, haec perniciofa cudes conſilia: 11. Invadam terram pagis tantum inſtructam, aggrediar tranquillos illos et ſecure habitantes, non muris, non vectibus, aut repagulis munitos. 12. Ad praedandum, ad diripiendum, ad occupandas ruinas modo reſtauratas. Gentem invadis ex aliis collectam, quae rem pecuariam exercet, terraeque *e*) umbilicum inhabitat. 13. Sabaei, Tetanenſes, mercatores Tarteſſi eorumque *f*) potentiores tibi *gratulabundi* dicent: itane ad praedam agendam, ad ſpolia congerenda coëgiſti iſtam multitudinem? ad aurum et argentum auferendum, ad pecora abigenda, ad potiendum ingenti praeda. — — 14. Igitur vaticinare, homo, dic Gogo, ſic fatur dominus Jova: Tu quidem aliquando populum meum Iſraëliticum ſecure habitantem * aggredieris. 15. Venies ex loco tuo, ex remotiſſimis Septentrionis regionibus,

d) תָּמִיד h. l. *diu*, nempe per ſeptuaginta annos.

e) Sic Hieroſolyma vocatur propter ſitum ſublimiorem, utuntur enim Hebraei hoc vocabulo de quovis loco editiori, ut Jud. IX, 37.

f) hebr. *leones*.

nibus, tecum multae aliae gentes, equis vectae, ingens multitudo, exercitus maximus. 16. Adoriris meos Iſraëlitas, ut nubes terram obtegens. Fiet hoc ſuo tempore. Sed ego ipſe te adduco contra terram meam, ut innoteſcam gentibus, dum in te majeſtatem meam oſtendero illis ſpectantibus. — — 17. Haec dicit dominus Jova: Tu ſane is es, de quo diu ante locutus ſum per prophetas meos, qui ante multos annos adventum tuum praedixerunt. 18. Quando vero ille g) Gogus terram Iſraëliticam invadet, inquit dominus Jova, ira mea exardeſcet, 19. et per vehementiſſimam indignationem haec minor: ingentes motus tunc excitatum iri in terra Iſraëlitica. 20. Contremiſcent prae me piſces, aves, fera animalia, humi repentia et omnes homines illius terrae incolae. Evertentur montes, corruent turres, muri concident. 21. Tandem vero in eum excitabo gladium in montibus meis, inquit dominus Jova, gladio ſeſe mutuo conficient. 22. Peſte et caede eum conſumam, imbrem inundantem, lapides grandinis, ignem et ſulphur in eum et catervas ſuas depluam et in multas iſtas gentes ei aſſociatas. 23. Sic ſanctitatis meae magnitudinem manifeſtabo, et innoteſcam nationibus multis, ut me Jovam eſſe intelligant.

CAPUT

g) Mutatio perſonae, quae usque ad finem capitis continuatur.

CAPUT XXXIX

1. Porro vaticinare, homo, contra Gogum his verbis:
haec dicit dominus Jova: En te volo, Goge princeps
et caput Meſchechi et Tubalis. 2. Te converſum
a) circumagam, cum ab extremis Septentrionis regio-
nibus te excitavero et adduxero contra montes Iſraë-
liticos. 3. Nam et arcum ex ſiniſtra tibi excutiam et
ſagittas e dextra dejiciam. 4. Cades in montibus Iſ-
raëliticis cum omnibus copiis tuis, gentibusque te au-
xiliantibus. Objiciam te et exercitum tuum devoran-
dum avibus rapacibus, ferisque animalibus. 5. Per
campos proſtrati tu cum tuis jacebitis, hoc ego mini-
tor, inquit dominus Jova. 6. Magogum igne vaſta-
bo et incolas orae maritimae ſecuros. Me Jovam eſ-
ſe intelligent. 7. Sanctitatem meam manifeſtabo in-
ter meos Iſraëlitas, non amplius eam profanari con-
cedam. Scient gentes, me Jovam eſſe, numen Iſraë-
litarum. 8. En inſtat, venit, inquit dominus Jova,
ille dies quem dixi. 9. Tum incolae urbium Iſraëliti-
carum

a) שִׁשֵּׁאתִיךָ ἅπαξ λεγ. nam quod infra Cap. XLV, 13. legitur, male cum hoc confunditur. Οἶ ὁ, *καθοδηγήσω σε*, quod probat *Lud. de Dieu* in Critica S. ad h. l. et illuſtrat ex lingua Aethiopica, in qua hoc verbum ששא eſt *ambulare*, *obire*, et in Conjugatione tranſitiva *quaquaverſum ducere* et *ſeducere*. A quibus non diſſentit Vulgatus: *ſeducam te*, pro quo tamen in nonnullis editionibus legitur *educam*, male.

earum ex *captis ab hoſtibus ſuis* armis, ex ſcutis, clypeis, arcubus, ſagittis, fuſtibus et lanceis, materiam ignis habebunt in ſeptem annos. 10. Non comportabunt in uſus ſuos ligna ex agris, non caedent in ſilvis, ſed arma *hoſtium* cremabunt, nam ſpoliabunt, qui ipſos ſpoliarunt, diripient qui ipſos diripuerunt, inquit dominus Jova. 11. Atque illo tempore deſtinabo Gogo ſepulcrum in terra Iſraëlitica, *nempe* vallem *b*) maris orientalis, *ob cujus foetorem* nares ſibi obturabunt praetereuntes; ibi ſepelient Gogum cum exercitu ſuo: qui locus etiam vallis copiarum Gogi vocabitur. 12. Sepelient eos Iſraëlitae, ut terra mundetur ſeptem menſibus. 13. Omnes terrae incolae in eis ſepeliendis erunt occupati, eritque ille dies, quo me glorioſum praeſtitero, celebris inter eos, inquit dominus Jova. 14. Deſtinabunt vero homines certos, qui terram peragrent et ſepeliant relicta *forſan cadavera inhumata* ad terram purgandam, per ſeptem menſes hanc curam adhibebunt. 15. Quodſi illi terram luſtrantes viderint cadaver, paxillum juxta illud ſtatuent, ut a veſpillonibus ſepeliatur in valle copiarum Gogi. 16. Atque adeo urbs ipſa *c*) Hamona vocabitur. Et ſic terram mundabunt. — — 17. Sic dicit dominus Jova: Alloquere homo aves omnis generis et fera animalia;

b) h. e. lacus Genezareth, ad quam Antiochus inſignem cladem accepit 1 Maccab. V, 21.

c) nempe Hieroſolyma.

malia: *d*) congregamini, venite, adeſte ex omnibus locis ad epulas quas vobis paravi. Largae ſunt epulae in montibus Iſraëliticis. Carnem vorabitis, ſanguinem bibetis. 18. Carnem heroum, ſanguinem principum. Arietum, agnorum, hircorum, taurorum, qui omnes Baſane *e*) ſunt ſaginati. 19. Comedetis adipem ad ſatietatem, ſanguinem bibetis ad ebrietatem in iſto convivio, quod vobis inſtruxi. 20. Satiabimini in menſa mea equis et vectoribus, heroibus et omnis generis militibus, inquit dominus Jova. 21. Sic meam inter gentes majeſtatem manifeſtabo, omnes videbunt judicia mea et poenas, quas eis *f*) irrogavero. 22. Iſraëlitae vero inde ab hoc tempore et deinceps agnoſcent me Jovam Deum eſſe, qui eorum curam gerat. 23. Et gentes intelligent, illos propter peccata, quibus me offenderant, deportatos eſſe et traditos hoſtibus et gladio interfectos. 24. Pro peccatorum ſuorum gravitate me cum eis egiſſe et favorem meum ſubtraxiſſe. 25. Jam vero, inquit dominus Jova, reducam captivos Jacobitas, miſerebor Iſraëlitarum, vindicabo nominis mei ſanctitatem. 26. Et *g*) obliviſcen-

d) Cf. ſimilem locum Jeſ. XXXIV.

e) h. e. pinguiſſimi.

f) nempe hoſtibus Judaeorum.

g) Praeferenda eſt lectio textualis נָשׁוּ propter apodoſin in eodem verſu, quanquam lectionem marginalem נָשׂאוּ antiqui interpretes exprimunt.

Digitized by Google

ſcentur miſeriae et calamitatis eis ob peccata ſua inflictae, quando in patria ſua ſecuri habitabunt, nemine deterrente. 27. Quando eos ex gentibus reduxero et collegero ex hoſtilibus terris, apparebit quam ſanctus ſim, ſpectantibus multis nationibus. 28. Certiſſime erunt perſuaſi, me Jovam eſſe Deum qui eos amet, dum exules inter gentes iterum congregavero in patria ſua nemine ex eis relicto. 29. Favorem meum non amplius eis ſubtraham, curabo ut *h*) non deſtituantur doctoribus qui eos erudiant, inquit dominus Jova.

CAPUT XL. *a*)

1. Ini-

h) Hebr. *effundam ſpiritum meum in Jacobitas.* Explicandum puto ut ſupra XXXVI, 27.

a) In duas partes diſcedunt interpretes circa explicationem ultimae hujus pericopae, quae eſt ab hoc Capite usque ad finem.

I. Alii nempe, cum viderent eam de exſtructione templi, cultus ſacri inſtitutione, urbis Hieroſolymae reſtauratione atque totius terrae inter duodecim tribus diſtributione praecipere, exiſtimarunt non poſſe ea omnia de temporibus reditus ex captivitate explicari, quibus nihil eorum ex praeſcripto divino, ab iis qui in patriam redierunt, peractum eſt aut inſtitutum. Igitur arbitrati ſunt, alia longe diverſa indicari a propheta, quam quae verba in ſenſu proprio ſonarent; improprium ſive myſticum ſenſum his omnibus ſubeſſe, transferenda haec eſſe omnia ad eccleſiam Novi teſtamenti, hanc a

pro-

1. Initio anni quinti et viceſimi exilii noſtri, die deci-
mo illius menſis, quarto decimo anno, ex quo urbs capta
erat,

propheta deſcribi verbis et imaginibus e cultu Levitico ſumtis. — — At enim vero facile poteſt demonſtrari, myſticum hujus pericopae ſenſum nullo modo admitti poſſe, neque ex ipſius Dei conſilio typicum ejusmodi ſenſum rebus a propheta viſis ſubeſſe debere. Etenim primo Cap. XL, 4. hortatur angelus prophetam, ut diligenter ad omnia quae videret, attenderet, *quo poſſet ea Iſraëlitis renunciare*, et Cap. XLIII, 10. 11. iterum jubetur propheta admonere Iſraëlitas, ut in novo templo abſtinerent ab eis peccatis, quibus prius contaminaſſent, et *ut facerent omnes partes novi templi ex praeſcripto.* Ex quibus locis plane apparere arbitror, omnia quae in hac pericopa praeſcribuntur pertinere ad Iſraëlitas, neque ullo modo eſſe probabile, prophetam inſtituere debuiſſe Iſraëlitas exules ſuae aetatis de rebus ad eos nihil pertinentibus. Quid enim ad eos eccleſia Novi Teſtamenti, ejus inſtituta, praerogativae, aut ſimilia, quae ex ſenſu myſtico prophetae verbis indicata putantur? Deinde illae myſticae explicationes ita arbitrariae ſunt, itaque contortae ut mirum eſſe poſſit, placere ea potuiſſe aut vera videri viris doctis, niſi ex aliis exemplis conſtaret, quantum ſemper ingenium judicio praevaleat apud eos, qui ſenſum myſticum ubique venantur. Adſcribam nonnullas harum explicationum, ut dictis fidem faciam, ex *Calovii* Bibliis illuſtratis. Ita vero ille habet ad Cap. XL, 3: Caeterum templum *inprimis Chriſtum* ſignificare, *Eccleſiam* tamen

erat, illo inquam die 2. in ecſtaſi divinitus illata mihi videbar in terram Iſraëliticam deductus et in monte

tamen etiam ceu *corpus Chriſti myſticum* adumbrare putat *Oſiander*. *Poſterius* hoc admittimus, quod eccleſia adumbretur, non item *prius*; nedum *utrumque*. *Gradus*, per quos aſcenditur, v. 6. profectus in agnitione Dei; *thalami*, in quibus ſacerdotes ſacrum veſtitum aſſumere debeant, v. 7. fidelium, veterem hominem exuentium, novum induentium ſacerdotiûm, 1 Petr. II; *veſtibulum portae* v. 9. praeparationem eorum, qui miniſterio evangelii functuri ſunt; *portae latitudo et altitudo*, aperiendas eſſe regi gloriae Chriſto portas mundi; *ſedile ante thalamos*, concedendum eſſe aliquod ſpatium miniſtris eccleſiae, ut a laboribus requieſcant et reſpirent, v. 12; *feneſtrae intus anguſtiores*, ut, qui in conclavi ſunt, longius et latius proſpiciant, quam, qui extra ſtantes per feneſtras in conclave inſpicere cupiunt, miniſtros eccleſiae copioſiorem decere myſteriorum divinorum cognitionem ſignificant, v. 16; *pavimentum lapide ſtratum*, firmum fundamentum fidei Chriſtianorum, v. 17; *porta aquilonaris*, etiam ſeptentrionales gentes ad agnitionem Dei perventuras, v. 20; *feneſtrae* autem *ſimiles* eandem rationem ingrediendi in regnum coelorum v. 22. notabant. Cap. XLVI, 24. quid *culinae*, in quibus Levitae carnes ſacrificiorum coquere debebant, ſignificent, his verbis *Oſiandri* explicatur: In eccleſia Chriſti coquuntur carnes ſacrificiorum, cum eccleſiae miniſtri *evangelicas de Chriſto conciones non impraemeditatas et crudas maleque diſpoſitas* auditoribus obiiciunt,

te praealto collocatus, in quo urbs videbatur exſtructa ab auſtro. 3. Ibi animadvertebam virum quendam inſtar

jiciunt, ſed ſolide et dextre populum de religione docent. — — Sed ohe! jam ſatis eſt. — —

II. Alii contra interpretes, qui viderunt verba prophetae non poſſe ad ſenſum myſticum detorqueri, diverſimode ſentiunt de *conſilio* hujus viſi prophetae exhibiti. *Grotius* quidem exiſtimat, Ezechielem templum vidiſſe, quale fuerat cum id deſtruxit Nebucadnezar, idque duabus de cauſis. Primum, ut intelligerent Judaei, quantum gentis ſuae decus criminibus ſuis amiſiſſent; deinde, ut olim reverſi ſpecimen haberent, quod imitarentur quantum poſſent etc. Ad objectionem, quae cuique ſtatim in mentem venit, non convenire hanc deſcriptionem cum ea quae de Salomonis templo legitur, reſpondet, iſtud templum ex tributis et donis multum mutatum fuiſſe, multum ampliatum, multa ornamenta addita. Sed recte negavit S. R. *Doederlein* illud templum tantas ſubiiſſe mutationes, atque hoc quod Ezechiel vidit, plane ab antiquo differre, cum in ſe, tum cerimoniis ſacris; neque terrae diviſionem talem, qualis Cap. XLVII. deſcribitur, ante exilium obtinuiſſe. Ipſi vero Viro celeberrimo placet quam maxime ſententia Perilluſtris *Michaëlis* (quam unde hauſerit neſcio, quondam ab eo prolatam dicit) iconem templi cultusque reſtituti deſcribi non veram, quae quaſi exemplar ſit futuri, ſed generatim promitti templi reſtitutionem, et ſacrorum, huc usque ſuperſtitione atque idololatriae cultu foedatorum, purgatio-

ſtar aeris fulgentem, ſtantem ad portam et manu fuhem lineum et menſuram tenentem. 4. Is me ſic al-

gationem, prophetam vero pro ingenii ſui fertilitate et verborum copia imagines prolixe deduxiſſe, et congeſſiſſe omnia quae de templo dici et cogitari poſſent. —— Equidem id mihi minime ſumo, ut ſententiam feram de Viri Perilluſtris explicatione, quam ipſe nondum expoſuit et probavit; liceat tamen, quoad eam S. R. *Doederlein* retulit, dubiola quaedam proferre, quae Viro Perilluſtri occaſionem ſuppeditabunt plenius ediſſerendi ſuam ſententiam in verſione germanica hujus prophetae, quam cupide expectamus. Et primo quidem utique mihi videtur propheta non *promittere*, ſed *praecipere*, qua ratione novum templum exſtruendum ſit. Quanquam enim Cap. XLIII, 7 ſeqq. et XLIV. de loci ſacri purgatione loquitur, tamen hoc non poteſt totius viſi conſilium eſſe, quia totius aedificii reſtauratio praecipitur etiam in eis partibus, in quibus nulla profanatio locum habuit. Iſta vero omnia referre ad ornamenta ſtili prophetae noſtri, ſive ad prolixiorem deductionem ejus rei, quam deſcribere voluit, non ſatis tutum videtur. Quanquam enim illam prolixitatem et verborum copiam nemo ignorat, qui noſtrum prophetam legit, tamen in omnibus hujus generis locis licet quoque obſervare, quod illa verborum copia ſemper urgeat id, quod ipſi primarium eſt. Jam vero purgationis loci ſacri a ſuperſtitione et cultu idololatrico tantum in illis locis mentionem facit, in reliqua adeoque majori totius pericopae parte deſcribit novum templi aedificium

loquebatur: diligenter attende ad ea omnia, quae tibi oſtendam. Nam huc adductus es, ut ea quae videas re-

dificium plane diverſum a priori, id vero facit more ſuo, prolixe et verboſe. Ex quo colligo id quoque ei tantum fuiſſe propoſitum. Deinde in altera parte hujus viſi de terrae inter duodecim tribus diviſione, de parte quadam Jovae ſacra, de peculio principis, haec omnia nova inſtituta produnt, non emendationem abuſuum in priori reip. ſtatu. Jam vero cum totius viſi una eademque ratio ſit, exiſtimem prophetam in tota pericopa non *promittere*, ſed *praecipere*, qua ratione totus novae reip. ſtatus poſt reditum ex captivitate tum in ſacris tum in civilibus ordinandus ſit et conſtituendus.

III. Haec nempe mea eſt de tota hac pericopa ſententia, quam modeſte aliorum examini ſubmitto. Non vaticinium continet, neque praedicitur quid futurum ſit; ſed praecipit quid fieri debeat, ſi totus populus, omnes tribus ex captivitate in patriam ſuam redierint. Omnibus libertas concedebatur, omnes poterant redire. Jam praecipit Deus, quae tunc debeat eſſe ratio cultus ſacri, quae diviſio terrae inter tribus ſingulas. Nihil in tota deſcriptione extat, quod non potuiſſet executioni dari, ſi modo omnes rediiſſent et terram a Deo eis conceſſam occupaſſent. Vidit hoc ex parte *Grotius* ad Cap. XLVII, 13. ubi haec annotavit: *Haec aſſignatio et quae ſequitur capite poſtremo, locum habitura fuiſſet, ſi decem tribus non minus, quam Judae et Benjaminis, ſe ad Deum convertiſſent, ſic enim pariter impetraſſent reditum. Nunc pauci tantum permixti*

referas Iſraëlitis. 5. Murus autem domum circumdabat, cujus altitudinem et latitudinem vir ille decempe-

mixti Judae et Benjamini rediere, iique ſedes cum illis habuere communes. — — Sed quod de ultima viſi prophetici parte valet, valet etiam de priori, quae de ratione cultus ſacri inſtituendi praecipit. Nam omnia ita cohaerent, ut manifeſte unicum totius viſi exhibiti conſilium fuiſſe appareat. Si quis objicit, nihil eorum, quae ſic praeſcripta a Deo dicam, factum eſſe a Judaeis reducibus, neque templum ad exemplar exhibitum exſtructum, neque terram uti voluerat Deus diviſam eſſe, in promtu eſt quod reſpondeam. Nimirum factum hoc eſt culpa populi, cujus maxima pars nolebat mutare ſedes quas occuparant ſatis commodas cum novis et incertis. Igitur, in nova hac terrae promiſſae occupatione, quam Deus populo obtulit, idem accidit, quod in priori, cum duce Joſua terram tam diu deſideratam eſſent ingreſſi. Illa diviſio etiam admodum diverſa fuit ab ea, quae ex Dei voluntate fieri debebat. Socordia enim populi bellum periculoſum et diuturnum formidans in cauſa fuit, ut magna terrae pars primis ejus incolis relinqueretur. Atque eadem ſocordia ſive amor bonorum praeſentium retinebat eos, ut mallent exules vivere inter gentes, quam redire in patriam vel vaſtatam vel occupatam ab aliis. Numerus certe eorum, qui redierunt, erat admodum exiguus, ſi aeſtimetur ad eum, qui de decem tribubus remanſerunt. Quanquam enim ex his quoque ſe nonnulli Judaeis et Benjaminitis adjunxerunt, pauci tamen illi erant, neque hi

da' (quae ſex cubitos habebat addito palmo ſingulis cubitis) menſurabat et utramque parem inveniebat.

6. Cum

hi pares praeſtandis aut implendis iis, quae Deus per Ezechielem omnibus praeceperat. Hinc legimus Eſrae III, 12. admodum tenuia fuiſſe initia templi reſtaurati. — — Memini quidem me legere ſententiam viri docti, neſcio cujus, qui defendit, utique exſtructum fuiſſe illud templum ad exemplar Ezechieli exhibitum, quoniam minime probabile ſit, neglectum illud eſſe a primis populi ducibus, viris piis et religioſis. Mihi vero non ita videtur. Primo quoniam nihil de eo in hiſtoria Eſrae legitur, quod de ſe commemorare certe non neglexiſſet. Deinde ille ipſe locus citatus probat contrarium. Seniores enim ſacerdotes, Levitae et de populo principes, qui prius templum Salomoneum viderant, vehementer dolebant de tenuibus initiis, quae videbant in novo. Quod profecto non feciſſent, ſi hoc exſtructum fuiſſet ex praeſcripto Dei et prophetae. — — Nihil addo ſententiae a me explicatae. Nemo negabit totam pericopam admittere hanc interpretationem, atque haud ſcio an aliquis de ejus ſenſu interrogatus aliter ſit judicaturus, qui de altera quaeſtione, num haec peracta aut executioni data ſint? eſt ſecurus.

IV. Quod attinet ad verſionem Capitum XL. XLI. XLII. fateor me mihimet ipſe non ſatisfacere. Multae inſunt huic delineationi voces ex arte architectonica Hebraeorum petitae, quae dubiae admodum videntur eſſe ſignificationis, quoniam in hac pericopa tantum leguntur,

6. Cum deinde veniſſet ad portam orientalem et per gradus ejus aſcendiſſet, liminis utriusque *ſuperioris et inferioris* latitudinem menſus eſt, quae erat unius decempedae. 7. Cellas quoque, quae parem longitudinem et latitudinem habebant; diſtabant vero illae cellae inter ſe quinis cubitis. Portae autem limen a veſtibulo, quod erat in porta interiori, diſtabat una decempeda. 8. Menſus deinde eſt veſtibulum portae internae una menſura, 9. quod octo cubitos patebat, appendices habebat duorum cubitorum, veſtibulum vero illud erat intrinſecus. 10. Cellae

 vero

tur, aut in ſimili aeque obſcura, in deſcriptione templi Salomonaei. Neque ſatis tuti duces in his locis videntur eſſe antiqui interpretes, cum conſtet paucorum eſſe in omnibus linguis notitiam vocabulorum ex ipſa arte ſumtorum, atque ipſos illos terminos technicos, quos vocant, mutari cum arte, quae ſemper varias ſubiit mutationes. Igitur vereor ut delineationes, quas viri docti de hoc aedificio dederunt, reſpondeant imagini ab Ezechiele viſae. Ne quidem in calamo menſorio definiendo, quo angelus uſus eſt, conſentiunt, quid igitur ſperandum eſt de partibus aedificii ad hanc menſuram conſtructis et ordinatis? Secutus ſum in verbis reddendis maxime *Caſtellionem* et *Villalpandum* (ex cujus prolixo commentario excerpta leguntur in Criticis Anglicanis) qui plurimum operae in his explicandis et delineandis adhibuerunt.

vero portae orientalis erant utrinque trinae, quaru una erat eademque ut et appendicum menſura. 11. D inde menſus eſt oſtii portae latitudinem decem et lon gitudinem tredecim cubitorum. 12. Spatium erat ant cellas ab utraque parte unius cubiti, ſingulae ver cellae hinc inde patebant ſenos cubitos. 13. Porr menſus eſt latitudinem tecti cellae a tecto porta quinque et viginti cubitorum, oſtium oſtio reſpon debat. 14. *b*) Menſurabat appendices ſexaginta cu bitorum, quae ſingulae atrium habebant circa por tam. 15. A fronte autem portae usque ad fronten veſtibuli interioris portae, erant quinquaginta cubiti 16. Cellae et appendices feneſtras habebant anguſtas portam interius ambientes, veſtibulum vero palmarun figuris ornatum erat. 17. Deinde me deduxit ir atrium exterius, quod totum erat pavimento ſtra- tum

b) In textu hebraeo legitur וַיַּעַשׂ quod ſane parum aptum eſt, ſi vertatur *et fecit*, quoniam non ſermo eſt de angelo aedificante, ſed menſurante. Qui lectionem receptam de- fendunt, explicant eam ſic: *et dimetiendo declaravit*, ſ. *ipſa menſura oſtendit.* Quod ſane coactum eſt. Nec tamen ullus interpretum antiquiorum habet illud וַיָּמָד quod contextus requirit, et quo ſemper noſter utitur in ſequen- tibus. Oi ό omittunt. Vulgatus et Chaldaeus habent *et fecit.* Syrus tantum videri poteſt aliter legiſſe, ſaltem ſecundum puncta ſubjecta in polyglottis: ܘܥܒܕܗ *et opus* ſ. *ſtructura frontis portae erat* etc.

tum et triginta conclavia habebat. 18. Pavimentum vero illud a latere portarum in longitudine paullo erat depreſſius. 19. Porro menſus eſt inferioris portae latitudinem ante atrium interius, foris centum cubitis verſus orientem et ſeptentrionem, 20. nec non portae ſeptentrionalis atrii exterioris longitudinem et latitudinem. 21. Quae ſuas quoque cellas habebat, ab utraque parte tres, nec non appendices et veſtibula ejusdem menſurae quae prioris, quinquaginta cubitos in longitudinem et viginti quinque in latitudinem, 22. feneſtras quoque palmis ornatas ut illa porta orientalis. Septem gradibus ad eam aſcendebatur, ante quos erant ejus appendices. 23. Porta autem interioris atrii e regione erat portae ſeptentrionalis et orientalis, quae centum cubitos diſtabant. 24. Deinde me duxit verſus meridiem, ibi etiam porta erat, cujus appendices et veſtibula menſuravit eodem quo illas modo. 25. Feneſtras habebat illis ſimiles et veſtibulum per omnem circuitum centum cubitos longum et viginti quinque latum. 26. Septem gradibus aſcendebatur, ante quos erant appendices palmis ab utraque parte ornatae. 27. Habebat atrium interius portam meridiem verſus, a qua ad alteram portam meridionalem menſuravit centum cubitos. 28. Cum me in atrium illud interius per portam illam introduxiſſet, eam iisdem menſuris demenſus eſt: 29. ut et cellas ejus, appendices et

veſtibula, quae omnia feneſtras habebant per omnem ambitum tam late quam illa patentem, quinquaginta cubitorum in longitudinem et viginti quinque in latitudinem. 30. Veſtibulorum vero adjacentium longitudo erat viginti quinque et latitudo quinque cubitorum. 31. Illa ad atrium exterius pertingebant et palmis erant ornata, octo gradibus aſcendebatur. 32. Deinde me deduxit ad atrium interius verſus orientem, quod menſus eſt eadem menſura, 33. ut et cellas ejus, appendices et veſtibula, feneſtris quoque inſtructum, quinquaginta cubitos longum et viginti quinque latum. 34. Veſtibulum vero illud verſus atrium exterius palmis erat hinc illinc inſtructum, et octo gradus habebat. 35. Deinde me deduxit ad portam ſeptentrionalem, quam eodem modo menſus eſt, 36. nempe cellas ejus, appendices et veſtibulum, feneſtras quoque eam ambientes, quinquaginta cubitos longam et viginti quinque latam. 37. Veſtibulum etiam habebat verſus atrium exterius palmis ab utraque parte ornatum, etiam octo gradibus aſcendebatur. 38. In illis autem portarum appendicibus erat conclave, quod oſtium habebat, in quo holocauſta ablui debebant. 39. In porticu autem binae erant ab utraque parte menſae, in quibus ſacrificia ſolida et expiatoria mactarentur. 40. A latere exteriori, quo ad portam ſeptentrionalem aſcendebatur, duae menſae erant, nec non ab latere altero, quod erat ad portae veſtibulum. 41. Igitur

tur ad portae latera octo ſtabant menſae utrinque quaternae, in quibus ſacrificia mactarentur. 42. Quatuor menſae holocauſtis deſtinatae erant ex lapidibus quadratis, in longitudine et latitudine ſua unius et dimidii cubiti, in altitudine vero unius cubiti; in illis menſis poni debebant inſtrumenta, quibus holocauſta et alia ſacrificia mactarentur. 43. Labra habebant palmi unius in circuitu intus recurvata. In his menſis carnes quoque ſacrificiorum debebant reponi. 44. Extra portam interiorem conclavia erant cantorum in ipſo atrio interiori, quod ad latus eſt portae ſeptentrionalis; ſpectabant meridiem verſus. Alterum erat ad latus portae orientalis verſus ſeptentrionem. 45. Tum dixit mihi: hoc conclave, quod meridiem ſpectat, ſacerdotum eſt in templo miniſtrantium. 46. Sed quod eſt ſeptentrionem verſus, ſacerdotum eſt ad aram miniſtrantium, qui ſunt e poſteris Zadoki Levitae, ad ſacra Jovae curanda deſtinati. 47. Deinde menſus eſt atrium centum cubitorum longum totidemque latum, idque quadratum. Ara vero ſtabat ante templum. 48. Cujus in veſtibulum cum me introduxiſſet, menſus eſt quinos cubitos ab utraque parte; Janua vero trinos habebat ab utraque parte. 49. Longitudo veſtibuli erat viginti cubitorum, latitudo undecim. Gradibus aſcendebatur, et ad appendices erant ab utroque latere columnae.

CAPUT

CAPUT XLI

1. Deinde me introduxit in templum et menſus eſt appendices, quarum latitudo fuit ſex cubitorum ab utroque latere domus. 2. Portae vero latitudo habebat decem cubitos, latera vero portae quinque ab utraque parte. Longitudo erat quadraginta cubitorum et latitudo viginti. 3. Tum ingreſſus penetrale menſus eſt appendicem portae duobus cubitis, deinde portam ipſam ſex cubitis ejusque latitudinem ſeptem. 4. Longitudo ejus (ſc. penetralis) fuit viginti cubitorum totidemque et latitudo, mihique dixit: hoc eſt ſanctum ſanctorum. 5. Poſtea menſus eſt parietem domus ſex cubitorum. Tabulata autem, quae domum undique ambiebant, lata erant quatuor cubitos. 6. Quorum tabulatorum fuere triginta tria, alia aliis impoſita; circumdabant parietem domus, ita tamen, ut eum non tangerent, quanquam invicem eſſent conjuncta. 7. Spatium autem tabulatorum ſuperius latius patebat, ut omnino ſuperior domus ambitus, ex inferioribus vero ad ſumma per media poterat aſcendi. 8. Eorum fundamenta obſervabam unius decempedae, quae eſt ſex cubitorum, alta eſſe. 9. Latitudo parietis, qui exterius tabulata jungebat, erat quinque cubitorum, hinc ſpatium erat inter ea et parietem. 10. Singula vero conclavia diſtabant inter ſe viginti cubitis. 11. Oſtium habebant

tabulata

tabulata duplex, alterum ad ſeptentrionem, alterum ad meridiem. Latitudo autem ſpatii intermedii erat undique quinque cubitorum. 12. Ipſum aedificium, quod in area ſeparata ſtabat, in parte occidentali patebat ſeptuaginta cubitos, craſſitudo parietis erat quinque cubitorum, longitudo vero nonaginta. 13. Menſus eſt aedis longitudinem centum cubitis, ſimiliter aream ſeparatam cum aedificio ſuo et parietibus centum cubitos longam. 14. Totidem habebat etiam latitudo aedis et areae verſus orientem. 15. Deinde menſus eſt longitudinem aedificii, quod erat ante aream, cum omnibus ejus ab utraque parte appendicibus centum cubitis. Etiam templum interius et atrii porticus. 16. Limina cum ſuis feneſtris anguſtis et tribus appendicibus: e regione liminum omnia erant ligno obducta, feneſtrae ſolo aequabant et occluſae. 17. Super oſtio et in templo exteriori et interiori et in pariete, qui totum templum ambiebat, 18. erant ſtructi Cherubi et palmae, palmis ſingulis inter ſingulos Cherubos interjectis, qui binas facies habebant. 19. Nempe faciem hominis, quae obverſa erat palmae, et faciem leonis, quae obverſa erat palmae oppoſitae. Quae ſtructura totum templum undique ambiebat, 20. a ſolo usque ad oſtium et in pariete omnia Cherubis et palmis erant ornata. 21. Poſtes templi erant quadrati, omnesque ſanctuarii partes ſibi reſpondebant.

22. Ara

22. Ara lignea trium cubitorum alta, duorum vero longa, anguli et latera ejus etiam lignea erant. Haec eſt menſa, inquiebat, quae coram Jova ſtare debet. 23. Binas januas habebant templum et ſanctuarium. 24. Quae binas valvas habebant, easque verſatiles. 25. In quibus eodem opere, quo in parietibus, Cherubi et palmae factae erant. 26. Exterius veſtibulum trabe lignea erat obſeratum. Feneſtrae erant anguſtae, palmae ab utraque parte veſtibuli aedisque lateribus.

CAPUT XLII

1. Deinde me deduxit ad atrium exterius via ſeptentrionali ad conclavia, quae erant areae et aedificio ipſi oppoſita ad ſeptentrionem. 2. Spatium erat ante portam ſeptentrionalem centum cubitorum longum, latum vero quinquaginta. 3. Diſtabant illa conclavia ab atrio interiori et pavimento ejus viginti cubitis, et tria habebant tabulata. 4. Ante ea ſpatium erat decem cubitorum latum et unius cubiti longum. Portae eorum erant ſeptentrionales. 5. Conclavia ſuperiora erant anguſta, quia a mediis et infimis detrahebant aedificii appendices. 6. Nam tria erant tabulata, nec columnas habebant uti atria, propterea ſuprema mediis et infimis erant contractiora. 7. Murus exterior juxta conclavia verſus atrium exterius longus erat quinquaginta cubitos. 8. Totidem ha-

bebat

bebat etiam longitudo conclavium atrii exterioris, ut totum ſpatium eſſet centum cubitorum. 9. Sub his conclavibus aditus erat ab oriente, ut in haec ex atrio interiori intrari poſſet. 10. Juxta murum atrii orientalis e regione areae et aedificii alia erant conclavia. 11. Ante quae etiam ſpatium erat, quemadmodum ante conclavia ſeptentrionalia. Ejusdem longitudinis et latitudinis erant illa conclavia; ſimiles exitus, portas et omnino ſimilem ſtructuram habebant; 12. portas nimirum verſus meridiem in via, qua per murum ab oriente intrabant. 13. Et dixit mihi: conclavia cum ſeptentrionalia, tum meridiana, quae ſunt verſus aream, ſacra ſunt, in quibus ſacerdotes, Jovae miniſtrantes, edere debent ſacroſancta, ibi deponere debent ſacroſancta et ferta et piacularia et ſacrificia pro reatu; eſt enim locus ſacer. 14. Quem ingreſſi ſacerdotes non exibunt in atrium exterius, ſed ibi veſtes ſuas deponant, in quibus miniſtrarunt, nam ſanctae ſunt, aliisque veſtibus induti vulgaria tractent. 15. Sic abſoluta interioris templi dimenſione eduxit me ad portam orientalem et omnem templi ambitum menſuravit. 16. Nempe regionem orientalem, 17. ſeptentrionalem, 18. auſtralem, 19. et occidentalem, quae omnes menſuram habebant quingentorum cubitorum decempedalium. 20. Sic ad quatuor coeli plagas menſus eſt. Murus eandem quingentorum cubitorum menſuram habebat,

cum

cum in longitudine, tum in latitudine, ut ſeparatur eſſet ſacrum a profano.

CAPUT XLIII

1. Deinde me deduxit ad portam orientalem
2. Tum majeſtas Dei Iſraëlis venit ab Oriente, ſo
numque edidit inſtar aquarum multarum, et terran
illuſtrabat. 3. Eadem erat figura, quam vidi, poſt
quam urbs deſtructa erat, ad flumen Cabarin. Igi
tur pronus ego in faciem cecidi. 4. Ingreſſa vero
eſt majeſtas Jovae templum per portam orientalem
5. idque totum implevit. Ego enim a vento ſubla
tus ad atrium interius eram deductus. 6. Et audiv
mecum in templo loquentem (juxta me ſtabat vir)
7. in hunc modum: *a*) Hic eſt locus ſolii mei, ho
mo, in quo ſedebo et habitabo inter Iſraëlitas in per
petuum. Nec profanabunt amplius nomen meum
ſanctum, neque ipſi, neque reges eorum impudici
tia ſua, aut regum ſuorum cadaveribus *b*) cum mo-
reren-

a) In textu eſt: אֶת־מְקוֹם οἱ ὁ addunt *ἑώρακας*, *Hubigantius* igitur cenſet legendum אַתָּה רֹאֶה *tu videns.* Quod non neceſſarium. Etiam nominativo nonnunquam את praeponitur. Vid. *Glaſſii* Philol. S. p. 71. Syrus ſimpliciter habet nominativum, et Chaldaeus: *bic eſt locus.*

b) Lectio recepta eſt בָּמוֹתָם *excelſa eorum*, quae non commodam habet explicationem. Interpretes antiqui diſſentiunt.

rerentur. 8. Dum ſua limina meo limini, et ſuos poſtes meis junxerunt, pariete tantum interjecto, et nomen meum ſanctum dehoneſtarunt factis ſuis turpiſſimis, propterea iratus eos conſumſi. 9. Jam vero removebunt a me impudicitiam ſuam et regum ſuorum cadavera, atque ego inter eos in perpetuum habitabo. 10. Tu igitur, homo, enarra haec de templo Iſraëlitis, ut pudeat eos peccatorum ſuorum, et ſtructuram ejus dimetiantur. 11. Quodſi erubeſcent de eis quae fecerunt, formam templi ejusque ſtructuram, exitus aditusque, ſculpturam, deſcriptionem et effigiem ejus eis demonſtra et deſcribe, ut ad eandem imaginem omnia faciant. 12. Haec erit forma domus: in cacumine montis tota debet eſſe exſtructa, partesque ejus omnes ſacroſanctae. 13. Haec vero eſt dimenſio arae, addito ſingulis cubitis palmo uno. Infima

tiunt. Vulgatus: *et in excelſis:* ſic legendum eſſet וּבְבָמוֹת. Sed omnino *excelſa* h. l. inepta ſunt. Οἱ ὁ, *καὶ ἐν τοῖς φόνοις τῶν ἡγουμένων ἐν μέσῳ αὐτῶν.* Obſcure. Syrus: *et in idolis ſuis.* Videtur legiſſe וּבְבָמוֹתָם et pro *excelſis* nomen aliud contexto aptius ſubſtituiſſe. Chaldaeus habet: בְּמוֹתֵיהוֹן *in morte eorum ſ. cum morerentur.* Quam lectionem in verſione poſui. Neque enim a vero alienum videtur, in pompa funebri regum locum ſacrum profanatum fuiſſe. Diverſum quid ab idololatria indicari, reliqua verborum conſtructio docet et ſequentes verſus.

Infima ejus pars eſt unius cubiti *longa*, lata etiam unius cubiti, et aſſurgit usque ad oram ſuam, quae eſt ſpithamae unius. Haec eſt altitudo arae. 14. Ab ima ejus parte usque ad crepidinem inferiorem ſunt duo cubiti, et unius cubiti latitudo. A crepidine vero parva usque ad magnam ſunt quatuor cubiti et unius cubiti latitudo. 15. Focus habeat quatuor cubitos, ex quo ſurſum emineant quatuor cornua. 16. Longus ſit duodecim cubitos, totidem etiam latus, formae quadratae. 17. Sed crepido ſit quatuor et decem cubitorum longa, totidemque lata in quatuor ejus lateribus. Nam funiculus eam ambire debet ſemicubitalis, cum ſinu cubitali in ambitu. Gradus ejus ſpectabunt orientem. 18. Tum porro mihi dixit: Haec eſt, inquit dominus Jova, delineatio altaris aliquando exſtruendi, in quo holocauſta debent offerri et ſanguis ſpargi. 19. Sacerdotibus autem Levitis, qui ſunt e familia Zadoki, qui mihi miniſtrant, inquit dominus Jova, dare debes juvencum ad piaculum. 20. Cujus cum ſanguine quatuor arae cornua intinges, quatuor crepidinis latera et funiculum, et ſic eam mundabis et expiabis. 21. Deinde taurum illum piacularem comburere debes loco certo extra ſanctuarium. 22. Secundo die offeres hoedum ſine vitio ad piaculum, atque eodem modo ara expiari debet cum hoedo illo, quemadmodum factum eſt cum juvenco. 23. Quibus peractis offeres juven-

juvencum et arietem, ambo ſine vitio. 24. Et dum Deo offeruntur, ſale eos conſpergent ſacerdotes, ut holocauſta Deo debent ſacrificari. 25. Per ſeptem dies dicta ratione hoedus, juvencus, aries debent immolari. 26. Ut ſic intra illud tempus ara mundetur, expietur, et ſacerdotes initientur. 27. Quo finito, octavo die et deinceps ſacerdotes holocauſta et victimas pacificas offerre poſſunt, favebo vobis, inquit dominus Jova.

CAPUT XLIV

1. Deinde me deduxit ad portam ſanctuarii exteriorem Orienti obverſam, quae clauſa erat. 2. Haec porta, inquiebat Jova, clauſa eſſe debet, nec aperietur. Nemini licebit per eam ingredi, quod Jova Deus Iſraëlitarum per eam intrabit. Igitur clauſa erit. 3. Tantum princeps *a*) in ea ſubſiſtet, ut cibum capiat coram Jova, per veſtibulum eam ingredietur, et eadem via exibit. 4. Tum me duxit ad portam ſeptentrionalem ipſi templo oppoſitam. Quod totum cum viderem majeſtate Jovae repletum; pronus ego in vultum cecidi. 5. Jova vero haec mihi dixit: Diligenter attende, homo, ad ea omnia, quae tibi de legibus et inſtitutis hujus templi dicam, animumque adverte ad ea, quae in ingreſſu et exitu hujus ſanctuarii ſunt obſervanda. 6. Dic iſtis contumacibus Iſraë-

 litis:

a) Cf. Cap. XLVI, 1. 2.

litis: Jam ſatis ſit ſcelerum a vobis commiſſorum, o
Iſraëlitae, inquit dominus Jova. 7. Introduxiſtis enim
peregrinos, nec animo nec corpore circumciſos, cum
mihi offerretis panem, adipem et ſanguinem, et ſic
foedus meum veſtris ſceleribus violaſtis. 8. Meorum-
que inſtitutorum ſacrorum negligentes conſtituiſtis, qui
ex aliis legibus a vobis latis agerent. 9. At enim ve-
ro, inquit dominus Jova; Nullus peregrinus animo
et corde praeputiatus, qui forte inter Iſraëlitas degat,
ſanctuarium meum ingrediatur. 10. Quin etiam Levi-
tae, qui a me receſſerunt, cum Iſraëlitae idola ſua ſe-
ctantes a me defeciſſent, poenas dabunt. 11. Erunt
quidem ſanctuarii mei miniſtri, tum eorum quae ad
portarum templi, tum ad ipſius templi curam perti-
nent. Mactare debent holocauſta et alia ſacrificia, ſed
ſacerdotes adjuvent tantum in miniſterio: 12. quoniam
Iſraëlitas adjuverunt in cultu idolorum eis pernicioſiſſi-
mo, propterea poenas mihi dabunt, inquit dominus
Jova. 13. Non accedere debent ad ullas ſacri mini-
ſterii partes ſubeundas, ſed ferant ignominiam ſcele-
rum ab eis commiſſorum. 14. Volo ut tantum ſint
apparitores domus, eorumque omnium, quae in ea per-
aguntur. 15. At enim vero ſacerdotes Levitae, Zado-
ki poſteri, qui conſtanter ſervarunt leges meas ſacras
cum Iſraëlitae a me defeciſſent, debent admitti, ut
ſacra mea curent, adipem et ſanguinem offerant, in-
quit dominus Jova. 16. Illi ſacrarium meum ingre-
dientur,

dientur, accedent ad menſam meam, et omnia cultus mei inſtituta procurent. 17. Quando per portam interioris atrii intrant, lineis veſtibus debent eſſe induti: nec ullo tum temporis laneo utentur indumento. 18: Tiaras lineas habeant in capitibus. et ſubligacula linea circa lumbos, non cingantur *b*) ſudore madentes. 19. Quando exeunt *c*) ad atrium exterius, videOo 3

b) Primo circa vocabulum יֶזַע *ἅπαξ λεγ.* haeſitant interpretes, deinde etiam circa ſenſum ipſius praecepti. Significationem vocis *Simonis* in Lexico illuſtravit ex lingua Aethiopica, in qua *ſudorem* notat, nec multum differt Arab. وذع *fluxit aqua.* Atque ex antiquioribus interpretibus *Aquila* et *Symmachus*, quos *Hieronymus* ſequitur, eodem modo explicant. *Οἱ δὲ, ἐν βίᾳ, violenter,* fortaſſe ex זוע vocem derivarunt. Syrus omiſit haec verba. Quod ſenſum praecepti attinet, multi interpretes putant, Deum jubere ne ſacerdotes ſeſe accingant in partibus corporis, ubi ſudor facile erumpit, vel non tam arcte et ſtricte ut illud eveniat. Utrumque coactum videtur. *Non accingantur in ſudore*, dictum eſt pro: *non cingantur ſudantes.* Jubet Deus, ne ſe accingant ad munus ſuum obeundum dum forte ſudant, quacunque ex cauſa hoc ſit, ſed ut ſudorem abſtergant, vel expectent donec reſederit, antequam ſacras veſtes induant.

c) Scribarum errore verba, *ad atrium exterius*, bis leguntur in textu. Nullus interpretum antiquiorum ea repetit. Codex tertius *Hubigantii* ea non habuit a prima manu, ſed a recentiori addita ſunt.

videlicet ad populum, exuant veſtes, in quibus miniſtraverant, iisque in conclavi templi depoſitis alias induant, ne populum conſecrent ſuis veſtibus. 20. Caput non tondeant, comam non alant, ſed capillos decurtent. 21. Omnes ſacerdotes a vino debent abſtinere atrium interius ingreſſuri. 22. Viduas aut repudiatas non ducent in matrimonium, ſed virgines Iſraëliticas, aut ſacerdotis viduam. 23. Docere debent populum, quid ſanctum ſit, quid profanum, quid purum, quid impurum. 24. Praeſint litibus dirimendis, cauſas dijudicent, legem et ſtatuta mea ſuo quaeque tempore obſervent, et ſabbata mea ſancte peragant. 25. Nec obeundis funeribus polluentur, exceptis patre, matre, filio, filia, fratre, et ſorore, quae virum non habuerit, in his polluentur. 26. Purificationi ſeptem dies ſint deſtinati. 27. Quibus exactis intrent ſanctuarium, atrium nempe interius ad munera ſua obeunda, offerantque ſacrificium expiatorium. 28. *d*) Non habeant haereditatem, inquit

d) Miror τὰς ό et Syrum in lectione recepta conſentire, quae verba *inquit dominus Jova* praecedenti verſui junxit, et hunc ſic exhibet: *et erit eis in poſſeſſionem, ego poſſeſſio eorum.* Equidem fateor admittere haec verba explicationem, quae vero nimis coacta et quaeſita videtur et ab uſu loquendi in locis parallelis aliena. Nempe poſteriora verba, *ego poſſeſſio eorum*, debent eſſe δεικτικά, in hunc ſenſum:

quit dominus Jova. Ego eorum haereditas ſum. Nec detur eis inter Iſraëlitas poſſeſſio, ego eorum ſum poſſeſſio. 29. Ex fertis victimisque expiatoriis et piacularibus vivent, et omnia Iſraëlitarum devota ſint eorum reditus. 30. Item omnes frugum primitiae, omnesque omnis generis oblationes ſacerdotibus debentur, quod rebus veſtris domeſticis copiam et abundantiam adducet. 31. Nullo morticino aut lacerato, ſive ex avibus, ſive ex quadrupedibus, veſcentur ſacerdotes.

CAPUT XLV

1. Quando autem terram diſpertimini, ſeparare debetis partem Jovae ſacram. Cujus longitudo ſit viginti quinque millium cubitorum, latitudo vero decem millium, quae undique in omnibus ſuis partibus ſacra eſſe debet. 2. Ex hac locus quingentorum cubitorum

ſenſum: *haec verba: ego poſſeſſio eorum ſum, ſint eis poſſeſſionis loco.* Sed Num. XVIII, 20. et Deut. XVIII, 1. ubi eaedem promiſſiones jam olim Levitis datae extant, legitur negatio ולא quam etiam Vulgatus interpres habet: *Non erit autem eis haereditas, ego haereditas eorum.* Chaldaeus neque cum hac, neque cum recepta conſentit: *et erit eis in haereditatis portionem reſiduum oblationis meae pars eorum.* Obſcure. Recepi in verſionem interpretis vulgati lectionem, atque formulam promiſſionis, *inquit dominus Jova*, melius putem legi initio hujus quam ſub finem praecedentis verſus.

Digitized by Google

cum in longitudinem tum in latitudinem quadratus
ſancto *a*) deſtinatus ſit, habens pomoerium quinqua-
ginta cubitorum. 3. Poſtea metieris in longitudine
viginti quinque millia cubitorum, et decem millia in
latitudine, qui locus Adyto ſ. ſancto ſanctorum deſti-
natus ſit. 4. Atque illum quidem habebunt ſacerdotes
ſacra Jovae curantes pro aedibus in eo exſtruendis.
5. Hunc vero viginti quinque millia cubitorum lon-
gum et decem millia latum poſſideant Levitae, ad ae-
dem miniſtrantes, viginti coenaculis exſtruendis.
6. Deinde deſignabitis locum juxta illum ſanctuario
proprium viginti quinque millium cubitorum in longi-
tudine et quinque millium in latitudine, urbi quae ſit
omnium Iſraëlitarum. 7. Princeps autem partem
ſuam accipiat ab utraque parte portionis ſacrae et ur-
bis, et quidem a latere occidentali harum partium oc-
cidentalem, et a latere orientali orientalem, et lon-
gitudo reſpondeat alteri harum a termino occidentali
et orientali. 8. Haec ſit pars principi propria ſ. ejus
peculium, ne amplius opprimant principes populum
meum. Reliqua terra inter Iſraëlitas ſecundum tri-
bus diſtribuetur. 9. Sic dicit dominus Jova: Jam
ſatis ſit, Iſraëlitarum principes, violentiae et oppreſ-
ſionis. Juſtitiam ex aequo adminiſtrate, remittite in
iſta erga meos tyrannide, inquit dominus Jova. 10. Ju-
ſtam

a) ſc. exteriori, in ſequenti verſu ſermo eſt de ſancto ſan-
ctorum.

ſtam menſuram habete tum in trutina, tum in Epha et Batho. 11. Ephae et Bathi erit eadem ratio. Bathus quidem contineat decimam partem Chomeri. Sic etiam Epha, ſi ad Chomerum menſura exigatur. 12. Siclus ſit viginti gerarum. *b*) Viginti ſicli, viginti quinque ſicli et quindecim ſicli valeant minam. 13. Haec vero eſt oblatio, quam dare debetis, ſextam partem Ephae ex Chomero tritici, et ſextam partem Ephae ex Chomero hordei. 14. De oleo autem, pro Batho olei ejus decimam partem, pro Coro decem Bathos, qui Chomero aequant. 15. Ex gregibus autem ducenteſimam quamque ovem Iſraëlitae ex ſaginis ſuis ſeparent ad holocauſta et ſacrificia pacifica in ſui

 expia-

b) Eſt locus perquam obſcurus, ad quem *Munſterus* haec annotavit: Omnes ſicli iſti ſimul accepti, qui ſunt ſexaginta, faciunt unam *mnam* ſive libram vulgarem: bis autem accepti conſtituebant olim Mnam ſanctuarii. Diſtinguit autem propheta ſexaginta illos ſiclos trifariam, quod quilibet numerus per ſe tunc propriam haberet denominationem. *Hubigantius* more ſuo contextum mutilum judicat. Ad tres illos numeros ſingulos, nomina ſingularum monetarum addita fuiſſe, ex quibus tribus ſimul junctis Mna conſtaret. Igitur ſic verſum reſtituit: *Siclus ſit viginti obolorum, tertia pars mnae habeat viginti ſiclos; (mna autem argentea viginti quinque ſiclos) quarta pars mnae quindecim ſiclos; ſint mna omnes ſexaginta.* Nempe ex Chaldaeo interprete, qui ſic verſum παραφράζει. Sed ex eo non ſequitur iſta omnia e textu excidiſſe.

expiationem, inquit dominus Jova. 16. Omnis populus hanc oblationem ſolvere debet principi Iſraëlis. 17. Hujus vero eſt, holocauſta, ferta, libamina, diebus feſtis, noviluniis et ſabbatis omnibusque Iſraëlitarum ſollennibus offerre, atque his ſuis ſacrificiis populum expiare. 18. Sic dicit dominus Jova: primo die menſis primi ſumere debes juvencum ſine vitio, quo expies ſacrarium. 19. Nempe ſacerdos ſanguine hujus piaculi intingere debet poſtes templi et quatuor extrema crepidinis arae et poſtes portae atrii interioris. 20. Sic quoque fieri debet ſeptimo menſis die ab eo, qui per imprudentiam peccaverit, ut expietis domum. 21. Quarto decimo die primi menſis Paſcha celebrabitis, feſtum ſeptem dierum, quo panes ſine fermento comeduntur. 22. Quo die princeps pro ſe et pro univerſo populo offeret taurum, ſacrificium piaculare. 23. Verum etiam alia ſacrificia ſeptem illis feſtis diebus faciet, nempe ſeptenos tauros et ſeptenos arietes integros ſingulis diebus, ut et hoedum caprinum. 24. Fertum autem ſit Ephae in ſingulos tauros et arietes; et Hinae olei ad ſingulas Ephas. 25. Quinto decimo die ſeptimi menſis feſtum tabernaculorum celebrabit per ſeptem dies eadem prorſus ratione, cum quod ad ſacrificia, tum quod ad ferta cum oleo.

CAPUT

CAPUT XLVI

1. Sic dicit dominus Jova: porta atrii interioris orientem ſpectans clauſa ſit ſex diebus profeſtis. Sed die Sabbati aperiatur et novilunii. 2. Ingrediatur princeps per veſtibulum portae et ſubſiſtat foris ad ejus poſtes, interea dum ſacerdotes ſolidum ejus ſacrificium et pro ſalute faciunt. Precibus ibi peractis iterum egrediatur, nec porta claudatur usque ad veſperam. 3. Etiam populus adoret Jovam ad introitum illius portae ſabbatis et noviluniis. 4. Solidum vero ſacrificium, quod Jovae offert ſabbato princeps, conſtet ſex agnis integris et ariete. 5. Fertum vero Epha pro ariete, pro agnis vero ex facultate ſua et olei Hina pro Epha. 6. Die vero novilunii taurum offerat integrum, ſex agnos et arietem, ſingula ſine vitio. 7. Fertum eſt Epha pro tauro et ariete, pro agnis vero pro facultate ſua et olei Hinam ad Epham. 8. Eadem via, nempe per veſtibulum portae, qua princeps ingreſſus eſt, etiam exibit. 9. Plebeji vero, qui diebus ſolennibus venerint ad Jovam adorandum, et per portam ſeptentrionalem ingreſſi ſunt, redeant per portam meridionalem; qui vero per hanc acceſſerint, redeant per illam. Eadem via, qua venerunt, non redibunt, ſed oppoſita. 10. Princeps una cum illis intrabit et redibit. 11. Diebus feſtis et ſolennibus fertum ſit Epha pro tauro, itemque pro ariete, pro agnis

vero

vero ex arbitrio ejus. In Epha vero olei Hina *a*) conſumatur. 12. Quodſi princeps ſpontaneum ſacrificium vel ſolidum, vel pro ſalute Jovae offerre voluerit, porta orientalis aperiatur, faciatque ſua ſacrificia, quemadmodum in ſabbato fieri ſolet. Et cum egreſſus fuerit, porta iterum claudatur. 13. Quotidie agnus anniculus ſine vitio Jovae offerri *b*) debet in ſolidum ſacrificium. 14. Fertum una cum eo offerendum conſtet ſexta parte Ephae et tertia parte Hinae olei ad ſimilam miſcendam. Quae ferti ratio aeterni ſit inſtituti. 15. Utrumque, cum agnus tum fertum, una cum oleo quotidie ut ſolidum ſacrificium ſemper fieri debet. 16. Porro Jova dominus praecipit: ſi princeps cuipiam filiorum ſuorum donum dederit, is illud poſſideat, ut fundum haereditarium. 17. Quodſi vero ex peculio ſuo alicui amicorum ſuorum donum fecerit, habeat illud usque ad annum libertatis, quo ad principem redibit, cujus peculium tantum filiorum ſuorum ſit. 18. De peculio plebejorum princeps nihil ſibi vindicet, ut alios poſſeſſionibus ſuis privet (ex ſuo fundo liberis ſuis diſtribuat), ne ſic meus populus ex ſuis poſſeſſionibus ejiciatur. - -

19. De-

a) Cf. verſ. 14.

b) תַּעֲשֶׂה omnes interpretes praeter Chaldaeum in tertia perſona legerunt, et de principe intellexerunt. Quod non placet. Sive tertia perſona legatur, ſive ſecunda, impersonaliter ſ. paſſive verbum eſt explicandum.

19. Deinde me introduxit per aditum, qui erat ad portae latus ad conclavia ſacerdotum verſus ſeptentrionem; ibi locus erat in extrema eorum parte verſus occidentem. 20. Hic eſt locus, inquiebat, ubi ſacerdotes coquere debent victimas piaculares et ferta, ne efferendo in atrium exterius plebejos c) conſecrent. 21. Cum me illinc eduxiſſet ad atrium exterius, circumduxit me per quatuor ejus angulos, in quibus ſingulis erant alia atria, 22. eaque fumoſa, quadraginta cubitos longa et triginta cubitos lata, pari menſura in quatuor ſuis angulis. 23. Singula pariete cincta erant, qui ea culinae aptabat. 24. Quod etiam ſic mihi explicabat; haec eſt, inquiens, culina, in qua ſacerdotes carnes ſacrificiorum coquere debent.

CAPUT XLVII

1. Deinde me reduxit ad introitum templi. Ibi obſervabam aquam emanantem ſub templi limine verſus orientem, (ipſa enim templi frons ſpectabat orientem,) quae aqua defluebat a latere templi dextro, altari verſus meridiem. 2. Poſtea me eduxit via portae ſeptentrionalis, et circumduxit foris usque ad portam exteriorem, quae orientem ſpectat, ibi aqua manabat a latere dextro. 3. Tum vir egreſſus eſt verſus orientem manu menſuram tenens, qua menſus eſt mille

c) ut Cap. XLIV, 19. eodem ſenſu dicitur.

mille cubitos, meque per illam aquam trajecit, quae ad talos usque pertingebat. 4. Deinde menſus eſt alios mille cubitos et me per illam aquam traduxit, quae ad genua usque pertingebat. Porro menſus eſt mille cubitos, cumque me traduxiſſet, aqua ad lumbos pertingebat. 5. Tandem cum alios mille cubitos menſus eſſet, exiſtebat fluvius, quem tranſire non poteram, et aqua tanta erat altitudine, ut natanda eſſet, nec poſſet vado tranſiri. 6. Vidiſtine, homo, inquiebat. Cum deinde me ad ripam illius fluvii reduxiſſet, 7. videbam perquam multas arbores ab utraque parte ripae. 8. Tum mihi dixit: Aqua illa ad orientalem regionem emanans, delata ad campeſtrem, defluet tandem in mare, ex quo iterum egreſſa, aqua erit ſana. 9. Quodcunque animal in illo flumine natabit, vivet. Hinc magna piſcium copia exiſtet. Nam quocunque illius fluminis aqua pervenerit, omnia vivent et ſana erunt. 10. Ibi ſtabunt piſcatores ab Engeddi usque ad Eneglaim, ſuaque retia habebunt expanſa, et tam varii generis piſces capientur, quam ſunt in mari magno, perquam multi. 11. Uligines vero et paludes non ſanabuntur, ſed redigentur in ſalſuginem. 12. Juxta ripam autem illius fluminis utramque creſcent omnis generis arbores edules, quarum folia non decident, nec fructus conſumentur, novis menſe quoque fructibus editis. Aquae enim earum emanant ex ſacrario, hinc et fructus earum poterunt comedi, atque adeo

adeo folia erunt medicina. — 13. Sic dicit dominus Jova: Hi ſunt fines, quibus diſtribuetis terram inter duodecim tribus Iſraëliticas. Joſephitae duas habebunt portiones. 14. Tenebitis autem eam aequali ſorte. Jurejurando interpoſito eam majoribus veſtris promiſi, igitur tanquam ex haereditate eam occupate. 15. Igitur hi ſint terrae termini: Pars ſeptentrionalis a mari magno verſus Chetlonem usque ad Gedadam. 16. Chamat, Berota, Sibraim, quod eſt in Damaſci et Chamatae confinio, Chazer medium, quod Chavrani eſt conterminum. 17. Hic ſit terminus a mari ad Chazerenon Damaſco confine et Zaphon ad ſeptentrionem et terminus Chamat. Hoc ſit latus ſeptentrionale. 18. Latus orientale metiemini a Chavrane, Damaſco, Gilead, a Jordane tractus Iſraëlitici usque ad mare orientale. Hoc ſit latus orientale. 19. Latus meridionale erit a Tamare usque ad aquas contentionis Cadeſchi et usque ad flumen verſus mare magnum. Hoc ſit latus meridionale. 20. Latus occidentale ſit mare magnum, ab hoc usque ad Chamatam. 21. Sic terram dividere debetis inter tribus Iſraëliticas. 22. Quod, quando fiet, peregrinos inter vos degentes eorumque liberos habere debetis pro indigenis Iſraëlitis, aequalem vobiscum inter reliquas tribus portionem accipiant, 23. eamque in ipſa illa tribu, in qua vivunt. Sic jubet dominus Jova.

CAPUT

CAPUT XLVIII

1. Haec ſunt nomina tribuum. Ab extremis ſeptentrionis finibus verſus Chetlonem, qua venitur Chamatam, Chazarenonem, Damaſci fines, qui Chamatae ſunt ſeptentrionales, ita ut ab oriente habeat mare, ſit portio Danitarum. 2. Quibus contermini ſint a latere orientali ad occidentalem Aſcheritae. 3. His in eodem tractu Naphtalitae. 4. His Manaſſitae. 5. His Ephraimitae. 6. His Rubenitae. 7. His tribus Juda, quarum omnium termini vergant ab oriente ad occidentem. 8. Super hac vero tribus Judae portione ſeparare debetis partem quandam, quae lata ſit viginti quinque millia cubitorum, in longitudinem vero ut reliquarum partium, ab oriente vergat ad occidentem, in cujus medio ſit ſacrarium. 9. Haec inquam pars Jovae ſacra, cujus longitudo debet eſſe viginti quinque millium cubitorum, et latitudo decem millium, 10. deſtinetur ſacerdotibus, et pateat verſus ſeptentrionem viginti quinque millia cubitorum *in longitudinem;* in latitudinem verſus occidentem decem millia, totidem verſus orientem, et decem et quinque millia verſus meridiem in longitudinem. In cujus medio ſit Jovae ſacrarium, 11. ſacerdotibus deſtinatum e familia Zadoki, qui conſtantes fuerunt in cultu meo, neque in iſta Iſraëlitarum defectione a me ſicuti Levitae defecerunt. 12. Hi igitur habeant illam partem

tem a reliqua terra ſeparatam ſacroſanctam. 13. Juxta quam Levitae teneant portionem viginti quinque millium cubitorum longam, latam vero decem millium. (Haec enim eſt menſura omnium *partium* quoad longitudinem et latitudinem ſuam.) 14. De qua non licitum ſit eis vendere aut permutare nec alienare terrae primitias Jovae ſacras. 15. Reliqua quinque millia cubitorum in latitudine, praeter illa viginti quinque millia *in longitudine*, locus ſit profanus urbi et ſuburbio ejus deſtinatus. Cujus urbis in illo loco exſtruendae, 16. hae ſint menſurae: in latere ſeptentrionali, meridiano, orientali et occidentali pateat quaterna millia et quingentos. 17. Suburbium vero ex iisdem quatuor lateribus habeat ducentos et quinquaginta cubitos. 18. Quae ſuperſunt ex illa ſacra parte in longitudine decem millia cubitorum verſus orientem et decem millia verſus occidentem, inſerviant alendis operariis urbis. 19. Haec pars communis ſit omnibus omnium tribuum operariis, qui eam colant. 20. Sic tota illa pars ſeparata viginti quinque millium cubitorum quadrata ſit partim ſacra, partim urbis peculium conſtituat. 21. Quae reliqua ſunt ab utraque parte, cum ſacri peculii, tum urbis, nempe viginti quinque millia cubitorum verſus orientem et occidentem, ea ſint principis. Pars vero ſacra ſeparata et ſacrarium ipſum ſint in medio poſita. 22. Sic principis erit, quae Levitarum partem et urbis peculium

lium et Judaeorum et Benjaminitarum fines interjacent. 23. Sequantur deinde reliquae tribus ab orientali latere ad occidentale, nimirum Benjaminitica, 24. hanc excipiat Simonea, 25. hanc Iſaſchariana, 26. hanc Sebulonitica, 27. hanc Gaditica, omnes ab orientali latere verſus occidentalem. 28. Sed juxta Gaditarum terminos verſus meridionale latus Themanis, terminus ſit a Thamare, aquae contentionis Kadeſchi fluvius usque ad mare magnum. 29. Haec eſt terra, quam ſorte dividetis inter tribus Iſraëliticas, hae ſunt ejus partes, inquit dominus Jova. — 30. Verſus ſeptentrionem urbs ſe extendat in quingentos cubitos et quatuor millia. 31. Portae urbis a tribubus Iſraëliticis denominentur. Tres ſint ſeptentrionales, Rubenitica, Judaea et Levitica. 32. Latus orientale ſit quingentorum et quatuor millium cubitorum, et habeat tres portas, Joſephiticam, Benjaminiticam et Daniticam. 33. Latus meridionale quoque pateat in quingentos et quatuor millia cubitorum cum tribus portis, Simonea, Iſaſchariana et Sebulonaea. 34. Tandem latus occidentale habeat quingentos cubitos ſuper quatuor millia, et tres portas, Gadenſem, Aſchenſem, et Naphtalenſem. 35. Omnis igitur *urbis* circuitus eſt duodeviginti millium cubitorum, et nomen deinceps ducet a Jova.

DANIEL

DANIEL

CAPUT I

1. Anno tertio regni Jojakimi, regis Judae, Nebu-
cadnezar rex Babylonis Hieroſolymam oppugnavit.
2. Et Deus permiſit ut Jojakimo rege Judae potiretur
et partem vaſorum templi in Babyloniam abduceret,
quae in templo Dei ſui ejusque gazophylacio depoſuit.
3. Tum juſſit Aſchpenaſum aulicorum principem ex Iſ-
raëlitis abducere quosdam de familia regia et de no-
bilibus. 4. Juvenes omnis vitii expertes, formoſos
et varia eruditione inſtructos, prudentes et intelligen-
tes, qui apti eſſent ad obeunda miniſteria in palatio
regio, ut in lingua et literis Chaldaeorum inſtitue-
rentur. 5. Deſtinavit eis rex portiones quotidianas
de dapibus ſuis et de vino ſuo. Sic per triennium de-
bebant educari, atque hoc exacto regi miniſtrare.
6. In his fuerunt e tribu Juda, Daniel, Chananja,
Meſchaël et Aſarja. 7. Quibus aulicorum princeps
alia nomina impoſuit. Nempe Danielem vocavit
Beltſchazarum, Chananjam Schadrachum, Meſchaë-
lem Meſchachum, et Aſarjam Abednegonem. 8. Da-
niel autem conſilium cepit ſeſe dapibus regis ejusque

vino non inquinandi, petiitque ab aulicorum principe, ut ſibi hoc concederet. 9. Atque Deus animum ejus ad favorem et benevolentiam Danielis flexerat. 10. Igitur reſpondit Danieli: verendum ſibi eſſe, ne propter eos in vitae periculum veniret, ſi rex, qui cibum et potum eorum determinaſſet, videret facies eorum macilentiores, quam aliorum ſuae aetatis juvenum. 11. Ad haec Daniel reſpondit Melzari, cui aulicorum princeps curam Danielis, Chananjae, Meſchaëlis et Aſarjae commiſerat: 12. Experire, quaeſo, rem in decem dies, et jube, nobis legumina ad cibum et aquam ad potum dari, 13. et tunc ſpectetur a te forma noſtra et juvenum, qui dapibus regiis veſcuntur, et prouti videris, agito nobiscum. 14. Annuit eorum votis et periculum cum eis fecit per decem dies. 15. Quibus finitis comparebant et forma meliores et corpore pinguiores aliis juvenibus omnibus, qui dapibus regiis alebantur. 16. Igitur Melzar *porro* ſepoſuit cibum et vinum eis deſtinatum, deditque legumina. 17. Hos quatuor juvenes Deus ſingulari prudentia et intelligentia variarumque rerum cognitione inſtruxit. Danieli vero inprimis viſorum et ſomniorum interpretandorum peritiam largitus eſt. 18. Tempore illo finito, quod rex conſtituerat, introduxit eos aulicorum princeps ad Nebucadnezarem. 19. Qui ubi cum eis colloquebatur, nullus omnium poterat cum Daniele, Chananja, Meſchaële et Aſarja

con-

conferri. Hinc inter regis miniſtros locum tenuerunt. 20. Quodſi eos rex de re aliqua ſubtiliori interrogabat, omnibus totius regni *a*) ſapientibus et magis longe praeſtabant. 21. Vixit autem Daniel Babylone usque ad annum primum Cyri regis.

CAPUT II

1. Anno ſecundo regni ſui Nebucadnezar ſomniavit. Quod ejus ſomnium cum eum valde inquietaret, nec amplius dormire poſſet, 2. convocari juſſit ſapientes, magos, praeſtigiatores et Chaldaeos, ut regi ſomnium indicarent. Qui cum venirent et coram rege compararent, 3. hic eis dixit: ſe ſomnium vidiſſe et vehementer cupere illud reſcire. 4. Chaldaei reſpon-

a) חַרְטֻמִּים et אַשָּׁפִים h. l. in bono ſenſu dicuntur de viris doctis et literarum, quae apud Chaldaeos colebantur, peritis, non de praeſtigiatoribus aut aliis qui artes ſuperſtitioſas exercebant. Etenim minime probabile eſt, Danielem cum ſociis ſuis magiae aut alii hujus generis ſuperſtitioni operam dediſſe, qui ne quidem cibis gentilium contaminari volebant. Sed quaenam inter utrosque fuerit differentia, non certo conſtat. חרטמים qui etiam Geneſ. XLI, 8. Exod. VIII, 3 ſeqq. occurrunt, putantur fuiſſe ſcripturae hieroglyphicae periti, ἱερογραμματεῖς Aegyptiis dicti, אשפים aſtronomi. Theodotion illos vocat ἐπαοιδοὺς, hos μάγους. LXX e Codice Chiſiano elegantius et rectius σοφιστὰς καὶ φιλοσόφους. Syrus: חַרָשָׁא ואשׁופא. Vulgatus: *bariolos et magos*.

ſpondebant regi Syriace: precamur tibi, o Rex, perpetuam felicitatem, dic nobis ſomnium, tum interpretabimur. 5. Rex vero reſpondit: *a*) Scitote, niſi mihi cum ſomnium ipſum, tum interpretationem ejus indicaveritis, vos membratim diſſectum, aedes vero veſtras everſum iri. 6. Quodſi vero ſomnium ejusque interpretationem explicaveritis, munera, praemia magnosque a me honores accipietis. Igitur dicite ſomnium et quid ſignificet. 7. Illi vero iterum reſponderunt: prius rex nobis ſomnium enarret, deinde illud interpretabimur. 8. Probe video, inquiebat rex, vos dila-

a) Verba Chaldaica מִלְּתָה מִנִּי אַזְדָּא duplicem admittunt explicationem, vel: *res a me abiit*, h. e. ſomnii ego oblitus ſum, vel: *verbum* ſ. *ſententia* de eis interficiendis, *a me firma eſt* ſ. *certo decreto*. אַזְדָּא enim, quod praeter hunc locum tantum verſ. 8. extat, diverſimode explicatur. Ex priori ſenſu idem eſſe putatur quod אזל *abiit*, ex poſteriori ſignificatio *roboris et fortitudinis* ei tribuitur, qua apud Talmudicos ſcriptores in uſu eſt. LXX interpretes, Theodotion, Arabs et Vulgatus priorem ſenſum verbis ſubjecerunt, *ὁ λόγος ἀπ' ἐμοῦ ἀπέστη*, *ſermo receſſit a me*. Poſteriorem Syrus: ܫܪܝܪܐܗܝ ܡܠܬܐ *certum eſt verbum quod dixi*. Atque hic mihi quoque probatur. Nempe rex non oblitus fuit ſomnii ſui, ſed noluit illud magis narrare, quoniam ex eo interpretationis veritatem colligere voluit, ſi ſomnium ipſum poſſent indicare. Verſu nono hanc rationem voluntatis ſuae clarius indicat.

dilationem quaerere, ſiquidem quae mea voluntas ſit, audiviſtis. 9. Sed ſi ſomnium mihi non indicaveritis, exiſtimabo vos falſa tantum et mendacia mihi dare velle, donec tempora mutentur. Propterea ſomnium quale fuerit dicite, tum et intelligam vos *veram* ejus dediſſe interpretationem. 10. Ad haec Chaldaei regi reſponderunt: Nemo vero in toto terrarum orbe exiſtit, qui poſſit regi id, quod vult, indicare. Nec unquam rex quam maximus aut potentiſſimus talia ex ullo ſapiente, mago aut Chaldaeo quaeſivit. 11. Eſt enim quod quaeris adeo difficile, ut alius non ſit, qui valeat illud tibi indicare, niſi dii, qui inter homines non degunt. 12. Qua de re gravem iram rex concepit, juſſitque omnes Babylonis ſapientes interfici. 13. Edictum igitur in hanc ſententiam exiit, atque etiam Daniel et ſocii ejus ad necem quaeſiti ſunt. 14. Tum ille ſciſcitatus eſt ab Ariocho, ſatellitum regiorum principe, qui exire debebat ad ſapientes Babylonis interficiendos, 15. quare ſententia adeo dura a rege lata eſſet. Et cum Arioch Danieli rem expoſuiſſet, 16. hic ad regem ingreſſus petiit ab eo, ut ſibi tempus concederetur ad *ſomnium ejusque* interpretationem regi indicandam. 17. Tum domum abiit, et Chanahjam, Miſchaëlem et Aſarjam ſocios ſuos hac de re certiores fecit, 18. ut miſericordiam Dei implorarent ſuper hoc myſterio, ne et ipſi perirent et reliqui Babylonis ſapientes. 19. Tunc Danieli in viſo

noſturno hoc arcanum revelatum eſt. Propterea Daniel Deo his verbis gratias egit: 20. Laudetur Deus per omnem ſeculorum aeternitatem, qui ſolus ſapiens eſt et potens. 21. Qui tempora et opportunitates gubernat, qui reges abrogat et conſtituit, cui ſapientes ſuam ſapientiam et intelligentes intelligentiam ſuam acceptam referre debent. 22. Is revelat profunda et occulta, novit quod in tenebris *latet*, etenim lux apud eum habitat. 23. Te, o Deus patrum meorum, laudo et celebro, qui mihi hanc inſignem ſapientiam conceſſeris, et jam indicaris quod te rogavimus, regis nempe negotium nobis oſtendiſti. 24. Quo facto Daniel adiit Ariochum, cui rex mandaverat interficere Babylonis ſapientes, atque ab eo petiit, ne hoc faceret, ſed ipſum ad regem introduceret, velle ſe regi *ſomnium ejusque* interpretationem explicare. 25. Ariochus Danielem ſine mora ad regem introduxit, eique oſtendit, repertum eſſe inter Judaeos exules aliquem, qui poſſet ſomnii interpretationem dare. 26. Tunc rex Danielem, qui et Beltſchazar vocatur, interrogavit, num poſſit ſomnium quod vidiſſet et quid ſignificet explicare. 27. Ad haec Daniel hunc in modum regi reſpondit: Arcanum, quod quaeris, non poſſunt ſapientes, magi, praeſtigiatores aut aſtrologi tibi indicare. 28. Verum enim vero eſt Deus in coelo, qui arcana revelat, is regi Nebucadnezari indicavit quid futuris temporibus eventurum ſit. Somnium tuum, ſ. quae

in

in cubili tuo vidiſti, ſic habent: 29. Tibi quidem, o rex, in cubili tuo cogitationes obortae ſunt, ecquid poſthac futurum eſſet. Is igitur qui arcana revelat, hoc tibi indicavit. 30. Mihi vero non propter ſapientiam, qua aliis mortalibus praeſtarem, hoc myſterium revelatum eſt, ſed ut tibi interpretatio innoteſceret, animique tui cogitationes ipſe cognoſceres. 31. Tu quidem, o rex, videbas magnum quoddam ſimulacrum et inſigne, forma eximia, aſpectu terribile. 32. Caput hujus ſimulacri erat ex auro probo, pectus et brachia argentea, venter et femora aenea. 33. Crura ejus ferrea, pedes ex parte ferrei, ex parte lutei. 34. Quae cum videres, ſaxum abſciſſum eſt *b*) *de monte*, ſine opera humana, quod percuſſit pedes ferreos et luteos, eosque contrivit. 35. Tunc ſimul comminuta ſunt ferrum, lutum, aes, argentum et aurum, et ut gluma

 ex

b) Addunt hoc LXX, Theodotion, Arabs, Vulgatus. Recte, uti videtur. Nam verſu 45. in explicatione ſomnii repetit Daniel idem quod dixerat antea. — — Ad ſequentia verba דִּי לָא בִידַיִן *quod non manibus*, ſupplendum eſt, *factum eſt. Hubigantius* quidem relativum דִּי refert ad אֶבֶן *qui non manibus*, ſcilicet moveri aut agitari poterat, h. l. lapis praegrandis. Senſu quidem non incommodo, ſed ellipſi duriori. Verbi vero הוה defectus, frequens eſt. Et videtur indicari, ſaxum iſtud derepente eſſe abſciſſum, ut non appareret, a quo hoc factum eſſet. Hunc ſenſum in verſione expreſſi.

ex areis aeſtivis, a vento diſſipata ſunt, ita ut nec locus eorum appareret. Saxum vero illud, quod imaginem percuſſerat, excrevit in montem magnum, qui totam terram impleret. 36. Hoc eſt ſomnium, jam et interpretationem ejus regi dicemus. 37. Tu, o rex, omnium regum princeps es, cui Deus coeleſtis regnum tam potens, validum et glorioſum dedit, 38. ut ubicunque homines, fera animalia et aves degant, tibi traderet tuoque imperio ſubjiceret. Tu es caput illud aureum. 39. Poſt te regnum c) exiſtet ex te ortum, et

poſt

c) Plerique interpretes exiſtimant hoc viſo Nebucadnezari exhibito indicatas fuiſſe quatuor, quas vulgo dicunt, monarchias, Babyloniorum, Perſarum, Graecorum et Romanorum, ſub quarum ultima regnum Meſſiae fuerit manifeſtandum. Sed tota haec de quatuor monarchiis hypotheſis prorſus arbitraria eſt, et fortaſſe ex hoc loco male intellecto venit. Plura enim fuerunt regna hoc nomine digna. Romanum quidem prioribus minime fuit inferius, aeque profecto dignum, quod auro et argento compararetur. Sed aliena quoque eſt haec explicatio a conſilio Nebucadnezaris, qui ſui regni fata cognoſcere cupiebat, non futuras regnorum per totum terrarum orbem mutationes. Neque Daniel ſomnium de diverſis aliarum terrarum regnis interpretatur, ſed tantum loquitur de diverſis Nebucadnezaris ſucceſſoribus in regno Chaldaico. Nam מַלְכוּ h. l. regnum ſ. imperium regis alicujus notat, Abſtracto poſito pro Concreto. Sic

מַלְכוּ

poſt illud regnum tertium, aeneum, quod toti terrae imperabit. 40. Denique regnum quartum, validum erit ſicuti ferrum. Quemadmodum enim ferrum omnia comminuit et debilitat, ſic etiam hoc, tanquam fer-

מַלְכִן ſaepe dicitur, v. c. Dan. VI, 1. 28. Nehem. XII, 22. Eſr. IV, 5. Atque Daniel ipſe ſic hanc vocem explicat verſ. 44. *temporibus iſtorum regum*, quae verba manifeſte pertinent ad illos omnes, quos antea מַלְכִן dixerat. Porro אַרְעָא eſt *terra* ſc. Chaldaica, ſic III, 31. IV, 8. 17. 19. non *infra*, ſ. *inferior*, quam ſignificationem nullibi habet, neque conſtruendum eſt cum ſequenti מִנָּךְ quod fecit Theodotion, *βασιλεία ἑτέρα ἥττων σου*, quem plurimi alii interpretes ſunt ſecuti, ſed referendum eſt ad תְּקוּם *exiſtet ex se regnum ſ. imperium aliud terrae.* Quibus obſervatis plane apparet, Danielem loqui tantum de quatuor Nebucadnezaris ſucceſſoribus, Evilmerodacho ejus filio, Neriglíſſaro, qui hujus ſororem in matrimonio habuit; hujus filio Laboroſſoarchado poſt novem menſium regnum interfecto, et ultimo Nabonnido, Evilmerodachi ex Nitocride filio, qui infrâ Cap. V. Belſchazar vocatur: ſub quo frangendum et conterendum erat regnum Babylonicum a lapide illo a monte abſciſſo, qui nullus alius eſt quam Cyrus. — Pluribus hoc demonſtravit *Harembergius* in Commentario ſuo in hunc prophetam p. 304 ſeqq. et ante eum eruditiſſimus ille Sueciae Epiſcopus *Henricus Benzelius* in diſſertatione *de quatuor orbis monarchiis*, quae prima eſt in Syntagmate Diſſertt. quod Lipſiae MDCCXLV. prodiit.

ferrum, omnia franget et comminuet. 41. Quod vero vidiſti pedes et digitos partim luteos, partim ferreos: regnum indicat diviſum, quod ex firmitate ferri aliquid habebit, quemadmodum etiam vidiſti ferrum cum luto argillaceo mixtum. 42. Porro quod pedum digiti partim ferrei, partim lutei erant: regnum ex parte firmum ſignificat, ex parte debile. 43. Tandem quod vidiſti ferrum cum luto mixtum, indicat *d*) *reges* connubiis conjunctionem eſſe quaeſituros, ſed non diu erunt alter alteri juncti, quemadmodum ferrum luto miſceri non poteſt. 44. Temporibus enim iſtorum regum *e*) monſtrabit Deus regnum ſuum nullo unqnam tem-

d) ad verbum: *miſcentes ſe ſemine humano.*

e) Hic verſus ſine dubio ſeduxit interpretes, ut omnino in interpretatione hujus viſi errarent, cum eis agere videretur de regno aliquo a Deo ſuſcitando et perpetuo duraturo, quod nullum aliud eſſe poſſe arbitrati ſunt, quam ſpirituale regnum Meſſiae. Quod vero ab h. l. prorſus eſt alienum. Sed aptiſſime poteſt hic verſus reliquo contextui explicari. Oſtenderat Daniel Nebucadnezari, longe alia eventura eſſe in regni ſui ſucceſſoribus, quam ipſe vel optarat vel ſperarat. Jam addit admonendi cauſa, Deum haec permiſſurum eſſe atque effecturum pro dominio ſuo abſoluto, quod habeat in omnia regna. יְקִים nempe h. l. habet ſignificationem declarandi aut demonſtrandi ſtabilitatem et firmitatem. Senſus igitur hujus verſus eſt: Deum oſtenſurum eſſe potentiam ſuam nunquam abolendam, cui nemo reſiſtere poſſit, dum poten-

tempore deſtruendum, nec alii populo ſubjiciendum. Hoc comminuet et conſumet iſta regna omnia, ipſum vero in perpetuum conſiſtet. 45. Propterea vidiſti de monte *f*) abſciſſum ſaxum absque humana opera, quod comminuit ferrum, aes, lutum, argentum et aurum. Deus ſummus indicavit regi, quid poſtea futurum ſit. Certum eſt hoc ſomnium, et vera ejus interpretatio. 46. Tum rex Nebucadnezar pronus in faciem concidit Danielem veneratus, et ferta et odores ei libari juſſit. 47. Dixitque: Profecto Deus veſter eſt Deus Deorum et dominus regum, et arcanorum revelator, hinc tu quoque hoc arcanum potuiſti revelare. 48. Quo facto rex Danieli ſummos honores contulit, multis magnisque donis affectum praefecit toti Babylonis provinciae, et praeſidem conſtituit omnium Babylonis ſapientum. 49. Daniel vero petiit a rege, ut Sadrachum, Meſchachum, et Abednegonem provinciae Babylonis praeficeret. Ipſe vero manſit in aula regia.

CAPUT III

1. Nebucadnezar rex fieri curavit coloſſum aureum, cujus altitudo eſſet ſexaginta cubitorum, latitudo ſex, quem

tentiſſimum illud Nebucadnezaris regnum in quarta ſucceſſione ſit deſtructurus; idque indicatum eſſe (haec enim eſt explicatio ultimae partis viſi a rege) lapſu lapidis magni in illum coloſſum, qui eum ſit contriturus.

f) Vid. nota ad verſ. 34. *b*).

quem in valle *a*) Dura provinciae Babyloniae erexit. 2. Et convocavit *b*) ſatrapas, duces, tetrarchas, conſules, praefectos, judices, quaeſtores, omnesque provin-

a) *Hieronymus* in Commentario ad h. l. haec habet: *Pro Dura Theodotio Deira, Symmachus Dorau, LXX* περίβολον *transtulerunt, quod nos vivarium, vel concluſum locum dicere poſſumus.* Quod lectionem τῶν ό attinet, confirmat eam Codex Chiſianus, qui ita habet: καὶ ἔστησεν αὐτὴν ἐν πεδίῳ τοῦ περιβόλου χώρας Βαβυλωνίας. Cujus verſionis rationem Vir Doctiſſimus, qui Codicem illum edidit, hanc reddit: „Cur ſoli LXX ſenes pro appellativo habuerint nomen דורא e Perſarum lingua conjicere licet, in qua adhuc *Dauran* ſive *Duran* idem eſt ac περίβολος Graecis, *circus* autem et *ſeptum* Latinis, aut *Vivarium*, ut *Hieronymus* reddidit. — — Apud Arabes eadem ſignificatione occurrit دور *Dauron, gyrus*, atque *orbis.* Theodotionem legiſſe דירא apparet; nam vertit ἐν πεδίῳ Δειρᾷ etc. „ — Equidem aſſentior illis interpretibus, qui דוּרָא habent pro nomine proprio propter adjectum בִּקְעָה quod plane redundat, ſi דורא eſt nomen appellativum ejusdem fere ſignificationis cum בקעה.

b) Sic vertunt LXX. interpretes vocabula munerum et dignitatum, quorum tamen vera et certa ſignificatio vix dari poteſt, cum ratio magiſtratuum in minoribus Babylonici regni provinciis conſtitutorum prorſus nos lateat: σατράπας, στρατηγοὺς, τοπάρχας καὶ ὑπάτους, διοικητὰς καὶ τοὺς ἐπ' ἐξουσίων κατὰ χώραν καὶ πάντας τοὺς κατὰ τὴν οἰκουμένην, ἐλθεῖν εἰς τὸν ἐγκαινισμὸν τῆς εἰκόνος. κ. λ.

vinciarum praefectos, ut ad initiationem hujus coloſſi venirent. 3. Qui cum omnes adeſſent et ante coloſſum ſtarent, 4. praeco alta voce proclamavit: Vobis edicitur, populi, omniumque linguarum nationes, 5. ſimulac audiveritis ſonitum tubarum, fiſtularum, cithararum, ſambucarum, pſalteriorum, ſymphoniarum et omnis generis muſicae, ut procumbatis et adoretis coloſſum aureum a rege Nebucadnezare erectum. 6. Quicunque vero non prociderit et veneratus fuerit, is ſtatim abjicietur in fornacem igne ardentem. 7. Igitur ſimulac audiverunt populi ſonitum tubarum, fiſtularum, cithararum, ſambucarum, pſalteriorum et reliquorum inſtrumentorum muſicorum, prociderunt omnes et venerati ſunt coloſſum aureum a rege Nebucadnezare erectum. 8. Eodem vero tempore Chaldaei quidam Judaeos apud regem accuſarunt his verbis: 9. Perpetuam tibi, o rex, precamur felicitatem. 10. Tu quidem edixiſti, ut omnes qui audierint ſonum tubarum, fiſtularum, cithararum, ſambucarum, pſalteriorum, ſymphoniarum, omniumque inſtrumentorum muſicorum, prociderent coloſſum aureum adorantes, 11. quicunque vero hoc non fecerit, abjiceretur in fornacem ardentem. 12. Jam vero hic adſunt homines quidam Judaei, quos provinciae Babyloniae praefeciſti, Sadrach, Meſchach, et Abednego, qui voluntatem tuam non curant, Deum tuum non colunt, nec venerantur coloſſum a te erectum. 13. Qua

de

de re Nebucadnezar gravem iram concepit, et adduci
juſſit Sadrachum, Meſchachum et Abednegonem; Qui
cum adeſſent, 14. rex eos ſic eſt allocutus: An de
induſtria hoc facitis, Sadrache, Meſchache et Abed-
nego, ut Deum meum non colatis, nec veneremini
coloſſum aureum a me erectum? 15. Quodſi tamen
adhuc ſtatim audito ſonitu tubarum, fiſtularum, citha-
rarum, ſambucarum, pſalteriorum, ſymphoniarum
reliquorumque inſtrumentorum muſicorum, procide-
ritis adorantes coloſſum a me factum, *bene eſt;* ſin mi-
nus, ſtatim abjiciemini in fornacem ardentem. Ec-
quis enim Deus eſt, qui vos e manu mea poſſit eripe-
re? 16. Reſponderunt Schadrach, Meſchach et Abed-
nego: nos quidem, Nebucadnezar, minime ſumus ſol-
liciti, quid tibi reſpondeamus. 17. Eſt enim Deus
quem colimus ſatis potens, ut nos ex fornace ardente
et ex manu tua eripere poſſit. 18. Quod, ſi quoque
non *fecerit*, ſcito o rex, nos neque Deos tuos eſſe
culturos, neque coloſſum aureum a te erectum vene-
raturos. 19. Quibus eorum dictis Nebucadnezar tan-
ta correptus eſt ira, ut facie prorſus immutata juberet
fornacem ſeptuplo magis accendi quam jam eſſet ac-
cenſa. 20. Militibus vero nonnullis robuſtis impera-
vit vincire Schadrachum, Meſchachum et Abednego-
nem, et in fornacem ardentem abjicere. 21. Igitur hi
vincti cum femoralibus, tiaris, palliis et veſtimentis
ſuis projecti ſunt in mediam fornacem ardentem.

22.

22. Quoniam autem fornax ex regis voluntate, quae moram non patiebatur, nimis erat accenſa, factum eſt, ut qui illos abjeciſſent, a flamma ignis extinguerentur. 23. Sic tres illi viri modo nominati projecti ſunt vinculis conſtricti in fornacem igne flagrantem. — — 24. c) Mox vero Nebucadnezar rex obſtupefactus propere ſurrexit et interrogavit duces ſuos, annon tres viri ligati in ignem abjecti eſſent. Quod cum affirmaſſent: 25. Ego vero, inquiebat, video quatuor viros ſolutos ambulantes in igne illaeſos, et forma quidem quarti ſimilis eſt filii Deorum. 26. Simul acceſſit ad oſtium fornacis ardentis, et dixit: Schadrache, Meſchache et Abednego, cultores Dei altiſſimi, prodite! Illi igitur cum prodiiſſent, 27. congregati ſatrapae, antiſtites, duces et quaeſtores eos contemplati ſunt, et viderunt nullam in eorum corpora vim ignem habuiſſe, capillos non eſſe aduſtos, femoralia illaeſa, et ab igne eos manſiſſe intactos. 28. Tum Nebucadnezar, laudetur, inquit, Deus Schadrachi, Meſchachi et Abednegonis, qui miſſo angelo cultores ſuos ſervavit, qui in eo confiſi juſſum regis non curarunt, et corpora ſua *igni* tradiderunt, ne colerent et adorarent alium Deum, praeterquam ſuum. 29. Jam vero volo et edico, ut quicunque ex ulla gente aut na-

tione

c) Hoc loco interſerunt verſiones antiquae canticum Aſarjae et ſociorum ejus.

tione blaſphemaverit Deum Schadrachi, Meſchachi
et Abednegonis, is membratim concidatur, domus
vero ejus evertatur, ſiquidem non eſt alius Deus, qui
poſſit ita liberare. 30. Quo facto rex Schadrachum,
Meſchachum et Abednegonem provinciae Babylonis
praefecit. — — 31. *d*) Nebucadnezar rex omnibus
omnium linguarum populis et nationibus, quae terra-
rum orbem inhabitant, ſalutem dicit plurimam.
32. Placet mihi exponere ſigna et prodigia, quae Deus
ſummus in me edidit. 33. Quam multa vero illa ſunt!
quam eximia! Regnum ejus eſt aeternum, et domi-
nium ejus per omnia ſecula durabit.

CAPUT IV

1. Ego Nebucadnezar, cum in palatio meo pace et
tranquillitate fruerer, 2. ſomnium vidi, quod me
perterruit, iſtaeque mentis meae ſuper cubili cogita-
tiones et viſa me turbarunt. 3. Igitur juſſi, ad me in-
troduci omnes Babylonis ſapientes, ut ſomnii inter-
pretationem mihi indicarent. 4. Cum adeſſent, nar-
ravi eis ſomnium, ſed nullus neque magus, neque ſa-
piens, Chaldaeus aut aſtrologus poterat ejus ſignifica-
tionem

d) Hic verſus et duo ſequentes praefationem continent ſe-
quentis edicti regii. Igitur male in codicibus hebraicis
et verſionibus huic capiti annectuntur. LXX praemit-
tunt haec verba: Ἀρχὴ τῆς ἐπιστολῆς. Syrus vero ſic ha-
bet: *Nebucadnezar rex ſcripſit omnibus populis et linguis de-
gentibus in tota terra: pax multiplicetur vobis.*

tionem explicare. 5. Tandem venit ad me Daniel, qui etiam Beltſchazar ſecundum nomen Dei mei vocatur et divino ſpiritu praeditus eſt, cui ſomnium meum his verbis enarravi: 6. Beltſchazar, magorum princeps, quem ego novi divino ſpiritu praeditum, nec ullum eſſe arcanum, quod tibi negotium faceſſat, *a*) *audi* ſomnium meum et quid ſignificet expone. 7. Viſa autem mea in cubili haec erant: Videbam arborem in terra ſummae altitudinis. 8. Quae arbor adeo crevit et roborata eſt, ut altitudo ejus ad coelum usque pertingeret et per totam terram conſpici poſſet. 9. Folia habebat pulchra, fructus multos, alimenta omnibus praebebat, ſub ea umbram captabant ferae agreſtes, in ramis ejus nidulabantur aves, *b*) omnesque mortales ex ea alebantur. 10. Quae cum in cubili meo viderem, e coelo deſcendit ſanctus angelus, 11. qui vehementer clamavit: caedite arborem iſtam, amputate ramos ejus, deſtringite folia, diſpergite fructus, ut aufugiant ferae, quae ſub ea ſunt, et volucres ex ramis ejus. 12. Attamen truncum relinquite in terra conſtrictum vinculis ferreis et aeneis, in herbida terra rore coeleſti tingatur, et ut aliae beſtiae veſcatur gramine. 13. Animus ejus humanus mutetur in brutum, atque ſic

 ſeptem

a) Addunt hoc Theodotion et Arabs.

b) Chald. *omnis caro*, homines intelligo, quod animalium jam mentio facta eſt.

ſeptem annos tranſigat. 14. Ex decreto vigilum haec ſententia lata eſt et ex juſſu ſanctorum *c*) haec evenient, ut intelligant homines ſummum Deum dominum eſſe regnorum, quae dare poſſit, cui velit, et vel humillimum quemque eis praeficere. 15. Hoc ego ſomnium vidi. Jam tu Beltſchazar, dic quid ſignificet. Nam nullus ſapientum regni mei potuit mihi ejus interpretationem afferre. Tu vero potes, divino quippe ſpiritu praeditus. 16. Tunc Daniel, qui et Beltſchazar vocatur, *d*) ad tempus aliquod obſtupuit, animo ſuo valde perturbatus. Tum rex, noli, inquit, ſomnio et interpretatione ejus perturbari. At Beltſchazar, Ah domine, inquit, utinam ſomnium hoc, ejusque interpretatio hoſtes tuos et adverſarios ſpectaret!

c) שְׁאֵלְתָא non *rogatio*, ſed *negotium* ſ. *res*. Reſpondet Arab. משאלה quod in Pentateucho Arab. *Erpenii* ſaepe ponitur pro hebr. דבר Geneſ. XXIV, 66. Deut. XXX, 1. Sic quoque Syri צבותא *voluntas* eſt infra Cap. VI, 18. צְבוּ *aliquid*, *quicquam*, cf. *Schultenſius* in Animadv. philol. ad h. l.

d) כְּשָׁעָא חֲדָא *quaſi una hora*. Sed non credibile eſt, Danielem coram rege ſomnii interpretationem cupide expectante per integram horam obſtupuiſſe. Apte igitur obſervavit *Schultenſius* l. c. Chaldaeis et Arabibus *horam* etiam dici pro *temporis momento*, ſ. *brevi tempore*. Sic ſupra III, 6. בה שעתא *illa ipſa hora*, h. e. ſtatim, et in Novo Teſt. Syriaco ſaepiſſime.

ret! 17. Quam tu arborem vidiſti proceram et robuſtam, ad coelum usque elatam, in toto terrarum orbe conſpicuam, 18. foliis pulchris, multis fructibus, quae alimenta praeberet omnibus, ſub qua beſtiae habitabant, cujus in ramis volucres degebant; 19. *Haec arbor* tu ipſe es, rex, qui adeo creviſti et invaluiſti, ut magnitudo tua ad coelum usque, imperium vero ad terrarum fines pertingat. 20. Quod autem vidiſti, rex, ſanctum angelum de coelo deſcendentem, qui juſſit arborem exſcindi et perdi, relicto modo in terra trunco vinculis ferreis et aeneis conſtringendo, in herbida terra rore coeleſti tingendo, eandem cum aliis beſtiis ſortem experturo, donec ſeptem anni effluxiſſent: 21. haec eſt explicatio, rex, et ſummi numinis ſententia in dominum meum regem lata. 22. Nimirum tu ex hominum ſocietate ejectus inter fera animalia verſaberis, gramine ſicuti tauri veſceris, rore coeleſti tingeris, et in hoc ſtatu per ſeptem *e*) annos manebis, donec cognoſcas ſupremum numen regnorum eſſe dominum, quae pro lubitu diſpertire poſſit. 23. Quod autem dictum fuit, truncum arboris relinqui debere, *hoc indicat* regnum tuum tibi eſſe manſurum, poſtquam coeli dominum agnoveris. 24. Propterea, o rex, admitte quaeſo conſilium meum, et

 f) de-

e) Chald. *ſeptem tempora.* Sic noſter *κατ' ἐξοχὴν* עִדָּן *tempus* uſurpat pro *anno.* Cf. v. 29. VII, 25. VIII, 14. XII, 7.

f) deſiſte a peccatis tuis et delictis per bona opera et miſericordiam erga pauperes, ſi forte hujus felicitatis tuae prorogatio tibi contingat. — 25. Atque haec omnia quoque mihi evenerunt. 26. Exactis enim duodecim menſibus in palatio meo regio Babylone obambulans, 27. dicebam: haec eſt Babylon illa magna, quam pro virium mearum potentia aedificavi, ut eſſet ſedes regni meaeque magnificentiae documentum. 28. Quae cum vix eſſem elocutus, vox de coelo delapſa eſt: tibi dicitur, rex Nebucadnezar, tu regno dejectus, 29. et ex hominum ſocietate excluſus, inter fera animalia deges, gramen ut tauri comeſturus, donec ſeptem annis exactis agnoſcas ſummi Dei potentiam in regna humana, quae pro arbitrio diſtribuat. 30. Atque ſtatim haec in me impleta ſunt, ab hominibus remotus gramine ut tauri veſcebar, et rore coeleſti corpus meum madebat, ita ut pili mei inſtar aquilarum plumae, et ungues inſtar volucrum creſcerent. 31. Exacto autem tempore illo ego Nebucadnezar

f) פְּרֻק antiquiores interpretes quidem omnes vertunt λύτρωσαι, *redime*, ex ſignificatione verbi in lingua Chaldaica et Syriaca frequentius obvia. Sed cum incommoda ſit locutio, ſi quoque commodam admittat explicationem, non video cur non adhibeamus notionem *abrumpendi* hebraeae et chaldaeae linguae uſurpatam Exod. XXXII, 2. 24. Vocabulo vero tropico ſubſtitui in verſione proprium.

nezar ſuſtuli ad coelum oculos, et mens mihi rediit. Tunc ſummum Deum veneratus ſum et immortalem laudibus et honore proſecutus, cujus dominium aeternum et regnum per omnes aetates duraturum. 32. Omnes terrarum orbis incolae *ad eum relati* nihil ſunt, pro arbitrio ſuo agit cum in coelo tum in terra, nemo poteſt eum impedire, aut facta ejus reprehendere. 33. Cum autem mens mihi rediiſſet, etiam regia poteſtas, honos et dignitas mihi reſtituta eſt. Duces et magnates mei me quaeſiverunt, et in regno meo majorem adhuc potentiam et dignitatem ſum conſecutus. 34. Propterea ego Nebucadnezar laudo, extollo et celebro regem coeli, cujus facta omnia proba ſunt, et viae rectae, et qui ſuperbos poteſt deprimere.

CAPUT V

1. Belſchazar rex lautum convivium apparavit mille ſuis magnatibus, et inter eos vino potus 2. juſſit inter pocula afferri vaſa aurea et argentea, quae Nebucadnezar avus ejus ex templo Hieroſolymitano abſtulerat, ut ex eis biberent rex, ejus magnates, uxores et pellices. 3. Igitur allata ſunt vaſa illa aurea olim ex templo Dei Hieroſolymae deportata, et biberunt ex eis rex, ejus principes, uxores et concubinae. 4. Inter has compotationes laudarunt Deos aureos, argenteos, aeneos, ferreos, ligneos, et lapideos. 5. Derepente vero extiterunt manus humanae digiti,

qui ſcribebant e regione candelabri in pariete palatii regii. Cum autem rex videret manum illam ſcribentem, 6. expalluit, animoque adeo fuit perturbatus, ut latera tremerent et genua colliderentur. 7. Igitur magna voce clamavit, ut adducerentur ſapientes, Chaldaei et aſtrologi, eisque promiſit, qui poſſet ſcriptum illud legere et interpretari, eum purpura veſtitum iri, torque aurea in collo ornatum, et tertium in regno futurum. 8. Quanquam vero omnes Babylonis ſapientes aderant, tamen non poterant ſcriptum legere, aut ejus interpretationem regi indicare. 9. Qua de re Belſchazar rex multo magis fuit perterritus, colorem mutavit, et magnates ejus vehementer conſternati. 10. Propter haec, quae regi et principibus acciderant, venit regina *a*) in coenaculum, et regem ſic alloquitur: perpetuam tibi, rex, precor felicitatem, noli nimium perturbari aut colorem mutare. 11. Eſt vir in regno tuo, divino ſpiritu praeditus, cujus prudentia, intelligentia, ſapientia prorſus divina avi tui temporibus innotuit, quem etiam rex Nebucadnezar, avus ille tuus, principem magorum, ſapientum, Chaldaeorum et aſtrologorum conſtituit. 12. Siquidem eximia facultas, prudentia et acumen ſomniorum interpretandorum, aenigmatum explicandorum, rerumque intricatarum ſolvendarum in illo Daniele, cui rex nomen Beltſchazaris dedit, reperitur. Is

a) Mater regis, *Nitocris*, vidua Evilmerodachi.

Is tantummodo advocetur, explicationem prodigii *ſine dubio* dabit. 13. Igitur Daniel ad regem introducitur, qui eum ſic alloquitur: Tune es ille Daniel ex Judaeis exſulibus, quos avus meus ex Judaea deportavit? 14. Audio, te divino ſpiritu eſſe praeditum, et prudentiam, intelligentiam, ſapientiam eximiam in te reperiri. 15. Jam quidem ad me introducti ſunt ſapientes et magi, ut illud ſcriptum legerent et explicarent, ſed non potuerunt. 16. Te vero audio poſſe obſcura interpretari et res intricatas enodare. Igitur ſi potueris hoc ſcriptum legere et interpretari, purpura veſtieris, torque aurea ornaberis et tertium in regno locum obtinebis. 17. Ad haec Daniel regi reſpondit: Tua tibi munera habeas et praemia tua conferas in alios, tamen ſcriptum legam, ejusque ſententiam tibi declarabo. 18. Deus, o rex, Nebucadnezari avo tuo dederat regnum tantae magnitudinis, potentiae et gloriae, 19. ut eum propterea omnes omnium linguarum gentes et nationes timerent et formidarent. Nam pro lubitu occidebat, ſervabat, exaltabat et deprimebat. 20. Cum vero animo elatus ſpiritu ſuperbo inſoleſceret, throno regni ſui dejectus, honore privatus, 21. et ex hominum ſocietate eſt excluſus. Beſtiis ſimilis inter onagros habitabat, gramine ut tauri veſcebatur, et rore coeleſti corpus ejus madebat, donec cognoſcebat ſummi Dei in regna humana potentiam, quibus, quem velit, praeficiat. 22. Tu vero, Beltſchazar,

nepos ejus, non ſubmiſiſti animum tuum, quanquam haec omnia ſcires. 23. Sed contra dominum coeli temet extuliſti, et vaſa templi ſui afferri juſſiſti, ex quibus tu, magnates tui, mulieres et pellices tuae vinum bibiſtis, et Deos argenteos, aureos, aeneos, ferreos, ligneos et lapideos, qui tamen nec vident nec audiunt, nec quicquam intelligunt, laudaſti, contra vero Deum, cujus in manu vita tua eſt omnesque actiones tuae, non honoraſti. 24. Ab eo igitur hic manus articulus miſſus eſt, qui hoc ſcriptum exaravit. 25. Cujus verba ſic ſonant: *M'ne M'ne T'kel Upharſin:* 26. Interpretatio vero eorum eſt haec: *M'ne* ſignificat: Deus definivit regnum tuum, idque terminare decrevit. 27. *T'kel*, in trutina ponderatus levior es inventus. 28. *P'res*, Diviſum eſt regnum tuum et Medis et Perſis datum. 29. Tunc juſſit Belſchazar Danielem purpura veſtiri, torquem auream collo ejus imponi et proclamari, eum inter regni principes tertium locum eſſe occupaturum. 30. Sed hac ipſa nocte Belſchazar Chaldaeorum rex eſt occiſus.

CAPUT VI

1. Succeſſit in regno *a*) Darius Medus, annos natus duos et ſexaginta. 2. Huic Dario placuit centum et viginti ſatrapas regno praeficere, 3. atque his

tres

a) Is eſt Cyaxares II, Ahasveri f. Aſtyagis Medi filius, IX, 1. Cyri ſocer et avunculus.

tres dare praeſides, quibus illi rationes redderent, ne quid detrimenti rex pateretur *b*). Unus horum praeſidum fuit Daniel. 4. Is vero omnes ingenii excellentia longe ſuperavit, propterea etiam rex eum voluit toti regno praeficere. 5. Praeſides igitur iſti et ſatrapae cauſam aliquam quaerebant, propter quam poſſent Danielem criminis in regni adminiſtratione admiſſi accuſare. Sed nullam poterant delicti ſpeciem invenire, ſiquidem fidelis erat, nec ullum in eo crimen aut culpa poterat deprehendi. 6. Quod cum intelligerent, conſilium ceperunt eum de religione ſua criminandi. 7. Igitur regem adierunt et ſic cum eo ſunt locuti. Perpetuam tibi, Dario rex, precamur felicitatem. 8. Statuerunt omnes regni praeſides, antiſtites, ſatrapae, conſiliarii et duces, ſancire lege regia et confirmare edicto, ut quicun-

b) Verba textus ſunt וּמַלְכָּא לָא לֶהֱוֵא נָזִק quae Theodotion vertit: *ὅπως ὁ βασιλεὺς μὴ ἐνοχλῆται.* Sic quoque Vulgatus: *ut rex non ſuſtineret moleſtiam*, et Syrus: וְלְמַלְכָא לָא נֶהְוֹון מְהַרִין Οἱ ό haec verba omittunt. Defendit hanc explicationem doctiſſimus Editor Codicis Chiſiani, auctoritate quoque *Ephraemi Syri*. Fortaſſe verbum נזק ut הרר quo Syrus uſus eſt, utramque explicationem admittit. Illa tamen, quam in verſione poſui, veriſimilior videtur, cum Darius ille non is fuerit princeps, qui deſidiae indulgeret laboremque regni ipſe adminiſtrandi fugeret.

cunque aliquid petierit ab ullo Deo aut homine intra triginta dies, niſi a te, o rex, abjiciatur in leonum foveam. 9. Jam igitur confirma hanc legem, et jube literis promulgari, quae ſit, ut aliae Medorum et Perſarum leges, irrevocabilis. 10. Darius legem et edictum ſanxit. 11. Quanquam autem Daniel legis illius non eſſet ignarus, tamen domi ſuae apertis feneſtris in conclavi ſuperiori Hieroſolymam verſus ter quotidie flexis genibus Deum ſuum precatus eſt et laudavit, uti antea facere ſolitus fuerat. 12. Tum viri illi congregati inveniunt Danielem precantem et laudantem Deum ſuum. 13. Igitur regem adeunt eique dicunt: *c*) Nonne legem promulgaſti, ut quicunque precatus fuerit ab ullo Deo aut homine per triginta dies, niſi a te, rex, abjiceretur in leonum foveam. Utique, reſpondit rex, idque ex more Medorum et Perſarum lege irrevocabili. 14. Tum illi, atqui Daniel, inquiunt, qui eſt ex exſulibus Judaeis, neque tui, o rex, neque legis, quam ſanxiſti, rationem habet, ſed ter quotidie precatur. 15. Quae cum rex audiret, magno dolore eſt affectus et omni ſtudio Danielem ſervare voluit, immo usque ad occaſum ſolis de eo eripiendo operam dedit. 16. Sed viri

c) Omittunt *οἱ ό*, Theodotio, Syrus, Arabs verba textus עַל־אֱסָר מַלְכָּא *de edicto regis*, quae ſane poſſunt abeſſe ſalvo ſenſu, nam prorſus redundant.

viri iſti regem conveniunt, eique dicunt: Scito moris hoc eſſe apud Medos et Perſas, legem a rege ſancitam et publicatam mutari non poſſe. 17. Igitur rex juſſit Danielem in leonum foveam abjici, cui dixit: Deus tuus, quem adeo conſtanter colis, te ſervet! 18. Deinde lapis oſtio foveae admovetur, quem rex et magnates annulis ſuis obſignant, ne quid, quod *d*) de Daniele decretum eſſet, mutaretur. 19. Quo facto rex abiit in palatium ſuum et pernoctavit incoenatus, nec paſſus eſt cibos apponi, noctemque transegit inſomnem. 20. Mane autem prima luce ſurrexit ad leonum foveam feſtinans. 21. Ibique Danielem triſti voce inclamavit: potuitne, o Daniel, Dei viventis cultor, Deus ille tuus, quem adeo conſtanter colis, te a leonibus ſervare? 22. Ad haec Daniel regi reſpondit: perpetuam tibi, rex, precor felicitatem. 23. Deus meus miſit angelum ſuum, qui ora leonum occluſit, ita ut me non laeſerint, quoniam me innocentem eſſe novit, neque ego contra te, o rex, ullum crimen commiſi. 24. Tunc multum laetatus eſt rex, juſſitque Danielem ex fovea extrahi.

Quod

d) Sic οἱ ό verba textus דִּי לָא תִשְׁנֵא צְבוּ בְּדָנִיֵּאל explicant: ὅπως μὴ ἀπ' αὐτῶν ἀρθῇ ὁ Δανιὴλ, ἢ ὁ βασιλεὺς αὐτὸν ἀνασπάσῃ ἐκ τοῦ λάκκου, quae utique hanc explicationem admittunt. Sed Vulgatus habet: *ne quid fieret contra Danielem*, et Theodotion: ὅπως μὴ ἀλλοιωθῇ πρᾶγμα ἐν τῷ Δανιήλ. Syrus ipſa verba Chaldaica retinuit.

Quod cum factam eſſet, nulla omnino laeſio in eo inventa eſt, utpote qui Deo ſuo eſſet confiſus. 25. Deinde rex juſſit, homines iſtos, qui Danielem criminati eſſent, adduci et in leonum foveam conjici una cum liberis ſuis et mulieribus, in quos, cum vix ad imum foveae pertigiſſent, leones irruerunt, et oſſa adeo eorum comminuerunt. 26. Tunc Darius rex omnibus omnium linguarum nationibus et populis, cujuscunque terrae ſint, ſic ſcripſit: Salvete plurimum! 27. Volo ut in tota regni mei ditione omnes colant et revereantur Deum Danielis. Qui eſt Deus vivus et aeternus, cujus regnum eſt incorruptibile et dominium in perpetuum durans. 28. Liberator et defenſor, qui ſigna et prodigia fecit in coelo et in terra, qui et Danielem a leonibus defendit. — — 29. Caeterum hic Daniel floruit ſub regno Darii et Cyri Perſae.

CAPUT VII

1. Anno primo Belſchazaris regis Babylonis Daniel ſomniavit in cubili ſuo. Quod ſomnium deinde literis mandavit, ejusque ſummam his verbis deſcripſit: 2. Ego Daniel per nocturna viſa obſervabam quatuor ventos irruere mari magno, 3. et quatuor animalia ingentia ex illo mari aſcendere, alia ab aliis diverſa. 4. Primum ſimile erat leoni, alis aquilinis

nis *a*). Quod cum intuerer, videbam ei alas evulſas et e terra ſublatum pedibus ut homo erectum ſtare, cor etiam humanum ei datum eſt. 5. Sed ecce! aliud animal ſecundum, extitit ſimile urſo *b*), quod uni lateri incumbebat et tres coſtas in ore habebat inter dentes, huic dictum eſt: ſurge, comede carnem multam. 6. Poſt hoc videbam aliud, ſimile pardo *c*), quod quatuor alas habebat in dorſo et quatuor capita, huic imperium dabatur. 7. Poſt hoc videbam in nocturna viſione quartum animal formidabile *d*), terribile et valde validum, dentes habens ferreos praegrandes, vorans et comminuens, reliqua vero pedibus conculcans, diverſum hoc erat a prioribus omnibus, decem habebat cornua. 8. Quae cornua cum accuratius conſiderarem, ecce aliud cornu parvum *e*) ſuccreſcebat

a) Quinque reges Babylonici. A primo Nabopalaſſare usque ad Nabonnadum ultimum, qui a Cyro victus in Caramaniam miſſus eſt, ubi quiete vixit. Joſephus contra Apionem, I, 19. 20.

b) Cyrus, qui tria regna, Medorum, Lydorum, Babyloniorum ſuperavit, ſibique ſubjecit.

c) Alexander M. qui tenuit Graeciam, Aegyptum, Perſiam et Indiam.

d) Succeſſores Alexandri M. qui Palaeſtinam valde afflixerunt.

e) Antiochus Epiphanes, crudelis iſte Judaeorum perſecutor, contra quem tandem ducibus Maccabaeis libertatem iterum obtinuerunt.

ſcebat inter ea, et tria de cornibus illis prioribus evellebantur propter illud. Oculos illud cornu habebat humanos et os grandiloquum. 9. Quae cum obſervarem, throni poſiti ſunt et antiquus diebus conſedit. Cujus veſtitus candidus erat inſtar nivis, capillus inſtar lanae mundae, thronus ejus erant flammae igneae et rotae ardentes. 10. Fluvius igneus ab eo (h. e. a loco judicii) emanabat, millies mille ei miniſtrabant, myrias myriadum adſtabant ei. Judicium *habiturus* ſedit, libri aperti ſunt. 11. Tum videbam iſtud animal propter verba magniloqua, quae cornu ejus proferebat, occiſum, corpus peremtum et igni traditum ut combureretur. 12. Reliqua autem animalia ſua poteſtate privata ſunt, vitae tamen quaedam prolongatio eis data eſt ad tempus quoddam definitum. *f*) 13. Tum porro ſpectabam per nocturna viſa aliquem homini ſimilem, qui in nubibus coeli veniebat. Is ad antiquum diebus appropinquabat, in cujus conſpectum etiam fuit adductus. 14. Atque huic tanta poteſtas, dignitas et regnum dabatur, ut omnes omnium linguarum gentes et nationes eum colerent. Poteſtas ejus debebat eſſe aeterna, nunquam peritura, et regnum ejus nunquam deſtruendum *g*). 15. Hic ego Daniel animo

f) Fruſtra tentarunt ſequentes reges Syriae, Judaeos denuo ſibi ſubjicere.

g) Regnum Meſſiae ſpirituale, cui omnia alia ſubjicienda, ipſum vero in aeternum duraturum.

animo valde commotus et propter noſturna illa viſa vehementer perturbatus, 16. acceſſi ad unum ex adſtantibus, et quae ſit horum omnium vera ſignificatio, quaeſivi. Quam etiam mihi his verbis dedit: 17. Quatuor haec animalia ingentia, quatuor reges ſunt, qui exiſtent in terra. 18. Tum vero ſanſti Dei altiſſimi regnum accipient et poſſidebunt usque ad tempus definitum, hoc eſt, in omnem aeternitatem. 19. Sed cupiebam accuratius cognoſcere, quae ſit quarti animalis ratio diverſi a reliquis omnibus, tam formidabilis, cujus dentes ferrei erant et ungues aenei, quod vorabat, comminuebat et reliqua pedibus conculcabat. 20. Cujus in capite decem cornua ſuccreverant, et deinde aliud *parvum*, propter quod tria *priora* excuſſa erant, quod oculos habebat et os grandiloquum, cujus forma omnino major erat quam reliquorum. 21. Quod cornu videram cum ſanſtis belligerare eisque praevalere, 22. donec venit Antiquus diebus, et judicium datum eſt ſanſtis Altiſſimi, tempusque venit, quo regnum obtinerent ſanſti. — — 23. *Igitur ille mihi* ſic reſpondit: Quartum animal, quartum regnum ſignificat, quod futurum eſt in terra, diverſum a reliquis regnis omnibus, quod totam terram conficiet, conculcabit, comminuet. 24. Decem autem cornua, *quae ſuccreverant* ex illo *h*) animali, decem reges ſunt;

h) In textu eſt *regno*, vocabulo proprio pro ſymbolico poſito.

ſunt; poſt quos alius exiſtet, a prioribus longe diverſus, qui tres de illis regibus commemoratis ſibi ſubjiciet. 25. Et contra Altiſſimum inſolenter ſe geret, ſanctos ejus affliget, et cogitabit mutare tempora et legem. Atque etiam ei tradentur *ſancti Altiſſimi* per tres annos et dimidium *i*). 26. Tum vero judicium habebitur. Poteſtate ſua privabitur, funditusque exſcindetur et perdetur. 27. Regia autem poteſtas et dignitas, quae ſolet eſſe regnorum terreſtrium omnium totius terrarum orbis, concedetur populo ſanctorum Altiſſimi. Hujus Dei altiſſimi regnum eſt aeternum, huic omnia regna ſervire debent et obedire *k*). 28. Huc usque ille qui mecum loquebatur. Ego

i) Cf. Cap. IV, 22. not. *e*).

k) Tandem heroes e familia Aſmonaeorum populares ſuos in libertatem vindicarunt. Primum Judaei excuſſa Syrorum jugo ſui juris facti ſunt ſub Simone 1 Macc. XIII, 41. 42. Plenius deinde omnique regia dignitate impetrata ſub Joanne Hyrcano. — Multi quidem interpretes ex verbis דִּי מַלְכוּת תְּחוֹת כָּל־שְׁמַיָּא collegerunt, promitti populo ſanctorum imperium totius terrarum orbis. Quod cum in Maccabaeorum dominio non invenirent, exiſtimarunt ſermonem iterum eſſe de regno Meſſiae ſpirituali. Sed male hoc cum fine tyrannici imperii Antiochi Epiphanis jungitur. Promittitur Judaeis plenaria libertas, qualis ſolet eſſe regnorum aliis non ſubjectorum. Cui promiſſioni additur admonitio, quales plures jam adfue-

Ego vero Daniel animo valde eram perturbatus, adeo ut et facies mihi externa mutaretur. Rem vero diligenter memoriae mandavi.

CAPUT VIII

1. Anno tertio regni Belſchazaris apparuit mihi viſum poſt illud, *a*) quod in principio *ejusdem regni* mihi apparuerat. 2. Eram autem tum in arce Suſane, quae eſt in provincia Elymaide. Ibi viſus mihi ſum ſtare ad fluvium Eulaeum, 3. et obſervavi arietem, qui ad illum fluvium ſtabat, bicornem. Alta quidem erant iſta cornua, alterum tamen altero erat altius, idque ſuccreſcebat poſterius. *b*) 4. Videbam illum arietem cornibus ferire verſus occidentem, ſeptentrionem et meridiem, nullum animal poterat ei reſiſtere, nec erat qui ab eo defenderet. Pro lubitu ſuo age-

 bat

adfuerunt in Daniele Cap. II, 44. III, 33. IV, 14. de agnoſcendo dominio Dei in omnia alia regna. Vid. *Harembergii* Commentarius in Danielem p. 371. ſeqq. ubi plures auctores citantur p. 386. qui eadem ratione hoc viſum explicarunt, inprimis *Henr. Benzelius* ſupra jam laudatus, in Syntagmate Diſſertt. Tom. I. p. 37. ſeqq.

a) Cap. VII, 1.

b) Reges Medorum et Perſarum. Alterum cornu, quod priori eminebat, eſt Cyrus ejusque ſucceſſores Cambyſes et Darius Hyſtaſpis, regnum ſuum longe lateque ampliantes.

bat et magna praeſtabat *c*). 5. Ad quae cum attenderem, ecce! hircus caprinus veniebat ab occidente, totum terrarum orbem *tanta velocitate* pervadens, ut terram non attingere videretur *d*). Is inter oculos cornu habebat ſpectabile. 6. Veniebatque usque ad arietem illum bicornem, quem ſtare videbam ad *Eulaeum* flumen, et magno fervoris impetu in eum incurrebat. 7. Cum quo cum congrederetur, magna ferocia eum vincebat et ambo ejus frangebat cornua. Non vires habebat aries ad reſiſtendum. Igitur humi proſtratum conculcabat, nec erat qui arietem ab eo defenderet. 8. Poſtea hoedus ille caprinus magna et eximia praeſtabat. Sed in ſummo virtutis ſuae gradu frangebatur cornu illud magnum. Cujus in locum tamen ſuccreſcebant quatuor alia cornua conſpicua verſus quatuor coeli plagas *e*). 9. Ex quorum uno enatum eſt cornu perparvum, quod valde excrevit ver-

c) הִגְדִּיל ſc. לַעֲשׂוֹת cf. Joel. II, 20. 21.

d) Alexander M. imperium Perſicum ſibi ſubjiciens.

e) Mortuo Alexandro M. duces ejus regna inter ſe dividebant, qui mutuis bellis ſeſe mox ita conficiebant, ut tandem quatuor tantum reſtarent, totidem regna conſtituentes. Nempe Caſſander Macedoniam et Graeciam; Lyſimachus Thraciam et partem Aſiae; Ptolomaeus Aegyptum, Libyam, Arabiam, Palaeſtinam; Seleucus Nicator reliqua ut reges obtinuerunt.

verſus meridiem, orientem et *terram* nobilem *f*). 10. Excrevit usque ad aſtra *g*), quorum quaedam dejecit, ut et ſtellas nonnullas, et conculcavit. 11. Atque adeo usque ad principem aſtrorum ſeſe extulit, abſtulit ei juge ſacrificium *h*), et evertit locum ei ſacrum. 12. Tradita ei fuerunt aſtra una cum jugi ſacrificio propter peccata, veritatem humi proſtravit, et ſic omnia ei feliciter ſucceſſerunt. 13. Tum audivi ſanctum aliquem loquentem; quem *alius* quidam ſanctus interrogavit: quousque durabit *i*) ablatio jugis ſacrificii, ſtupenda impietas, et conculcatio ſancti et aſtrorum? 14. Dixit au-

f) Antiochus Epiphanes ex quarto illo Syrorum regno ortus. Cujus bella innuuntur verſus meridiem h. e. Aegyptum, verſus Orientem h. e. Perſiam, cf. 1 Maccab. III, 31. 37. Cap. VI, 1. ſeqq. — — וְאֶל־הַצֶּבִי ellipſis eſt τοῦ אֶרֶץ quod in ſimili contextu additur Cap. XI, 16. 41. *Terra* vera *decoris* quin ſit *terra Iſraëlitica*, non dubitari poteſt, cum in hoc et parallelo loco ſermo ſit de bellis Judaeae ab illo rege illatis. Vocatur vero אֶרֶץ צְבִי ob fertilitatem ſuam et ſingularem praeſtantiam, qua Dei beneficio ornata fuit. Cf. Ezech. XX, 6. 15.

g) Principes Judaeos in eccleſia et republica, qui verſu 24. potentes et populus ſanctorum vocantur. Cf. *Glaſſii* Philol. S. p. 1043.

h) Interdixit Antiochus Epiph. oblationem τοῦ תָּמִיד *ſacrificii quotidiani.* 1 Maccab. I, 30—40.

i) hebr. *viſio*, metonymice pro rebus viſis.

autem mihi: ad bis mille et treçentos dies *k*). Tum expiabitur ſanctuarium. —— 15. Quae cum viderem et cuperem intelligere, adſtitit viri quaedam ſpecies. 16. Et audivi vocem humanam inter Eulaei *fluvii ripas*, quae dixit: Gabriel explica huic viſionem. 17. Tum ille venit in eum locum ubi ſtabam, propter cujus adventum ego perterritus in faciem procidi. Sed ille, attende, inquit, homo, ſpectat enim illa viſio extrema tempora. 18. Cum vero mecum loqueretur, ego humi jacens animi deliquium paſſus ſum. Ille vero me tangens erexit, 19. et ſic mecum eſt locutus: Tibi indicabo quid futurum ſit extrema illa calamitate, nam et haec finem ſuum habebit. 20. Aries ille bicornis, quem vidiſti, rex eſt Medorum et Perſarum. 21. Hircus vero piloſus rex Graecorum. Cornu illud magnum inter oculos ejus eſt primus rex. 22. Quod autem eo fracto quatuor *alia cornua* ejus loco extiterint, indicat quatuor regna ex illa gente oritura eſſe, minus tamen valida *l*). 23. In quorum fine cum conſummaverint peccatores, exiſtet rex crudelis, et aſtutus. 24. Is potentia auctus, nec tamen

k) Per tres annos et dimidium prohibuit Antiochus cultum religioſum. Tot enim annos conficiunt bis mille et trecenta ſacrificia quotidiana. Horum enim dimidium ſunt mille, centum et quinquaginta dies. Nec tamen ſumma *ἀκρίβεια* in hoc numero requirenda.

l) Hebr. *non in robore ejus*, ſc. primi regis.

men ſua virtute *m*) ſtupendas inducet vaſtationes et felici ſucceſſu utetur. Perdet potentes atque etiam populum ſanctorum. 25. Aſtutia ſua perficiet callida ſua conſilia, animo ſuperbo ſecure perdet multos, atque adeo contra ſummum principem *n*) ſeſe efferet, tandem ſine auxilio humano auferetur *o*). 26. Caeterum et illa quae tibi dicta ſunt de diebus (verſ. 14.) *bis mille et trecentis*, vera ſunt. Tibi quidem hoc viſum obſcurum et minus intelligibile videbitur *p*), quoniam tempora ſpectat adhuc longe remota. 27. Ego autem Daniel fere confectus aegrotavi per aliquot dies. Cum deinde convaluiſſem, executus ſum mandata regis. Attamen obſtupui ad viſa illa, quae nemo intelligebat.

m) ſed aſtutia ſua et fraudibus, uti in ſequenti verſu dicitur.

n) h. e. Deum, verſ. 11.

o) morbo ex moerore ob infelicem armorum ſuorum ſucceſſum. 1 Maccab. VI, 8 ſeqq.

p) hebr. סְתֹם הֶחָזוֹן *occlude viſionem.* Verbum activum h. l. declarative eſt explicandum: Quod nempe prophetae hoc viſum ut occluſum h. e. ad intelligendum nimis difficile ſit. Non jubetur occluſio ſ. occultatio vaticinii usque ad tempora futura, de qua multi interpretes verba explicant. Sic angelus ſeſe ipſe explicat Cap. XII, 9. cum Daniel de ſenſu viſorum interrogaret, *ubi*, reſpondit, *nam haec occluſa et obſignata ſunt usque ad eorum implementum.*

CAPUT IX

1. Anno primo Darii, Ahasveri filii e Medorum gente, regis Chaldaeorum, 2. ego Daniel attendi ad numerum annorum in literis proditum, quem Deus per prophetam Jeremiam definierat, *a*) nimirum poſt ſeptuaginta annos vaſtationem Hieroſolymae finitum iri. 3. Atque me converti ad dominum Deum, gratiam ejus et miſericordiam implorans, jejunio, veſtitu lugubri et cinere adhibitis. 4. Hac vero formula uſus ſum in precibus meis: o Domine Deus magne et venerande! tu is es, qui ſervat promiſſiones et benignitatem illis qui eum amant, et praecepta ejus cuſtodiunt *b*). 5. Peccavimus et deliquimus, impie et contumaciter a tuis praeceptis et inſtitutis deflectentes. 6. Non obtemperavimus miniſtris tuis prophetis, qui nomine tuo reges, principes, patres noſtros et nos omnino omnes ſolebant adhortari. 7. Tu quidem, Domine, juſtus es, commeruimus ignominiam,

a) Jer. XXV, 11. 12. XXIX, 10.

b) Poſt vocativum ex genio linguarum occidentalium affixa videri poſſent legenda eſſe in ſecunda, non in tertia perſona: qui *te* amant, qui *tua* praecepta ſervant; atque ita etiam habent LXX interpretes, Theodotio, Arabs et Vulgatus. Sed lectio recepta ſana videtur, quam etiam Syrus interpres ſine ulla mutatione exhibet, atque facilem admittit interpretationem per ellipſin *τοῦ* אשר frequenter obviam.

niam, qua afficimur, Judaei et cives Hieroſolymitani, et omnes Iſraëlitae, ſive propinqui ſint, ſive remoti in iis regionibus, per quas eos propter peccata ſua diſſipaſti. 8. Ita eſt, o domine, digni ſumus illa infamia, reges, principes, majores noſtri contra te peccarunt. 9. Verum tu, o domine Deus, miſericors es et indulgens, quanquam contra te rebellavimus, 10. neque voluntati tuae obtemperavimus, ut ad legem tuam per prophetas miniſtros tuos nobis datam viveremus. 11. Omnes Iſraëlitae hanc legem tuam violarunt, et noluerunt voluntati tuae obtemperare, propterea quoque effuſae in nos ſunt dirae iſtae et imprecationes, quae ſcriptae ſunt in lege c) Moſis miniſtri tui. 12. Impleta ſunt, quae minatus eſt nobis et magiſtratui noſtro. Adductae ſunt in nos tantae calamitates, quae nullibi alias evenerunt, quas tantum experta eſt Hieroſolyma. 13. Omnia iſta mala nobis evenerunt, quae in lege Moſis ſcripta ſunt. Nec tamen ſupplices nos ad te, Jova, Deus, convertimus. Non abſtinuimus a peccatis, neque ad praeceptorum tuorum veritatem attendimus. 14. Propterea quoque poenas iſtas nobis infligere non differebas d). Juſtus enim es Jova Deus in omnibus quae agis, nos vero

 tibi

c) Levit. XXVI, 14. ſeqq. Deut. XXVII — XXXII.

d) In textu eſt verbum שָׁקַד *et vigilavit Jova ſuper malum et adduxit illud ſuper nos*, phraſis ſumta videtur ex Jer. I, 12.

tibi non obtemperavimus. — 15. Jam vero domine Deus, qui eduxiſti potenter populum tuum ex Aegypto, atque hoc facto magnum tibi nomen feciſti, quod etiamnum celebratur, peccaſſe nos et deliquiſſe fatemur. 16. At enim vero, o domine, pro illa tanta benignitate cohibe irae tuae vehementiam, ab urbe tua Hieroſolyma et monte tibi ſacro. Nam propter peccata noſtra et majorum noſtrorum delicta Hieroſolyma et populus tuus omnium vicinorum opprobrio eſt expoſitus. 17. Attende, o Deus noſter, ad preces cultoris tui ſupplices, fac ut favoris tui ſplendore iterum illuſtretur ſanctuarium tuum vaſtatum, propter temet ipſum e). 18. Attende, mi Deus, aſpice et vide, quantopere vaſtata ſit urbs de nomine tuo vocata. Non noſtris virtutibus, ſed inſigni tua benignitate freti his ſupplicibus precibus te compellamus. 19. Audi, Domine, condona, Domine, attende, nec differ diutius tuum auxilium, tua cauſa hoc fac, mi domine Deus, urbs enim et populus de tuo nomine appellantur. — — 20. Cum adhuc hunc in modum precarer, meaque et popularium meorum Iſraëlitarum peccata confiterer, Deumque pro monte ipſi ſacro precibus meis interpellarem: 21. vir ille Gabriel, quem jam antea in viſione quadam videram, cum animi deliquium

e) hebr. *propter dominum*, ex hebraiſmo nomen ipſum pro pronomine.

um paſſus eſſem, *f*) venit ad me *g*) circa tempus ſacrificii veſpertini. 22. Atque his verbis me edocuit: Venio, Daniel, ut te *his de rebus* accurate inſtruam. 23. Statim enim cum precari inciperes, juſſus ſum, *eas*

f) *Michaëlis* improbat (in Tentamine ſuper LXX hebdomadibus Danielis pag. 32.) explicationem vulgarem verborum מֻעָף בִּיעָף *volando* Gabrielem veniſſe ad Danielem, qua utrumque vocabulum derivatur ab עוּף *volare*. Recte quidem, uti arbitror, ſed non tam propter rationem allatam, quod angeli ab Hebraeis non volantes deſcriberentur, locus enim Jeſaiae Cap. VI, 2. 6. contrarium docet, quam potius propter formam vocabuli בִּיעָף quae manifeſte prodit verbum יָעַף *feſſum eſſe*, ſ. *fatigari*. Quod confert Vir celeb. cum Arabico وغف *properavit*, atque utramque ſignificationem jungit, dum vertit: *quaſi properando fatigatus*, quod tropice dictum putat, ad celeritatem indicandam, qua angelus mandatum ſuum ſit executus. Attamen praeferenda mihi videtur ob majorem facilitatem explicatio S. R. *Doederlein*, quam dedit in Additamentis ad Obſervatt. Grotii. Ille quidem etiam verba derivanda cenſet non ab עוּף ſed a יָעַף connectit vero ea cum verbis proxime praecedentibus: *in viſione illa priori cum feſſus eſſem animique deliquium paſſus*, uti narratum eſt Cap. VIII, 18.

g) נֹגֵעַ אֵלַי Theodotion, Arabs, Vulgatus, *tetigit me*. Sed melius *οἱ ὁ*, *προσήγγισέ μοι*, et Syrus: וְקָרֵב לְוָתִי *acceſſit ad me*. Sic etiam נגע alias quoque dicitur, e. c. Jeſ. LI, 9.

eas tibi explicare, tu enim es *Dei* dilectus. Igitur diligenter attende ad ea quae dicam, et percipe oraculum *h*). 24. Complures porro ſeptuaginta *i*) *anni* definiti

h) In tanta rerum et ſententiarum copia et varietate circa hujus vaticinii interpretationem ea tantum breviter pro inſtituti ratione indicare licet, quae ad probandam ſententiam pertinent, quam in verſione textus ſum ſecutus. Non deſunt collectiones multiplicis diſſenſus variarumque explicationum hujus loci, ex quibus *Clauswizii* Tractatum ſuper LXX. hebdomadibus Danielis, qui inſertus eſt Tom. I. et II. Additt. ad Hiſtoriam Univerſalem, quae cura *Baumgartenii* prodiit, et *Harenbergii* Commentarium in hunc prophetam, nominaſſe ſufficiat, ex quibus abunde diſci poteſt, quam diverſis ſtudiis laborarint interpretes antiquorum et recentiorum temporum in illuſtrando vaticinio hoc adeo inſigni. — Verum enim vero illi omnes ſtudium ſuum poſuerunt tantum in inveſtigando ſenſu lectionis receptae. Nullus eorum ex alia lectione, quae ſit vel codicum, vel verſionum, vel ex conjectura critica difficultates hujus vaticinii explicare aut removere tentavit. Eſt hoc in meritis circa exegeſin ſacram Illuſtris *Michaëlis*, ut primus (nam *Hubigantii* conatus vix attentionem merentur) admoneret philologos et criticos ſuoque exemplo excitaret de conferendis codicibus et verſionibus antiquis, num forſan ex his lectiones diverſae a recepta textus hebraei indagari poſſent, quibus optata lux obſcuriſſimo vaticinio accendatur. Egit hoc in libello theotiſce ſcripto, cui titulum fecit: *Verſuch über die*

die ſiebenzig Wochen Daniels. Goettingen 1771. Atque poſt praeclarum illud exemplum, quod aliis praeivit, non defuerunt, qui hanc ipſam viam admodum impeditam ingreſſi, removere ulterius tentarent ſalebras, aut offendicula, quas Vir Illuſtris in ea adhuc reliquerat. In his fuit Vir Celeberrimus *Jo. Matth. Haſſencamp*, Prof. LL. OO. in Acad. Rintel. Is ſcripſit: *Verſuch einer neuen Erklärung der ſiebenzig Wochen Daniels. Lemgo* 1772. In hoc libello inſiſtit fere veſtigiis Illuſtris *Michaëlis*, atque criſi admiſſa circa lectionem receptam textus hebraei ſenſum adeo planum et facilem, hiſtoriae quoque adeo aptum hujus vaticinii oſtendit, ut haud ſciam annon plurimos in ſui aſſenſum trahat. — — Atque horum Virorum Doctiſſimorum veſtigia ego quoque preſſi in hujus vaticinii verſione. Attamen *Haſſencampii* hypotheſis ſ. conjectura critica mihi inprimis apta viſa fuit ad lucem clarius et ab omnibus quaſi partibus inferendam, quam *Michaëlis* accenderat quidem, quae vero nebulis quibusdam objectis huc et illuc impediebatur. Neutrum tamen in omnibus ſequi potui, quoniam judicium de ſenſus facilitate nonnunquam diverſum eſt, hinc verſus quarti et viceſimi aliam dedi explicationem, quae mihi facilior videbatur illa quam Viri illi Doctiſſimi probarant. Caeterum quoniam pro brevitate, cui in his notis ſtudendum eſt, non licet afferre rationes omnes, quibus *Michaëlis* et *Haſſencampius* ſuam interpretationem explicarunt, aut illuſtrarunt, paucis tantum ſummam eorum indicabo, inprimis cum non dubitem, quin libri laudati in plurimorum manibus verſentur.

i) Ratio numerandi per *hebdomades annorum* ex lectione tex-

tus

definiti ſunt *k*) populo tuo ſanctaeque urbi, poſtquam poena finita eſt et conſummata, poſtquam deli-

tus recepta, aliena eſt cum ab uſu loquendi Hebraeorum, tum ab uſu ipſius vocabuli, quod in genere maſculino pluralis numeri nunquam de hebdomade dicitur, ſed ſemper in foeminino; tum ab hiſtoria reip. Jud. ex qua in fine ſingularum periodorum nihil memoria dignum oſtendi poteſt, quod tamen fieri debet, niſi prophetam ſine omni ratione has temporum diſtinctiones feciſſe exiſtimemus. Quodſi vero haec ipſa vox aliis punctis ſubjectis legitur שִׁבְעִים *ſeptuaginta* et explicatur per ellipſin ſubſtantivi שָׁנָה *annus*, in fine cujusque periodi a propheta indicatae ratio apparet, cur haec diverſa temporum intervalla indicarit. Quae ellipſis eo minus dura poteſt videri, quoniam in locis Jeremiae Cap. XXV. et XXIX. quorum lectione Daniel excitatus fuerat ad preces faciendas, ſecundum verſ. 2. iſtorum ſeptuaginta annorum ter mentio fit, ad quos angelus in reſponſione ſua ſine dubio reſpexit. Igitur h. l. pro שָׁבֻעִים שִׁבְעִים *hebdomades ſeptuaginta* legendum eſt שִׁבְעִים שָׁבֻעִים Repetitio vero ſubſtantivi ex hebraiſmo ſatis noto multitudinem indicat. (Glaſſius p. 16.)

k) נֶחְתַּךְ vocabulum *ἅπαξ λεγ.* Theodotion vertit: *συνετμήθησαν*, ex quo Arabs verbo ejusdem ſignificationis vertit: *deciſi ſunt.* Vulgatus: *abbreviatae ſunt*, et LXX interpretes *ἐκρίθησαν.* Quorum teſtimoniis cum accedat uſus hujus verbi in lingua Chaldaica, non omni deſtituimur ratione, ſi illud vertatur per *decidere* ſ. *definire*, quanquam ex con-

deliĉta expiata ſunt et priſtina gratia ſ. benevolentia reddita, poſtquam prophetae viſio impleta et ſanĉtuarium dedicatum fuerit *l*). 25. Scito igitur et

conjeĉtura *Michaelis* non contemnenda legi quoque poſſit נְחִתְּךָ *deſcendunt ad te*, h. e. tibi revelantur. Neque ſenſus magnopere differt.

l) In horum verborum explicatione ego cum a *Michaele* tum ab *Haſſencampio* diſſentio. Ille quidem bonorum in his verbis promiſſorum implementum quaerit intra ſeptuaginta hebdomades, quae diu ante Chriſtum natum deſierunt. Sed non ſatis apte hoc fieri poſſe, oſtendit *Haſſencampius* in l. l. p. 14. ſeqq. Hic igitur ex ſententia plurimorum interpretum haec verba explicat de bonis per mortem Chriſti partis. Sed premunt hanc explicationem *primo* difficultates, quas *Michaelis* contra eam protulit, quod ſic angelus laetum ſuum nuntium incipiat cum promiſſione felicitatis poſt quingentos demum annos expeĉtandae, et de qua maturanda Daniel ne quidem fuerat precatus. Videtur quoque Vir Celeb. id ipſe intellexiſſe, nam in paraphraſi ſuae ſententiae pag. 41. et 92. urbis et reipublicae reſtaurationem, de qua ſequens verſus demum exponit, hujus verſus promiſſionibus praemittit. *Deinde* ultimum in his bonis, *unĉtio Meſſiae*, non ſuo loco ſtare videtur. Etenim illa faĉta non eſt, poſtquam peccata expiata, juſtitia reddita, vaticinia impleta erant, ſed in ipſis initiis muneris mediatorii Chriſti, fuitque non tam bonum ad homines redundans, quam potius ipſi Meſſiae collatum.

et intellige: ex quo edictum fuerit promulgatum de re-
ſtau-

tum. — Ego vero haec verba intelligo de fine captivitatis ſ. exilii babylonici, quem inſtare, ut et urbis et templi reſtaurationem, propheta promittit. Nempe ל explico per *poſtquam*, ut Exod. XIX, 1. Num. I, 1. Jer. XLI, 4. *Peccatum, delictum, iniquitas*, metonymice dicta puto pro *poena* peccati etc. uti ſaepe. *Juſtitia* vero pro benevolentia et gratia divina, ut Jeſ. XLV, 8. XLVIII, 18. quae fuit עֹלָמִים *temporum antiquorum* Jeſ. LI, 9. — *Prophetarum oracula* ſunt. Jeſaiae Cap. XLV, 13. et Jeremiae Capp. XXV, 11. 12. XXIX, 10. quae impleta fuerunt in reditu ex captivitate et in reſtauratione urbis et templi, quae in ultimo membro promittitur לִמְשֹׁחַ קֹדֶשׁ קָדָשִׁים Quamquam enim verbum משח de unctione ſ. dedicatione perſonarum et rerum dicitur, tamen quoniam *ſanctum ſanctorum* nunquam alias de perſona, ſemper vero de rebus ſacris dicitur, nulla apparet ratio, cur hoc uno loco de *unctione Meſſiae* explicetur. Sed de templi reſtauratione et dedicatione poteſt veriſſime intelligi, ſi vel oleum ſanctum in illa ſolemnitate non fuerit adhibitum. Cf. S. R. *Doederlein* in Additamentis ad Grotium. — Aliam lectionem h. l. exhibent LXX interpretes in Codice Chiſiano, qui habent *καὶ εὐφράναι ἅγιον ἁγίων*, literis nempe transpoſitis legerunt לִשַׂמֵּחַ ſed ſufficiat eam modo indicaſſe. Recepta lectio, quam et reliqui interpretes antiqui omnes exhibent, commodam admittit explicationem.

ſtauranda Hieroſolyma *m*) usque ad Meſſiam victorem *n*) ſeptua-

m) Quodnam edictum ex quatuor illis, quae pro Judaeis a regibus Perſiae Cyro, Dario Hyſtaſpis et Artaxerxe Longimano data ſunt, h. l. intelligatur, de eo interpretes maxime diſſentiunt. Plurimi tamen de ultimo ſermonem eſſe putant, quo Artaxerxes Longimanus anno viceſimo regni ſui Nchemiae libertatem conceſſit urbis reſtaurandae. Nehem. II, 1 — 8. Sed quanquam hujus hypotheſeos defenſores id conſequuntur quod volunt, ut computatio LXX hebdomadum, h. e. CCCCXC annorum, pertingat usque ad mortem Chriſti; tamen minores periodi ſeptem hebdomadum et ſexaginta duarum hebdomadum ab angelo monſtratae, nihil habent in hiſtoria judaica memoratu dignum, ita ut nulla appareat ratio, cur angelus eas inſignierit. Praeterea nulla ratio eſt, cur non potius princeps et primarium edictum Cyri intelligatur, quod non ſolum templi, ſed et urbis reſtaurationem praecepiſſe res ipſa docet, ſed etiam vaticinium Jeſaiae Cap. XLV, 13. ii, nempe Cyrus, *urbem meam aedificabit*, diſerte dicit, atque Jeremiae, qui Cap. XXV, 11. 12. libertatem populi Judaici conjungit eum interitu regni Babylonici.

n) נָגִיד non ſolum *ducem* ſignificat, ſed etiam *victorem* ex ſignificatione arabica verbi نجل *vicit, ſuperavit*. Atque haec ſignificatio h. l. eſt, quoniam terminus annorum deſinit in bello judaico, in quo respubl. judaica prorſus deſtructa eſt; et in quo Meſſias ut victorem hoſtium ſuorum ſe manifeſtavit.

ſeptuagies ſeptem *o*) ſeptuaginta *p*) et ſexaginta duo *q*) *anni* ſunt, quibus ita inſtaurabitur ut et judiciorum loca reſtituantur *r*), afflictiſſimis quoque tempori-

o) Lectio recepta habet שָׁבֻעִים שִׁבְעָה *hebdomades ſeptem*, ſed finis harum hebdomadum, ſive annorum undequinquaginta, nihil in hiſtoria judaica memoria dignum oſtendit, ſive ab edicto Cyri ſive a viceſimo anno Artaxerxis Longimani numeretur. Quodſi vero aliis punctis ſubjectis legatur שִׁבְעִים שִׁבְעָה *ſeptuagies ſeptem*, h. e. CCCCXC anni, finis eorum incidit in annum Judaeorum reipublicae luctuoſiſſimum et vere perniciofum, nempe in quo Pompejus Hieroſolymam expugnavit et Judaeam Romanorum imperio ſubjecit. — שִׁבְעִים שִׁבְעָה vero ſignificare *ſeptuagies ſeptem*, probat locus Geneſeos Cap. IV, 24. ubi idem numerus eſt, et Jer. XV, 9. Prov. XXIV, 16. Pſ. CXIX, 164.

p) Altera periodus, ſi pro שָׁבֻעִים *hebdomades* legitur שִׁבְעִים *ſeptuaginta*, in hiſtoria Judaica aeque ac praecedens maxime memorabilis. Nam ſeptuaginta annos poſt priorem mutationem reipublicae Judaicae, deterior adhuc ſecuta eſt. Hoc enim anno Judaea in formam provinciae Romanae eſt redacta, adeoque Romanorum jugo prorſus ſubjecta.

q) Tertiae periodi finis, qui incidit in initium belli Judaici ultimi plenariam urbi et reipublicae perniciem inferentis.

r) בָּנָה h. l. eſt *inſtauravit*, ut Jer. XXXI, 4. XLII, 10. — רְחֹב *forum*, locus judicii, Job. XXIX, 7. Jeſ. LIX, 14. —

חָרוּץ

poribus *r*). 26. Poſt ſexaginta et duos annos Meſſias exſcindet *t*) et judicium habebit *u*), urbem et ſanctuarium perdet populus ducis *x*) futurus, atque hic ejus

חָרוּץ *judicium* a חרץ *decidit* 1 Reg. XX, 40. Joël. III, 19. Senſus igitur horum verborum eſt: Judaeorum reſpublica poſt reditum eorum ex captivitate ita reſtaurabitur, ut magiſtratum habeant, qui eos regat et gubernet et jus ex legibus ſuis dicat.

r) Saepe et graviter afflicti ſunt Judaei ab Aegypti et Syriae regibus, ſemper tamen formam reipublicae ſuae obtinuerunt usque ad ultimam Hieroſolymae expugnationem per Romanos.

t) Pro יִכָּרֵת *exſcindetur* legendum eſt haud dubie active יַכְרִת *exſcindet* Meſſias. Praedicitur enim ultima Hieroſolymae deſtructio, quae etiam in finem ultimae periodi a propheta conſtitutae incidit, non vero mors Meſſiae. Atque illam ſibi ipſe quoque Chriſtus tribuit, ut ſuum opus Matth. XXIV, 27. Marc. XIII, 14. Luc. XXI, 20. quod nomine *adventus filii hominis* inſignit.

u) Recepta lectio וְאֵין לוֹ non admittit explicationem reliquo contextui aptam. In verſione Theodotionis duae lectiones coaluerunt, *καὶ κρίμα οὐκ ἔστιν ἐν αὐτῷ*, h. e. וְדִין אֵין לוֹ ex quibus altera וְדִין לוֹ contextui eſt aptiſſima, quod quisque intelligit.

x) Plerique interpretes ſub נגיד *Titum* intelligunt et ſub *populo* Romanos. Sed quoniam in praecedenti verſu Meſſias נגיד vocatur, veriſimillimum videtur, eum in hoc verſu eodem nomine indicari. — עַם הַבָּא vocantur Roma-

finis *ſubito ut* aquarum inundatio irruet, et bello finita quam maxima erit deſolatio *y*). 27. Foedus tamen multis confirmabit hebdomade quadam *z*). Media hac hebdo-

Romani, et omnino gentiles in locum, jura et privilegia Judaeorum, populi olim Deo cari, jam vero rejecti, ſuccedentes.

y) נֶחֱרֶצֶת eſt ſubſtantivum in ſtatu conſtructo ab abſoluto נֶחֱרָצָה *excidium* a חרץ *excidit*; praeter h. l. extat Eſ. X, 23. XXVIII, 22. Dan. XI, 36. In h. l. igitur *excidium deſolationum* ex ebraiſmo ſatis noto eſt *deſolatio quam maxima.*

z) Prorſus aſſentior Celeb. *Haſſencampio*, hunc verſum inprimis induxiſſe interpretes, antiquiores inprimis, ut de *hebdomadibus annorum* totam pericopam explicarent, cum in eo de hebdomade quadam et ejus dimidio legerent. Quam cum de vulgari hebdomade negarent poſſe intelligi, in laxiori ſenſu vocem ſumſerunt pro ſeptem annis, et ſic praecedentes שָׁבֻעִים eodem modo pronunciarunt. Sed nihil obſtat, quin potius exigit hiſtoria, ut ſub hebdomade h. l. vulgarem, ſeptem dierum, intelligamus. Chronologia enim non conſentit, ut ultimum hoc ſeptem annorum ſpatium de bello Judaico explicetur, quod in dimidio hujus ſeptennii jam finitum erat. *Hebdomas* igitur, de qua in hoc verſu propheta loquitur, nulla alia eſt, quam quae morte Chriſti eſt inſignita, atque complectitur ea omnia, quae ab eo hac hebdomade ſunt peracta. — Phraſis הִגְבִּיר בְּרִית לָרַבִּים hujus quidem loci tantum eſt, ſed recte, uti arbitror, illuſtratur ex alia ſaepe

hebdomade finem imponet ſacrificiis et oblationibus, locus vero ſacer *aa*) horrendum in modum vaſtabitur, quae vaſtatio et deſtructio iſtorum locorum erit aeterna *bb*).

ſaepe obvia הָקִים בְּרִית *foedus confirmare.* Quod Chriſtus inprimis paſſionibus ſuis, morte et reſurrectione praeſtitit, quibus conditionem foederis cum Abrahamo initi Geneſ. XXII, 18. implevit et aeternam redemtionem effecit. — Media hac hebdomade factum eſt etiam id, quod in ſequenti membro dicitur: *finem imponet victimis et oblationibus.* Poſtquam enim Chriſtus ſe ipſe Deo patri ut ſacrificium obtulerat, aliis ſacrificiis non amplius erat opus, nec vim habebant, quanquam per complures annos adhuc á Judaeis incredulis offerebantur.

aa) Sic verto כָּנָף ex auctoritate LXX interpretum, qui habent *καὶ ἐπὶ τὸ ἱερὸν βδέλυγμα ἐρημώσεων ἔσται*, et Evangeliſtarum, Matthaei XXIV, 14. et Marci XIII, 14, qui verba Chriſti ſic adducunt, ut plane appareat, eum de loco ſacro ſ. templo verba Danielis explicaſſe. Sed כָּנָף nunquam alias hanc habet ſignificationem. Igitur ſuſpicio eſt Illuſtris *Michaëlis* ſane non temeraria, receptam textus hebraei lectionem h. l. non ſanam eſſe. Quae ut ex codicibus reſtituatur, optandum quidem eſt, ſed non ſperandum.

bb) Verba textus difficillima ſunt, ſi vertitur עַד per *usque*, d plana ſunt et facilia, ſi explicatur per *aeternitas.* *Aeternitas vaſtationis et excidii.* נֶחֱרָצָה non eſt a נרץ ſed a חרץ

CAPUT X

1. Anno tertio Cyri regis Perſarum, Danieli, qui et Beltſchazar vocatur, quaedam de bellis graviſſimis certo eventuris *a*) revelata ſunt, quae accurate intellexit et percepit. 2. Nimirum illo tempore cum ego Daniel per tres hebdomades luxiſſem, 3. (quibus ab omni cibo delicatiori abſtinueram, neque carnem, neque vinum guſtaram, neque unguentis fueram uſus), 4. et quarto decimo die primi menſis eſſem ad ripam magni fluminis, nempe Tigris: 5. videbam virum quendam lino veſtitum et circa latera cinctum *zona* aurea *b*) Ophiri; 6. cujus corpus ſimile erat chryſolitho, facies

a תוּךְ quod Syriace eſt *manere*, *durare*. Sic etiam videntur Syrus interpres et Vulgatus accepiſſe, ille *quieſcet* vertit, hic *perſeverabit*. Theodotion habet: καὶ ἕως τῆς συντελείας καιροῦ συντέλεια δοθήσεται ἐπὶ τὴν ἐρήμωσιν, a quo LXX parum differunt: ἕως συντελείας, (jungunt haec praecedentibus, igitur Vau non legerunt ante עַד) καὶ συντέλεια δοθήσεται ἐπὶ τὴν ἐρήμωσιν, videntur legiſſe הֻנָּתַן. — עַל שֹׁמֵם *ſuper vaſtato*, refero ad עִיר וְקֹדֶשׁ in verſu 26.

a) In textu eſt Hendiadys: *verbum verum et exercitus magnus*, et ellipſis verbi, *revelatum mihi eſt*.

b) אוּפָז nomen regionis, quod praeter hunc locum ſemel tantum Jer. X, 9. occurrit. Quae vero illa ſit, plane incer-

facies *coruſcabat* inſtar fulguris, oculi ut faces ardentes, brachia et pedes ſimiles erant aeri polito, et vox ut ſonitus magnae multitudinis. 7. Hanc imaginem ego Daniel ſolus videbam. Qui mecum erant, eam non videbant, ſed magno terrore perculſi aufugerunt ut ſeſe abſconderent. 8. Igitur ego ſolus relictus cum eximiam hanc imaginem viderem, viribus ſum deſtitutus, et vigore faciei meae in pallorem converſo nihil roboris retinui. 9. Tum vero audivi ſonitum vocis illius viri, ad quem ego perterritus pronus in terram cecidi, animique deliquium ſum paſſus. 10. Sed manus me tetigit *c*) elevavitque in genua et manuum palmas *d*). 11. Meque his verbis eſt allocutus: Daniel *Deo* care, attende ad ea quae tibi dicam, ſurge, miſſus ſum ad te. Quae cum mihi diceret, tremens ſurrexi. 12. Tum ille ſic pergebat: Noli timere, Daniel, nam ſtatim a primo die quo ad ea *e*) cognoſcenda temet coram Deo tuo *f*) afflixiſti, preces tuae auditae

 ſunt,

incertum. Verti per *Ophir* ex ſententia plurimorum interpretum.

c) ſc. angeli Gabrielis, de quo mox.

d) Ita nimirum ut genibus manibusque niteretur. Nam ſequenti verſu narratur eum erectum ſtetiſſe.

e) Cf. v. 14. ex quo apparet, quid Daniel cognoſcere voluerit.

f) Cf. verſ. 2. et 3.

ſunt, atque ego propter eas veniſſem, 13. niſi princeps regni Perſarum mihi per unum et viginti dies reſtitiſſet, Sed Michaël, unus ex primis ducibus, me adjuvit: hinc apud regem Perſiae retentus ſum. 14. Jam vero adſum, ut tibi exponam, quae populo tuo in poſterum ſunt eventura, ſed non niſi poſt multos annos *g*). 15. Cum ſic mecum loqueretur, et ego ſubmiſſa ad terram facie tacerem: 16. aliquis homini ſimilis labia mea tetigit: tum incepi ei qui mihi adſtabat dicere: equidem propter illam *h*) imaginem adeo perterritus ſum, ut nihil virium retinerem, 17. quomodo vero tecum, mi domine, loqui potui, cum ne nunc quidem ſat virium habeam et fere ſim exanimatus? 18. Tum iterum ille, qui homini ſimilis erat, me tetigit et confortavit, 19. Ne timeas, inquiens, vir care, ſalvus es, recipe te et bono animo eſto. Cum ſic mecum loqueretur, animum ſumſi et dixi: loquere domine, quandoquidem tu me confirmaſti. 20. Noſtine, inquiebat, cur ad te venerim? mox reverſurus ad pugnandum cum duce Perſiae *i*). Immo jam

g) ut ſupra VIII, 26.

h) Intelligit virum illum lino indutum v. 5. quem ſupra jam מַרְאֶה vocarat.

i) Innuuntur impedimenta objecta Judaeis in urbis et templi reſtauratione, inde a primo Cyri edicto usque ad tempora Artaxerxis Longimani.

jam exeo. Et en! dux Graeciae mox veniet *k*). 21. Verum antea tibi indicabo, quae in ſcripto veritatis exarata ſunt *l*). Nemo vero eſt, qui mecum contra eos pugnet, niſi Michaël princeps veſter,

CAPUT XI,

1. cui ego jam anno primo Darii adſui, ut auxilio meo eum juvarem. 2. Jam tibi indicabo certo eventura *a*): Scito igitur tres Perſarum reges adhuc extituros eſſe *aa*) et quartum prae omnibus aliis divi-

k) nempe contra regem Perſiae.

l) h. e. quae Deus decrevit certiſſime eventura.

a) Continuam fere hiſtoriam continet hoc caput regum inprimis Aegypti et Syriae et bellorum inter eos geſtorum, quibus res Judaeorum per ſitum terrae ſuae plerumque erant implicatae, usque ad mortem Antiochi Epiphanis. Brevitas notularum, quas huic verſioni ſubjicio, non permittit, ut ex hiſtoria prolixe enarrem, quam accurate ſint impleta. Factum hoc eſt ab interpretibus, qui haec vaticinia commentariis illuſtrarunt. In quibus recentiſſimus eſt *Harembergius*, qui multa congeſſit ex hiſtoria, more quidem ſuo, hoc eſt, ordine et dicendi genere parum concinno, in quibus tamen paſſim inveniuntur bene et utiliter obſervata. Cui addere poſſunt tirones *Prideauſii* Connexionem Vet. et Nov. Teſt. cum hiſtoria profana P. I. Equidem nomina tantum perſonarum, quas propheta innuit, adſcribo, res ipſae apud ſcriptores citatos ſunt legendae.

aa) Poſt Cyrum, Cambyſes, Pſeudo-Smerdis, et Darius Hyſtaſpis.

divitem futurum *b*), qui propter opes ſuas inſolentior factus univerſum Graeciae regnum laceſſet. 3. Deinde exiſtet rex fortis, qui ampliſſimum imperium obtinebit, cui ex voto omnia ſuccedent *c*). 4. Sed cum ad ſummum pervenerit, regnum ejus corruet et in *quatuor* dividetur, ſecundum quatuor coeli plagas, non tamen inter poſteros ejus, neque pari, qua ipſe uſus fuit, poteſtate. Deſtruetur regnum ejus, et alii quoque praeter illos *d*) eo potientur. 5. Invaleſcet autem rex auſtralis *e*). Verum alius *f*) ex ducibus ejus contra illum invaleſcet, magnoque potietur imperio. 6. Finitis aliquot annis ſocietatem inibunt. Filia regis auſtralis veniet ad regem ſeptentrionalem *g*) ad pacem et

b) Xerxes.

c) Alexander M.

d) מִלְּבַד אֵלֶּה. Tò אֵלֶּה referendum eſt ad רוּחוֹת. Praeter quatuor illa regna potiora alia quoque exiſtent.

e) Rex Aegypti, Ptolemaeus Lagi filius.

f) וּמִן שָׂרָיו *ex ducibus ejus*, ſc. Alexandri M. Haec verba male per accentus a ſequenti יחזק divelluntur, neque Vau praefixum legerunt *οἱ ό* et Theodotion. Ille vero eſt Seleucus Nicator, Rex Syriae, qui mox rex ſeptentrionalis vocatur.

g) Ptolemaeus Philadelphus Berenicen filiam ſuam in matrimonium dedit regi Syriae, Antiocho cognomine Deo, ad bellum diuturnum componendum. Sed non diu duravit

et amicitiam conciliandam. Sed non diu obtinebit ſuam auctoritatem, nec *h*) proles ejus ſuperſtes erit. Tradetur enim ad necem et ipſa et qui eam deduxerant et filius ejus *i*) et qui tum a partibus ejus fuerat. 7. Succedet ei qui ex ejus ſtirpe ortus *k*) expeditionem faciet et loca munita regis ſeptentrionalis aggredietur eisque potietur. 8. Ille etiam Deos eorum, fuſa ſimulacra, ſupellectilem pretioſam, auream et argenteam in Aegyptum inferet et per annos aliquot regi ſeptentrionis erit ſuperior. 9. Hic quidem *l*) invadet regnum regis auſtralis, ſed cogetur reverti in terram

ravit illa amicitia. Berenice enim a Laodice, priore Antiochi uxore, una cum filio ſuo et reliquis amicis occiſa, maritus vero ejus Antiochus ab eadem Laodice veneno eſt interfectus.

h) Pro וּזְרֹעוֹ Theodotion, Arabs et Vulgatus legerunt זַרְעוֹ. Melius ſine dubio et hiſtoriae aptius.

i) Pro וְהַיֹּלְדָהּ legendum eſt הַיַּלְדָּהּ ex eadem ratione. Vulgatus: *adoleſcens ejus.*

k) Ptolemaeus Evergetes, Philadelphi filius, frater occiſae Berenices, qui bello aggreſſus Seleucum Callinicum Syriae regem Laodices filium ad necem ſororis ſuae ulciſcendam.

l) Seleucus Callinicus Aegyptum quidem invaſit, ſed ſucceſſu infelici.

ram ſuam. 10. Filii vero *m*) ejus ingentibus copiis collectis bellum inferent, atque *n*) *alter earum* magno cum impetu pervadet omnia et penetrabit usque ad arcem ejus. 11. Sic exacerbatus rex auſtralis egredietur et pugnabit cum rege ſeptentrionali, magno exercitu contra eum ducto, eumque vincet. 12. De qua victoria animo ſuperbiet, ſed quanquam multa millia proſtraverit, tamen non praevalebit *o*). 13. Etenim rex ſeptentrionalis denuo coget exercitum priori longe majorem, atque interjectis aliquot *p*) annis cum eo et magno apparatu Aegyptum invadet. 14. Atque illis temporibus multi reſiſtent regi auſtrali, et flagitioſi quidam ex populo tuo ſeſe efferent, ſed cum interitu ſuo, in vaticiniorum confirmationem. *q*) 15. Veniet igitur rex ſeptentrionalis, atque ſtructo aggere capiet urbes munitas. Exercitus regis auſtralis non poterit reſi-

m) Seleucus Ceraunus et Antiochus Magnus.

n) Antiochus M. qui ſucceſſu perquam felici bellum intulit Ptolemaeo Philopatori.

o) Ptolemaeus e praelio cum Antiocho commiſſo ſuperior quidem diſceſſit, ſed victoriam ſuam non proſecutus eſt. Pacem fecit, qua Syriam obtinuit.

p) Uſſerius tredecim numerat.

q) Exercitus Ptolemaei contra eum rebellavit; etiam Judaei, quorum ſeptuaginta millia occiſos eſſe narrat *Euſebius* in Chronico ad Olympiad. CXLI. Sic *Harenbergius* locum difficilem explicat; Alii aliter.

reſiſtere, neque lectiſſimae ejus copiae quidquam efficere. 16. Aget igitur is qui eum aggreſſus eſt pro lubitu cum eo, nullo reſiſtente: Obtinebit terram pulcherrimam r) et ſic conatus ſuos perficiet. 17. Deinde collectis omnibus regni ſui viribus expeditionem parabit, in qua a recte ſentientibus s) adjuvabitur. Dabit ei t) mulierem in matrimonium, eo quidem conſilio ut ipſi perniciosa ſit, quod tamen ei non ſuccedet. 18. Deinde convertet ſe ad inſulas, e quibus multas capiet. Sed finem faciet ejus injuriis dux quidam, u) qui pari eum afficiet contumelia. 19. Igitur revertetur ad terrae ſuae munitiones, ſed impinget, cadet, et non amplius exiſtet: 20. Succedet ei in regno x) qui tributis atque oneribus ſubditos ſuos vexabit, ſed intra breve tempus auferetur non in ira, neque in praelio. 21. Huic ſuccedet in regno ignobilis, y) cui regia dignitas minime deſtinata erit: Is veniet

r) h. e. Judaeam. Cf. Cap. VIII, 9. not. f).

s) יְשָׁרִים h. e. Judaei recte de Deo ſentientes.

t) Deſpondit Antiochus filiam ſuam Cleopatram Ptolemaeo Epiphani.

u) Primo duces Romani Marcus Acilius, C. Livius Salinator, L. Aemilius, qui claſſes ejus vicerunt, tandem L. Scipio, qui eum prorſus debellavit.

x) Seleucus Philopator veneno interfectus.

y) Antiochus Epiphanes.

niet ſecuris omnibus, regnoque doloſe potietur. 22. Exercitus magni ab eo fundentur et confringentur, etiam dux foederis *z*). 23. Poſtquam ſeſe ei aſſociaverit, doloſe aget atque eum aggreſſus cum exiguis copiis ſuperabit. 24. Invadet ſecuram et fertiliſſimam regionem Aegypti. Efficiet ea, quae majores et progenitores ejus efficere non potuerunt, praedam, ſpolia et opes eis *aa*) diſtribuet, et contra urbes munitas callida conſilia machinabitur. Sed ad tempus modo *bb*). 25. Deinde vires animumque ſuum in regem auſtralem concitabit *cc*) magno exercitu; qui quidem numeroſiſſimo et validiſſimo exercitu bellum cum eo inibit, ſed eventu minus felici, nam callida contra eum conſilia cudentur. 26. Ipſi enim convictores ejus eum perdent. Exercitus *dd*) ejus omnia inundabit multique cadent interfecti *ee*). 27. Atque ambo illi reges ad unam menſam doloſe colloquentur, ſed non ſuccedet. Finis enim *belli* adhuc tempori ſuo *ſervabitur*. 28. Tum reverſus in terram ſuam multis cum opibus

z) Ptolemaeus Philometor.

aa) militibus ſuis.

bb) Scilicet, Romani terminos poſuerunt victoriis ejus. Cf. v. 29.

cc) Altera expeditio Antiochi Epiphanis contra Aegyptum.

dd) ſc. Antiochi.

ee) de exercitu Philometoris.

opibus animum ſuum intendet adverſus foedus ſanctum, *ff*) quae quum perfecerit, revertetur in terram ſuam. 29. Suo tempore iterum repetet *terram* meridionalem *gg*). Sed non reſpondebit priori poſterior eventus. 30. Venient enim adverſus eum naves *hh*) Citthaeae, quare gravi moerore afficietur. Igitur revertetur atque iram ſuam in foedus ſacrum convertet *ii*), atque iterum utetur ſacri foederis deſertoribus. 31. Milites ejus tenebunt *urbem* et profanabunt ſanctuarium munitum, tollent juge ſacrificium, et abominandum in modum locum ſacrum vaſtabunt. 32. Profanos legis deſertores blanditiis ſibi devinciet, ſed Dei reverentes conſtantes erunt in defendenda religione ſua. 33. Atque eorum peritiores erudient multos, ideoque diu gladio, igne, captivitate et direptione affligentur. 34. In ipſis tamen perſecutionibus iſtis ſublevabuntur parvo auxilio *kk*), cui ſeſe multi rebus quantumvis periculoſiſſimis jungent *ll*). 35. Sed ſuccumbent non-

ff) Conſilia indicantur, quibus gentiliſmum inter Judaeos introducere conatus eſt. 1 Maccab. I, 20—25.

gg) Tertia Antiochi expeditio in Aegyptum.

hh) Romanorum.

ii) 1 Maccab. I, 29. ſeqq.

kk) Mattathias cum filiis, qui reſiſtere his perſecutionibus audebant

ll) hebr. בַּחֲלַקְלַקּוֹת. Plerique interpretes hoc vocabulum

nonnulli ex peritioribus, ut alii explorentur, corrigantur, emendentur, usque ad finem iſtorum temporum, quem tandem etiam habitura ſunt. 36. Quando vero regi iſti omnia ex voto ſuccedent, efferet ſeſe et ſuperbiet cum contra alios Deos, tum contra ſummum Deum blaſphemias dicet: attamen felici ſucceſſu utetur usque dum poena erit conſummata, quae utique perficietur. 37. Neque enim Deos patrios, nec mulierum deſideria, neque ullos alios Deos curabit, ſuper omnia ſeſe efferet. 38. Deum tantum munitionum et ſtatuam ejus honorabit *mm)*; Deum quem majores ejus igno-

lum explicant de blanditiis; quibus apoſtatae iſti populares ſuos fallere ſtuduerint; 1 Maccab. V, 56. ſeqq. Sed quoniam praeter h. l. bis occurrit Jer. XXIII, 12. Pſ. XXXV, 6. de ſtatu admodum periculoſo, in quo aliquis verſatur, (proprie ſignificat *lubricitates*) exiſtimem etiam h. l. poſſe ſic explicari; nempe de iis, qui primi auſi ſunt ſeſe Mattathiae ejusque filiis jungere et repellere impetus ſuorum hoſtium. 1 Maccab. II, 42. ſeqq.

mm) Variae quidem ſunt de Deo illo מָעֻזִּים ſententiae, ſed recentiores quidam interpretes, et in his inprimis *Harenbergius* in Comment. p. 610. ſeqq. ſatis probarunt eſſe eum *Jovem Olympium*, cujus cultum Antiochus pluribus in locis inſtituit, et multis ſumtibus factis ornavit. Quoniam loca, in quibus ludi in honorem hujus Jovis habebantur, quam maxime ſacra erant, ut aſylum praeberent omnibus qui eo confugiebant, non male, uti arbitror,

ignorarunt, ornabit auro, argento, gemmis aliiſque rebus pretioſis. 39. Multum occupabitur in locis ſacris *Dei iſtius* munitionum. Qui Deum illum peregrinum recipiunt, hos magno honore afficiet, praeficiet eos multis et fundos aliorum *inter eos* dividet pretio ſoluto *nn*). 40. Sub finem tandem iſtorum temporum con-

bitror, conjecit *Harenbergius*, nominari hunc Deum ab angelo Deum מָעֻזִּים *munitionum* eodem tropo, quo hoc vocabulum de Deo vero uſurpatur ad protectionem indicandam, quam iis praebet qui ei confidunt. — Neque displicet conjectura, quam de verbis difficilibus verſus praecedentis attulit, in quibus dicitur, Antiochum non curaſſe חֶמְדַּת נָשִׁים *deſiderium mulierum.* Nimirum mulieres a ſpectandis illis ludis ſevere arcebantur, atque athletis tempore iſtorum ludorum abſtinendum erat a conſuetudine cum mulieribus. Satis igitur probabile eſt, huic ſexui ludos illos minus placuiſſe.

nn) In hoc verſu ulterius deſcribitur, quanto ſtudio Antiochus cultum Jovis Olympii ubique introducturus ſit, aliiſque ut eum reciperent perſuaſurus. Ad עָשָׂה vel ſuppleri poteſt מלאכה *opus*, *occupatio*, vel per ſe etiam ſtudium et diligentiam indicat, qua aliquid curatur. — Ad מָעֻזִּים repetendum eſt אֱלוֹהַּ.— מִבְצָרִים ſunt loca in quibus ludi iſti peragebantur, inprimis ſacra, a quorum acceſſu non initiati arcebantur. — Ultima hujus verſus verba, *et terram dividet pretio*, explicat *Harenbergius* de terra Judaica, quam ejectis Judaeis Antiochus gentilibus ſoluta pecunia vendebat.

congredietur cum eo rex auſtralis. Rex vero ſeptentrionalis, cum curribus, equitibus, navibusque multis, ad inſtar procellae contra eum irruet, terrasque ejus inundando pervadet. 41. Aggredietur etiam terram pulchram *oo*) et ſuccumbent multi. Tantum Edomitae, Moabitae et potior pars Ammonitarum e manu ejus evadent. 42. Perget deinde ad alias regiones, et Aegyptus non erit immunis. 43. Potietur theſauris auri et argenti rebusque Aegypti pretioſiſſimis, ad Lybios usque et Aethiopes tranſibit. 44. Sed nuntiis ab oriente et ſeptentrione perturbatus revertetur ſumma cum indignatione, ut multos perdat et exſcindat. 45. Quando vero tentorium ſuum figet inter maria ad montem ſancti decoris. Tum ad finem ſuum pervenit, nullo eum adjuvante *pp*).

CAPUT XII

1. Illo vero tempore Michael ſummus princeps defenſionem ſuſcipiet *a*) popularium tuorum; graviſſima enim erit eorum afflictio, qualem antea nunquam experti ſunt; tum evadent, quicunque libro erunt inſcripti. 2. Multi ex iis qui ſub terra obdormierant, expergeſcent, alii quidem ad vitam aeternam, alii ad opprobria

oo) h. e. Judaeam, ut verſ. 16. et VIII, 9.

pp) Cf. VIII, 25.

a) Ex hiſtoria ſatis conſtat, quinam ille ſit. Judas Maccabaeus, qui primus auſus eſt populum ſuum defendere.

bria et ignominiam aeternam *b*). 3. Et qui alios inſtituerunt, multosque ad pietatem excitarunt, fulgebunt ut fulgor coeleſtis, ut ſtellae in aeternum. 4. Tibi quidem Daniel haec abſtruſa et obſcura videbuntur *c*), ſed extremis temporibus multi ſine haeſitatione eorum ſenſum invenient *d*). 5. Tum vidi duos alios, alterum ab hac, alterum ab illa fluminis ripa ſtantes. 6. Quorum ille dixit viro linea veſte induto, qui ſtabat ſupra fluvio: quando tandem finis erit rerum iſtarum mirabilium? 7. Ad haec ille, ſublata utraque manu ad coelum, juravit per Deum immortalem: Implenda eſſe haec omnia poſt tempus, tempora et dimidium *e*), et completa populi ſancti diſperſione. 8. Quae cum minus intelligerem, dixi horum

b) Contextus plane docet, h. l. non agere de reſurrectione mortuorum. Simili tropo uſus eſt Eſaias Cap. XXVI, 19. ſeqq. in ſimili argumento. Intelliguntur illi, qui propter perſecutiones ſeſe abdiderant in ſpeluncis et locis ſubterraneis. Hi prodibant virtute Judae excitati 1 Maccab. II, 42. 43. Fuerunt tamen in his, qui non conſtantes eſſent in patria religione defendenda, ſed ab ea iterum deficerent.

c) Cf. Cap. VIII, 26.

d) Hebr. *current multi et creſcet intellectus.* Cf. quoad phraſin Habac. II, 2.

e) Idem quod ſupra dixerat Cap. VII, 25. per tres annos et dimidium ſublatum iri juge ſacrificium, quod tempus verſu 11. accuratius adhuc determinatur.

alteri: Qualis erit, mi domine, iſtorum omnium finis? 9. Tum ille reſpondit: Abi Daniel, nam occluſa et obſignata haec erunt, usque ad iſtorum temporum finem. 10. Purgabuntur *f*), corrigentur, explorabuntur multi. Mali impie agent, nec tamen intelligent, at periti intelligent. 11. A tempore vero ſublati ſacrificii et abominandae deſtructionis, erunt dies mille ducenti et nonaginta. 12. Felix erit, qui expectaverit et pertigerit usque ad dies mille trecentos triginta quinque *g*). 13. Tu vero abi ad negotia tibi injuncta, pace frueris in ſtatione tua usque ad extremam ſenectutem *h*).

f) Cf. Cap. XI, 35.

g) h. e. usque ad mortem Antiochi Epiphanis. A quo tempore res Judaeorum reſtituebantur.

h) Idem de ſe ſupra dixerat Daniel Cap. VIII, 27. Verba quidem hebraea ſecundum literam ita habent: *et tu abi ad finem et quieſces et ſtabis ſecundum ſortem tuam in* ſ. *usque ad finem dierum.* Sed ſenſus quem in verſione poſui, rebus et vitae generi Danielis convenientiſſimus videtur. Poſſunt tamen verba, *quieſces* de morte, *ſtabis* de reſurrectione, et *finis dierum* de extremo judicio, explicari. Qui ſenſus plerisque interpretibus probatur.

NOTAE

NOTAE CRITICAE

IN

VERSIONEM LATINAM

PROPHETARUM MAJORUM

Digitized by Google

Digitized by Google

NOTAE CRITICAE
IN
JESAIAM

Ad Cap. V, 30.] בַּעֲרִיפֶיהָ vocabulum *ἅπαξ λεγ.* *οἱ ό, ἐν τῇ ἀποϱίᾳ αὐτῶν*, et ſic fere etiam Arabs: *in ſtupore eorum*, fortaſſe quod ex עטף *deliquium animi paſſus eſt*, deduxerunt. Sed Syrus habet: בַּעֲמַטְנְהוֹן *propter tenebras eorum.* Vulg. *in caligine ejus.* Chaldaeus quid legerit, nemo dixerit, nam longe diverſum ſenſum ultimis verbis ſubſtituit. *Pii vero tunc protegentur a malo.* Illi vero ſine dubio עֲרָפֶל legerunt, quod ipſum tamen non magnopere placet. Modo certius nobis de vera *τῶν* עריפים ſignificatione conſtaret. S. R. *Doederlein penetralia ſ. intimos receſſus ſolis* intelligit ex ſignificatione عرف *intime penetrare*, *diſtincte cognoſcere.* Sed vereor ut hoc verbum, quod de cognitione intellectus plerumque dicitur, apte ſatis poſſit conferri. *Munſterus* in notis ſuis dicit עֲרִיפִים eſſe *coelum*, quod roret pluviam, ab ערף. Sed tunc affixum eſſet negligendum, quod omnes interpretes antiquiores legerunt. Idque, quoniam eſt foem. generis, ad אור maſculinum referri non poteſt. Expreſſi in verſione ſententiam *Munſteri* non ineptam, nec tamen audeo aliquid definire.

ad Cap. VI, 1.] Bene h. l. obſervat S. R. *Doederlein*, in multis Codd. hebr. MSS. pro אדני legi יהוה nempo in Cod. Norimberg. Helmſt. et utroque Regiomontano, eamque mutationem multis locis eſſe illatam.

ad Cap. VII, 8.] In computatione horum annorum ſexaginta quinque, quos propheta terminum regni Iſraëlitici figit, non leves occurrunt difficultates. Nam ſi anni ab eo ipſo tempore, quo propheta haec locutus eſt, numerantur, (quod fieri debet, uti videtur, ex more loquendi) longe minor exiſtit numerus. Hinc factum eſt, ut interpretes magni nominis ſtatuerent errorem a ſcribis admiſſum, emendandum ad chronologiae rationes. Sed quomodo illa emendatio inſtituenda ſit, diſſentiunt, dum alii majorem, alii minorem numerum ſubſtituunt. *Ludov.* quidem *Cappellus* in Crit. S. Lib. VI. Cap. VII. ſeq. et in Opp. Poſthumis in notis Crit. ad Eſ. p. 497. numerat *undecim* annos: Statuit nimirum pro שִׁשִּׁים legendum eſſe שֵׁשׁ, pluralis terminationem ים librariorum vitio additam eſſe, uti aliquoties factum ſit: Atque ita legendum eſſe: ſpatio *ſex* et *quinque* annorum exſcindetur Ephraim. Quem numerum probat ex collatione locorum 2 Reg. XV, 27. XVI, 1. XVIII, 10. atque hujus ſententiae quoque fuit *Grotius*. *Vitringa* vero numerat *unum et viginti* annos; originem erroris a ſcribis admiſſi repetit ex abbreviata ſcriptione perperam intellecta בעוד שש י׳ וחמש שנה *et adhuc ſedecim et quinque anni.*

anni. Quod Jod cum librarii junxiſſent τῷ שש, ortum eſſe ex ששי numerum pluralem ששים quem ſolent Rabbini litera Mem omiſſa ſcribere. Numerum vero illum XXI annorum probat ſic: Achas regnavit XVI annos 2 Reg. XVI, 2. quorum initio propheta hoc vaticinium edidit. Hiskiae vero, ejus filii, anno ſexto capta eſt Samaria, et reſpublica Iſraëlitarum per Salmanaſſarem deſtructa, 2 Reg. XVIII, 10. Objectionem, quae contra modum loquendi minus uſitatum afferri poteſt, *ſedecim et quinque*, ingenioſe removit *Vitringa*, nempe deſignari a propheta diſtinctos regiminis annos Achaſi et Hiskiae. Ille nimirum regnavit XVI annos, cujus primus adhuc erat in curſu cum propheta hoc ederet vaticinium, et Hiskias *quinque* antequam haec evenirent. — — Diverſam ab hac utraque conjecturam attulit Criticus ille Gallus *Hubigantius*, qui praeterea magnam verſibus 8. et 9. confuſionem illatam ſtatuit, quam ſic emendandam cenſet: 8. *Caput enim Syriae Damaſcus: caput Damaſci Razin, (ſed poſt annos tres ex albo populorum delebuntur).* 9. *Caput Ephraim Samaria, caput Samariae filius Romeliae; ſed poſt annos quindecim Ephraim ex albo populorum delebitur.* Longum foret rationes afferre, quibus probare voluit, prophetam ita clare, diſtincte et perſpicue verba ſua ſtruere debuiſſe, uti *Hubigantius* fortaſſe ea dixiſſet, quae propheta. Igitur his non immorabor, ſed potius de altera interpretum claſſe pauca dicam,

 qui

qui receptam textus lectionem defendunt. Judaei quidem, quos multi ex interpretibus Chriſtianis ſequuntur, initium numerandorum annorum LXV faciunt ab anno Uſiae XXV, quo *Amoſus* ſuam edidit prophetiam contra Damaſcum et Syros, Cap. I. III. IV. V. et contra Samariam regnumque Iſraëliticum Cap. I, 2. et V, 27. Qui XXV anni ſi ſubtrahuntur ab annis LII, quos Uſia regnavit, ſuperſunt anni XXVII; his ſi addas XVI Jothami, totidem Achaſi, ſex Hiskiae, numerum habes LXV annorum. Cui hypotheſi, ut alia omittam, *Vitringa* recte objicit, primo, nullum eſſe indicium, Jeſaiam hanc Amoſi prophetiam reſpexiſſe, et initium illorum LXV annorum ab ea duxiſſe; deinde, particulam בְּעוֹד non admittere hanc interpretationem, quae de tempore *futuro* tantum poteſt explicari, initio facto a tempore loquentis. *Jacobus Cappellus* ad A. M. 3321. et *Uſſerius* in Annalibus ad A. M. 3327. terminum horum annorum non in expugnatione Samariae et deſtructa republica Iſraëlitica figendum ſtatuunt, ſed in abductione novorum colonorum in ditionem Samaritanam et Ephraimitarum, quae facta eſt ab Aſſarhaddone Sancheribi ſilio, cujus meminit Eſra Cap. IV, 2 ſqq. idque praecipue indicari phraſi prophetae יֵחַת אֶפְרַיִם מֵעָם *deſinet eſſe populus.* Admiſſa et defenſa eſt haec hypotheſis a S. R. *Doederlein*, ſed ut dicam, quod ſentio, gravia mihi videntur dubia, quae *Vitringa* contra eam attulit. Nimirum verba illa יחת מעם non poſſunt in

in ea emphaſi accipi, quam ei Viri illi doctiſſimi tribuerunt: *Deſiit regnum Iſraël:* cum deſtructa eſſet respublica et magna incolarum pars in Aſſyriam transportati. Sine ratione praeſupponitur, reliquias in terra ſuperſtites retinuiſſe formam aliquam reipublicae, easque confuſas tandem eſſe et permixtas cum novis colonis. Contrarium potius apparet ex 2 Chron. XXXIV, 6. 7. 33. et XXXV, 18. reliquias iſtas nempe adhuc Joſiae tempore ſuperſtites fuiſſe, diſtinctas ab illis gentibus. — — Hae ſunt potiores hypotheſes pro ſtabilienda lectione textus recepta. Quae cum minus probabiles ſint, nonne errorem a librariis h. l. in numeris admiſſum agnoſcamus? Mirum profecto videatur antiquiores interpretes omnes in lectione textus hebraei recepta conſentire, ſed haud ſcio an ille conſenſus ſatis tuto hiſtoriae repugnanti opponi poſſit. Attamen fateor nullam ex allatis conjecturis mihi omni ex parte ſatisfacere. *Cappelli* conjecturae, qua שֵׁשׁ וְחָמֵשׁ legendum ſit, adverſatur linguae indoles, quae numerum infra decem cum alio ejusdem valoris jungi non patitur ad unam ſummam ex duobus ſimul junctis efficiendam: dicendum eſſet עַשְׁתֵּי עָשָׂר *undecim*. *Vitringae* conjectura praeplacet quidem, ſed habet et haec, quae eam urgent. Primo, hypotheſis, antiquiſſimis temporibus uſurpatum jam fuiſſe morem recentiorem numeros indicandi per literas, nondum ſatis eſt probata. Secundo ſumitur a *Vitringa* atque etiam a *Cappello*,

lo, incidere hoc bellum in annum primum vel ſecundum Achaſi, quod tamen, propter bellum 2 Chron. XXVIII. commemoratum admodum triſte regno Judaico, quodque ex ſententia ipſius *Vitringae* hoc, de quo Eſaias loquitur, prius eſſe debet, non probabile eſt, cum dubitari vix poſſit, quin unus alterque annus inter utrumque bellum intercesſerit. Placentne igitur anni quindecim *Hubigantii?* Nihil definio.

ad Cap. X, 18.] Verba textus וְהָיָה כִּמְסֹס נֹסֵס ſunt valde difficilia, nec fere dubitem, quin ſubſit varia lectio, quam tamen ex verſionibus antiquis nemo facile divinarit. Oi ό et Arabs habent: *καὶ ἔσαι ὁ Φεύγων ὡς ὁ Φεύγων ἀπὸ Φλογὸς καιομένης.* Plura videntur legiſſe, quam quidem nunc in textu extant. Reliquorum verſio magis reſpondet numero verborum, quae in textu hebraeo leguntur, ſed incertum eſt, utrum alia habuerint, an tantum eorum ſenſum, quod ſaepe faciunt, expreſſerint. Symmachus quidem: *καὶ ἔσαι ὡς τετμημένος Φεύγων.* Vulgatus: *et erit terrore profugus.* Chaldaeus: וִיהֵי תְּבִיר וְעָתֵיק *et erit confractus et profugus.* Syrus: וְנֶהְוֵא אַיְךְ דְּלָא הְוָה *et erit tanquam non fuiſſet.* Incertam conjecturam in ingenio Critici natam, qualis eſt *Hubigantii* כִּמְסֹס בְּמַס *ut liquefit quod liquitur*, nolui lectioni receptae ſubſtituere. Nam admittit explicationem non ineptam, tantum objici poteſt prophetam tropum non ſervaſſe. Cladem exercitus Aſſyriorum comparaverat cum ſilva incenſa, quem

quem tropum etiam in ſequenti verſu continuat. Sed haec verba, de quibus quaeritur, ſic proprie dicerent, cladem totalem futuram eſſe, ſignifero enim in fugam converſo milites omnes fugiunt. Sed quis neſcit, ſcriptores hebraeos non raro etiam in ſtylo ſublimiori verbis impropriis propria interſerere, et tropum quo antea uſi fuerant reſumere?

ad verſ. 27.] וְחֻבַּל עֹל מִפְּנֵי שָׁמֶן Interpretes antiquiores in verſione horum verborum difficilium fere conſentiunt, quod mireris. LXX quidem videri poſſent paullo aliter legiſſe, dum vertunt: καὶ καταφθαρήσεται ὁ ζυγὸς ἀπὸ τῶν ὤμων ὑμῶν: nempe שכמים; ſed quoniam haec lectio idem dicit, quod in membro primo, referenda eſt ad vitia illius codicis, quo hic interpres uſus eſt, frequentiſſima. Vulgatus: *et computreſcet jugum a facie olei.* Verba ſine ſenſu. Chaldaeus ſub oleo Meſſiam intelligit, quem nemo h. l. quaeſierit. *Syrus* vertit: *corrumpetur jugum* מִן קֳדָם מְשִׁחָא *a juvencis.* Utrum ex contextu, an ex lectionis diverſitate, non conſtat. — — *Hubigantius* more ſuo ex ingenio lectionem mutat, et pro שמן vel שָׁמֵן *calcitrans* vel שמס legit, quod Arabice (شمس) equum reluctantem, qui ſeſſorem non admittit, indicat, cum quo regem Hiskiam putat comparari, qui jugum Aſſyriorum excuſſerit. S. R. *Doederlein* ingenioſam explicationem attulit, quam non poſſum ſilentio praeterire: Ei בְּנֵי שָׁמֶן ſunt *pingues,* h. e. *illuſtres, divites,* qui maxime

xime onere premebantur, tributis impoſitis, ט vero idem ſignificat, quod in praecedenti membro מֵעַל et חבל accipit in ſignificatione praegnante: *Tolletur et confringetur jugum, ne pinguibus amplius moleſtum ſit.* — *Grotius* שֶׁמֶן *oleum* metonymice dictum putavit pro *oleo uncto*, ſc. Hiskia, cum alluſione ad vim olei, quod nodos facile relaxet; quem ſenſum in verſione indicavi, quoniam hiſtoriae convenientiſſimus videbatur.

ad verſ. 29.] pro לָנוּ legendum eſſe לָמוֹ contextus docet et Chaldaei auctoritate etiam probari poteſt: et tamen Vulgatus lectionem hanc incommodam habet, *Gaba ſedes noſtra.* Syrus quid legerit, neſcio. גבע jungit cum prioribus verbis עֲבַר לְמֶעְבְּרָא דְגִבְעָ לְבֵית בֵּיתָן *tranſiit vadum Gabeae, Bethbaitanem.*

ad Cap. XII, 2.] pro וְזִמְרָת יָהּ legendum eſt ſine dubio וְזִמְרָתִי. Affixum omnes interpretes antiquiores exprimunt, et ſequens nomen יהוה omiſſo altero יָהּ. Oἱ ὁ, ἡ ἄινεσίς μου κύριος. Non improbabilis eſt ſuſpicio *Hubigantii*, ortum eſſe hoc σφάλμα ex conſuetudine ſcribarum, qua in fine lineae, quae ſequentem vocem integram non capiebat, duas tresve ſaltem literas ponebant, et in ſequenti linea repetebant, quae literae deinde ab alio ſcriba imperito pro nova voce habitae et textui ipſi inſertae ſunt. Affert quoque *Hubigantius* exemplum ex Codice ſic ſcripto, atque in libris antiquis Baſileae impreſſis, e. c. *Munſteri* Bibliis, aliisque, id ipſum licet obſervare. Vix dubi-

dubitari poteſt, quin haec vacui ſpatii explendi conſuetudo in pluribus locis librariorum erroribus occaſionem dederit. Idem illud vitium, quod in hoc loco reperitur, extat etiam in Pſ. CXVIII, 14.

ad Cap. XIII, 22.] Pro בְּאַלְמְנוֹתָיו *in viduis ejus*, legendum videtur בְּאַרְמְנוֹתָיו *in palatiis*. Nimis coacta eſt explicatio lectionis receptae ex vulgari ſignificatione, ut domus ſ. urbes deſtructae dicantur *viduae*. *Lud.* quidem *de Dieu* in Critica S. ad h. l. utramque ſignificationem viduae et palatii voci אלמנה ſive ex ſignificatione Chald. אלם *fortis, robuſtus fuit*, ſive, quod ei quoque magis placet, ex analogia linguae Syriacae, in qua בירתא de arce et palatio dicatur, atque etiam de terra ſterili, non feminata; cum qua forte in lingua hebraea *vidua* comparetur. Aliis hanc originationem dijudicandam relinquo. Cf. quae infra dicentur ad Ezech. XIX, 7.

ad Cap. XIV, 4.] Verti vocabulum ἅπαξ λεγ. ex ſignificatione Arab. ذهب *abigere, auferre*. Sic enim bene reſpondet praecedenti נֹגֵשׂ *exactori*. vid. *Schultens* in Animadv. philol. ad h. l. Sed ſic non conſtrui poteſt cum verbo foeminini generis שָׁבְתָה. Igitur putem illud ה quod ſequenti מרהב praefigendum erat, ſcribarum vitio τῷ שבת additum eſſe; contra, ei in fine ה adjectum eſſe, quod abeſſe debet, niſi pro He paragogico habeatur.

ad

ad verſ. 6.] מֻרְדָּף Vix dubitem legendum eſſe active מַרְדֵּף aut ſi malis, in conjugatione prima רֹדֵף ut reſpondeat praecedenti רֹדֶה Pro qua lectione dici poſſet, Mem ex praecedenti voce in Mem deſinente errore ſcribarum, ſaepe admiſſo, repetitum eſſe. Sed ne opus quidem eſt illa mutatione, nam conjugatio Piel ejusdem ſignificationis quoque in uſu fuit, atque ſic Vulgatus et Syrus verterunt.

ad Cap. XVI, 7.] Pro לַאֲשִׁישֵׁי putem legendum eſſe לְאַנְשֵׁי *propter viros* ſ. *incolas Kircheres*, quia 1) ſic legitur in loco parallelo Jer. XLVIII, 31. 2) ſic legerunt *oi o'*, qui vertunt τοῖς κατοικοῦσιν, Arabs et Chaldaeus. 3) praedicatum אַךְ נְכָאִים aptum eſt ſubiecto ſuo. Nam נכה quod h. l. ה cum א permutavit, alias ſemper dicitur de hominibus, non de rebus inanimatis. — Nolo tamen aliquid decernere. Nam Syrus interpres ſatis aptam dedit vocabuli לאשישי in quo maxime haeretur, explicationem. Vertit: עַל אֶשְׁיוהא *ſuper fundamentis muri deſtruendi gemetis, ut aegroti.* De qua illius vocis ſignificatione vix dubitari poteſt, cum ex linguis cognatis etiam poſſit illuſtrari. Meum quidem aſſenſum inprimis retinet praedicatum נכאים de quo modo dixi. Attamen hoc certum videtur, noſtrum אשישים aliud omnino eſſe, quam quod 2 Sam. VI, 19. 1 Paral. XVI, 2. Cant. II, 5. Hoſ. III, 2. occurrit, in cujus ſignificatione definienda interpretes antiquiores et recen-

centiores tantopere fluctuant, et de quo ex mea quidem ſententia nondum allata ſunt, quae omnibus locis ſatisfacerent. Reliquorum interpretum verſiones non moror, ex quibus literarum ſimilium confuſio facile intelligitur, ut |et Syri, qui nomen proprium urbis tanquam appellativum legit עִיר חֶרֶס et pro אַךְ נְכָאִים fortaſſe אִיךְ כְּרָדִים — —. Id modo addo, pro חֲרֶשֶׂת legendum eſſe חֲרֶשׂ uti infra verſ. 11. et in loco parallelo Jeremiae. Tau propter ſequens Tau per errorem ſcribarum bis exaratum.

ad verſ. 9.] Lectio recepta hujus loci emendanda videtur ex loco parallelo Jeremiae Cap. XLVIII, 32. ubi verba ſic leguntur: עַל קֵיצֵךְ וְעַל בְּצִירֵךְ שֹׁדֵד נָפָל. Sic etiam *οἱ ό* ex parte, Syrus, Chaldaeus.

ad Cap. XVII, 9.] Locus eſt perquam difficilis propter vocabula הַחֹרֶשׁ וְהָאָמִיר quorum ſignificationes, quibus alias veniunt, non aptae videntur contextui et comparationi, qua propheta utitur. Dicit urbes munitas Iſraëlitarum futuras eſſe deſertas: כַּעֲזוּבַת הַחֹרֶשׁ וְהָאָמִיר *ſicut olim deſerta fuiſſent.* — — Propter, h. e. metu Iſraëlitarum. Jam ſi vertis חרש *ſilvam*, aut *ſatum*, et אמיר *ramum* aut *arborem* (quod eſt verſ. 6.) non commoda videtur oppoſitio: urbes deſertae erunt, uti ſata et arbores deſerebantur. Non apparet cur propheta ſata et arbores Cananitarum opponat urbibus munitis Iſraëlitarum, cum quisque expectet comparationem urbium derelictarum a Cananaeis,

cum urbibus Iſraëlitarum tempore Eſaiae. Propterea praeferendam putavi h. l. lectionem τῶν ό: ὃν τρόπον κατέλιπον οἱ Ἀμοῤῥαῖοι καὶ οἱ Εὐαῖοι ἀπὸ προσώπου τῶν υἱῶν Ἰσραήλ. Idem etiam ſentit S. R. *Struenſee* in verſione ſua. Equidem fateor reliquos interpretes antiquiores nulla hujus lectionis indicia exhibere, ſed omnes lectionis receptae literas legiſſe, quanquam diverſa ratione reddant. Concedo quoque, quod S. R. *Doederlein* contra hanc lectionem dicit (quam caeterum contextui aptam judicat), interpretem Graecum Eſaiae admodum negligentem fuiſſe (ſive codice eum eſſe uſum perquam negligenter ſcripto, nam ex hac quoque ratione diſſenſus hujus interpretis a textu recepto venire poteſt); tamen quoniam vitioſiſſimus quoque codex, quod omnes Critici concedunt, bonam lectionem ſervare poteſt, in hoc quidem loco parum probabile videtur, vel interpretis negligentiam ſenſum ſubſtituiſſe reliquo contextui adeo aptum, vel lectionem ipſam vitiis codicis, quo uſus eſt, eſſe annumerandam.

ad Cap. XIX, 10.] שָׁתֹתֶיהָ quod eſt in textu hebraeo, putem eſſe a שָׁתָה *bibit*, et legendum in participio Hiphil מַשְׁתֶּיהָ *zythopoei, die Brauer Aegyptens*, affixum enim refero ad Aegyptum. Sic ſequenti membro optime reſpondet. Aegyptios vero ex hordeo cereviſiam quandam paraſſe, quam zythum vocarent, teſtatur *Herodotus*, quod ipſum vocabulum οἱ ό in ſequenti membro adhibent. Sic etiam Syrus.

rus. — — Pro שֶׁכָר legendum eſt ſine dubio בַּר ׳ְ praeeuntibus interpretibus graecis et Syro, et pro אַגְמֵי *ſtagna* אֹגְמֵי *faſtidientes*, *nauſeantes*, ab Arab. أَجِمَ *triſtari.* (*Golius* p. 32.) Sic οἱ ό, καὶ τὰς ψυχὰς πονέσουσι. Habeo in his conjecturis maxima ex parte conſentientem S. R. *Doederlein.*

ad Cap. XXI, 5.] Pro מִשְׁחוּ מָגֵן *ungite clypeum,* οἱ ό vertunt: ἀνασπάσατε θυρεοὺς, et Vulgatus: *arripite clypeum,* legentes ſine dubio מִשְׁכוּ quod verbum non ſolum eſt *trahere*, ſed etiam *prehendere*, ut مسك apud Arabes. Atque haec lectio receptae videtur praeferenda. Quodſi in illa *unctio clypeorum* de politura armorum explicatur, ea profecto tempore parum opportuno a vigilibus injungitur. Urbe jam capta, hoſtibus undique irruentibus, non de armis poliendis cogitari poteſt, arripiuntur quae forte obvia ſunt.

ad verſ. 8.] In textu hebraeo eſt וַיִּקְרָא אַרְיֵה *et clamavit leo.* Sub *leone* ſpeculatorem a propheta in ſpecula conſtitutum intelligendum eſſe, contextus docet. Sed cum non appareat, cur ille h. l. *leo* vocetur, nonnulli interpretes Caph ſimilitudinis ſupplent, *ut leo* ſ. *leonina voce clamat.* At enim vero, cum haec ellipſis h. l. durior videatur, nec ſenſus ſatis aptus, interpretis Syri lectio eo minus ſilentio praetermittenda eſt, quae ita habet: *et clamavit ſpeculator in auribus meis et dixit: ego, domine,* et rel. Apparet, eum

 légiſſe

legiſſe וַיִּקְרָא עַל אָזְנֵי הַמִּצְפֶּה Nimirum עַל transpoſito אזני pro ארי et ה ex אריה cum ſequenti מצפה. Nemo neget hanc conſtructionem verborum genio linguae et ipſi narrationi eſſe convenientiſſimam.

ad verſ. 9.] Pro שִׁבֵּר *confregit* legendum eſſe paſſive שֻׁבַּר *fracta ſunt*, contextus docet, omnesque interpretes antiquiores ſua auctoritate confirmant.

ad Cap. XXIV, 15.] בָּאֻרִים οἱ ὁ et Syrus non legerunt. Illi habent: *διὰ τοῦτο ἡ δόξα κυρίου ἐν ταῖς νήσοις ἔσται τῆς θαλάσσης, τὸ ὄνομα κυρίου ἔνδοξον ἔσται.* Hic *propterea laudibus celebrate Deum et in inſulis maris nomen domini Dei Iſraëlis.* Inepta eſt Vulgati verſio: *propter hoc in doctrinis glorificate dominum.* Omnes, quas novi, hujus vocis explicationes coactae videntur, ſive in cavernis, ſive in luminibus, ſive inter ignes vertas, neque τοῖς אִיֵּי הַיָּם in ſequenti membro reſpondent. Placet igitur conjectura *Hubigantii*, facillima mutatione legi poſſe בְּאֻמִּים vel בָּעַמִּים *inter gentes.*

ad Cap. XXV, 2.] Pro מֵעִיר legendum eſt הָעִיר ſive ſine articulo עִיר ut in ſequenti membro קִרְיָה eſt, non מִקִּרְיָה, quod etiam conſtructioni verbi שׂוּם ſaepiſſime obvii repugnat, nec ullum τοῦ מ indicium eſt apud antiquos interpretes. Irrepſit ſine dubio ſcribarum errore ex ſequenti מעיר in quo vero recte legitur.

ad Cap. XXVI, 19.] Pro נְבֵלָתִי *cadaver meum*, Syrus legit נִבְלוֹתֵיהֶם, vertit enim נְשֶׁלְדֵיהוֹן et *cadavera eorum*

eorum ſurgant. Quam lectionem contextus quoque probat. Imperativi qui ſequuntur הָקִיצוּ וְרַנְּנוּ ſine dubio legendi ſunt in praeteriti forma. Sic quoque οἱ ό, Aquila, Symm., Theodot. et Syrus. — שֹׁכְנֵי עָפָר verti *ſepulcri habitatores*, non quod putem קֶבֶר legendum eſſe, ſed quod phraſin hebraeam *habitantes pulverem ſ. terram*, qua alia ratione redderem, ignorabam.

ad Cap. XXVII, 2.] Loco חֶמֶר *vini* legendum videtur חֶמֶד *deſiderii.* Quam lectionem non ſolum exhibent edit. impreſſae Hoogthiana et altera Athiana, ſed etiam *οἱ ό*, *ἀμπελὼν καλὸς*, *ἐπιθύμημα* et Chald. *vinea plantata in terra bona*, et locus parallelus Cap. V. eum probabilem faciunt. Syrus tamen et Vulgatus alteram lectionem חמר ſecuti ſunt, pro qua *Kennicottus* quoque 50 fere Codd. et Editt. citavit.

ad verſ. 4.] Pro חֵמָה *ira* aliis punctis ſubjectis חֹמָה *murus* legerunt *οἱ ό* et Syrus, quam lectionem in verſione expreſſi.

ad Cap. XXVIII, 28.] In voce פָּרָשָׁיו recte haeſitant interpretes, quod equorum in tritura nullus uſus eſt apud Orientales, ſed boum. Aſt commodam exhibent lectionem Symmachus et Theodotion, qui vertunt: *οὐδὲ ταῖς ὁπλαῖς αὐτοῦ λεπτυνεῖ αὐτὸν*, et Vulgatus: *nec ungulis comminuet eum.* Patet eos legiſſe רסיו a פרסה *ungula*, quod in plurali etiam formam nominis maſculini habet. Elegans conjectura eſt S. R. *Doederlein*, qua פרשים putat de aurigis ex-

plicari poſſe, qui tribulo inſiſtunt. Sed obſtare videtur numerus pluralis, cum, quod ſciam, unus tantum auriga tribulo inſederit.

ad Cap. XXX, 7.] Quanquam interpretes recentiores ſenſum verborum hebraeorum רַהַב הֵם שָׁבֶת utcunque viderunt, ea tamen propter verborum conſtructionem inſolentiorem interpretationem grammaticam difficulter admittunt. Nemo igitur, qui ſenſum habet facilitatis in interpretando, improbabit conjecturam S. R. *Doederlein*, qua impedita illa verborum conjunctio facillima ratione explicatur. Nimirum duas voces הֵם שָׁבֶת Vir Celeb. conjungit et legit המשבת *Rahab quieſcens.* Propter ſcriptionem continuam olim uſurpatam fieri potuit, immo factum eſſe alia exempla docent, v. c. Jer. XXIII, 33. ut voces jungendae ſepararentur et contra ſeparatae jungerentur. Quae conjectura, cum adeo plana ſit, minimeque coacta, mirum non eſt, eam Illuſtri *Michaëli* quoque in mentem veniſſe, qui in Bibliotheca Orientali Parte XI. p. 154. fatetur ſibi quoque hanc verborum conjunctionem placuiſſe. Sed in punctis vocalibus ſubjiciendis Viri Doctiſſimi diſſentiunt. Quae S. R. *Doederlein* pronunciat רַהַב הַמַּשְׁבֶּת *Rahab quieſcens*, Illuſtris *Michaëlis* effert רַהַב הַמַּשְׁבִּית *fugit confirmans fiduciamque addens.* Atque hujus ſuae ſententiae teſtes citat interpretes antiquiores Graecos et Syrum. Illi habent: *ματαία ἡ παράκλησις αὐτῶν*, hic: סְרִיק הוּ תּוּבָּלְכְהוֹן

חוּכְלְבַדוֹן *vacua eſt eorum fiducia*, clarum eſt eos legiſſe הַמַּשְׁבִּת *quieſcere faciens, ſtabiliens.* Quanquam in bivio quaſi conſtitutus ſum et optio dubia videtur, tamen Illuſtris *Michaëlis* pronunciationem, quae et antiquitatis commendationem habet, praefero. — Caeterum in verſione non poteſt exprimi ambiguitas, quae eſt in voce רהב quod cum Aegypti nomen eſt (vid. *Bochartus* in Geogr. S. Lib. IV. Cap. 24. pag. 259.) tum et verbum *fugere* et *timere* ſignificans, cujus generis elegantiae, quarum propheta noſter ſtudioſiſſimus eſt, non poſſunt niſi a linguae perito intelligi.

ad Cap. XXXIII, 2.] Pro זְרֹעָם *brachium eorum* legendum eſt ſine dubio זְרֹעֵנוּ *brachium noſtrum.* Mutatio perſonarum alias quidem ſatis frequens, in hoc tamen verborum nexu prorſus aliena eſt. Atque ſic quoque legerunt Chaldaeus, Syrus et Vulgatus.

ad Cap. XXXVI, 5.] In loco parallelo 2 Reg. XVIII, 20. pro אָמַרְתִּי legitur in ſecunda perſona אָמַרְתָּ. Sequentia etiam אַךְ דְּבַר שְׂפָתַיִם *ſed verbum labiorum, conſilium et fortitudo ad bellum,* quod breviter et abrupte dicta ſunt, difficilem habent explicationem; quae varie tentata eſt ab interpretibus recentioribus: *οἱ ό* et Vulgatus illa verba; *dixi*, *certe verbum labiorum*, prorſus omittunt. Legit ea Syrus, ſed in ſecunda perſona, et pro אַךְ videtur legiſſe בָּךְ hinc jungit ea cum antecedentibus et ſequentibus: *et dicis quod ſit in te verbum labiorum et prudentia et fortitudo ad*

 bellum.

bellum. Verum et ſic obſcure. S. R. *Doederlein* aptum verborum ſenſum facit, dum vertit: *quaero ex te, num in verbis ſapientia virtusque bellica conſiſtat?* Sed dubito, an verba hebraea eum admittant. *Verba labiorum* utique videntur *verba inania, futilia* indicare. Quod, ſi eſt, ſequentia dicunt, quae ſint illa verba inania Hiskiae: *conſilium et fortitudo ad bellum,* ſc. mihi non deſunt. — — Sed probe ſcio, in ſermone abrupto varia poſſe ſuppleri.

ad Cap. XXXVII, 27.] In loco parallelo 2 Reg. XIX, 26. pro שְׁדֵמָה legitur שְׁדֵפָה. Illud *arvum* alias indicat, quod contextui parum aptum videtur, hoc vero morbum ſegetis ſignificat, quo culmi triticei vel hordeacei frigore ita corrumpuntur, ut ſpicas non faciant, uti hoc vocabulum explicatur in praefatione pag. XLVI. Deſcriptioni Arabiae Celeb. *Niebuhrii* praemiſſa, quae lectio reliquis comparationis membris ſane aptior eſt. Vulgatus idem legiſſe videtur, ſed alio modo intellexit: *herba tectorum, quae exaruit antequam matureſceret.* Sic fere etiam Chaldaeus. Sed Syrus receptam lectionem habet etiam in loco parallelo אַיךְ בוּחְשִׁיבְתָא קֳדָם קַיָמְתָא *ut herba tenuis* ſ. *ut folia tritici antequam in culmum excreſcat.*

ad Cap. XLI, 24.] Equidem prorſus aſſentior interpretibus iisque plurimis, qui dicunt pro מֵאָפַע legendum eſſe מֵאָפֶס coll. verſ. 29. Nullam enim admittit illa lectio explicationem probabilem, ſcribarum

rum vero lapſus facile potuit admitti. Attamen non poſſum ſilentio praeterire, antiquiores interpretes, ſi a Vulgato diſceſſeris, videri quoque non מֵאָפֶס quod cuique linguae perito in mentem venire debet, ſed aliud vocabulum legiſſe. Non piget eorum verſiones adſcribere. Vulgatus: *Ecce, vos eſtis ex nihilo, et opus veſtrum ex eo quod non eſt: abominatio eſt qui elegit vos.* Is quidem videtur מֵאָפֶס legiſſe. Sed οἱ ὁ vertunt: *ὅτι πόθεν ἐςὲ ὑμεῖς, καὶ πόθεν ἡ ἐργασία ὑμῶν. ἐκ γῆς βδέλυγμα ἐξελέξαντο ὑμᾶς.* Dubitari non poteſt, quin pro מאפס legerint מארץ. Syrus habet: *Ecce vos nihil eſtis et opus veſtrum* מֵן חַרְבָּא *ex gladio.* Sine ſenſu. Sed venit in mentem, annon lectio vitioſa ſit pro מֵן אַרְעָא *ex terra*, ut idem legerit cum interprete graeco.

ad Cap. XLII, 20.] Pro ישמע verſiones antiquae omnes et plusquam 40 Codd. *Kennicotti* habent ſecundam perſonam תשמע Sic quidem duo membra ſibi melius reſpondent. Attamen fateor duram mihi videri ſubitam illam apoſtrophen ad ſervum illum Dei, de quo in verſu antecedenti et in ſequenti 21 in tertia perſona ſermo eſt. Propterea quoque in priori hujus libri editione pro תשמר in priori membro conjectaram legendum eſſe ישמר ut τῷ ישמע in poſteriori membro reſponderet. Sed tot codicum et verſionum auctoritas conjecturae praeferenda videtur. Igitur ſecundam perſonam in verſione expreſſi.

ad verſ. 24.] Pro יִטְמְאוּ legendum videtur אי quod volunt ſequentia verba אָבוּ et שָׁמְעוּ. Sic LX interpretes et Chaldaeus. Syrus vero non ſolum illo, ſed etiam in his primam perſonam habet.

ad Cap. XLIV, 20.] Verba textus ה אֵפֶר difficiliorem admittunt explicationem. *Grotius* quid ea cum ſequentibus לֵב הוּתַל connectit: *paſcit cinere cor deceptum*, h. e. re nihili. Quam non n lam judicat lectionem. Neque ego eam omnino i probem. Sed nemo quoque neget, ſi pro רֹעֶה l gitur רְאֵה *vide!* ſenſum eſſe facillimum et connex orationi aptiſſimum. Atque habeo quoque nonnu los ex interpretibus antiquioribus mecum conſentie tes. LXX. quidem interpretes videntur ita legiſſ γνῶθι ὅτι σποδὸς ἡ καρδία αὐτῶν, et Chaldaeus: *Ec dei pars cinis*. Sed Syrus receptam lectionem exprimi *cinere paſcitur cor eorum*. Vulgatus habet: *Pars ej cinis eſt*, quoniam ex *Grotii* conjectura pro רעה leg רְבִעָה quod non ſolum de quarta, ſed etiam in gener de parte dicitur.

ad Cap. XLV, 9.] Lectio recepta חֶרֶשׂ אֶת־חַרְשֵׂי אֲדָמָה *teſta cum teſtis terrae*, eſt contra ſcopum pro phetae, qui non improbat teſtam cum teſta h. e. ho minem cum homine contendere, ſed teſtam cum f gulo: h. e. hominem cum Deo creatore ſuo altercar quod etiam in membro praecedenti dixerat, cui ho reſpondet. Igitur non dubitem aliis punctis ſubjecti leger

legere חָרֶשׂ אֶת־חֹרֵשׁ אֲדָמָה Sic quoque *Caſtellio: Fictile cum terrae opifice,* et S. R. *Doederlein: fictile cum figulo.*

ad Cap. XLVI, 8.] הִתְאֹשָׁשׁוּ verbum *ἅπαξ λεγομενον* vulgo vertitur: *praeſtate vos viros, corroboramini,* quaſi formatum eſſet ab אִישׁ Sic Chaldaeus אתקפו *confirmamini.* Alii deducunt ab אֵשׁ *ignis,* q. d. *inflammamini* ſcilicet pudore! Sic Vulgatus: *confundamini.* Quid, ſi legatur הִתְבֹּשְׁשׁוּ? Syrus habet ܐܬܒܩܘ *attendite.*

ad Cap. XLIX, 17.] Pro בָּנָיִךְ *filii tui* legendum eſſe בֹּנַיִךְ *aedificantes te,* cum oppoſitio ſequentis membri docet, tum verſiones antiquae, Vulgatus et *οἱ ό.* De Chaldaeo et Syro non liquet, cum vox בניכי utramque lectionem pro diverſitate punctorum ſubjectorum admittat.

ad Cap. LIV, 9.] In textu hebraeo legitur כִּי־מֵי נֹחַ זֹאת לִי Sed antiquiores interpretes omnes, exceptis LXX, priora verba conjunctim legerunt כִּימֵי *ut dies Noachi,* nempe Symmachus, Theodotion, Vulgatus, Chaldaeus, Syrus. Tantum *οἱ ό* מַיִם exprimunt: *ἀπὸ τοῦ ὕδατος τοῦ ἐπὶ Νῶε τοῦτό μοι ἐστι*, quaſi legiſſent מִימֵי Fortaſſe vera lectio fuit: כִּי כִימֵי וגו׳ *nam ſicuti diebus* etc. Sic enim lectio eſſet expeditior. Sed alterum כִּי vitio ſcribarum excidit. Senſus non magnopere differt, neque obſcurus eſt.

ad

ad Cap. LXIII, 5.] Secutus quidem ſum in verſione lectionem receptam וַחֲמָתִי Sed non poſſum ſilentio praeterire alteram lectionem hujus vocis וְצִדְקָתִי *et juſtitia mea*, quam habent Codd. 19. *Kennicotti* et quatuor editiones impreſſae. E verſionibus antiquis tantum Chaldaeus videtur diverſam a recepta lectionem eſſe ſecutus, vertit enim וּבְמֵימַר רְעוּתִי סַעֲדְתִּינוּן *verbo voluntatis meae eos ſum auxiliatus.* Probabilem facit hanc lectionem locus parallelus Jeſ. LIX, 16.

ad verſ. 9.] *In adverſa eorum fortuna* לֹא צָר *non fuit adverſarius.* Pro לֹא lectio marginalis a Maſorethis obſervata exhibet לוֹ quae in textum recepta eſt in editione Gerſoniana, qua Lutherus in verſione ſua uſus eſt. Sed Cetib ſ. textualem lectionem ſequuntur verſiones antiquae omnes, Codd. Regiomont. Norimberg. Bombergiana anni 1525. Plantiniana 1566 ſine Keri. Illa *Lilienthalio* huic videtur praeferenda, eamque ex ſimili loquendi forma illuſtrat Jud. X, 16. Zach. II, 12. Act. IX, 4. Sed praeſtat ſequi auctoritatem verſionum antiquarum.

ad Cap. LXV, 4.] In textu eſt וּפְרַק פִּגֻּלִים כְּלֵיהֶם Sed a Maſorethis alia lectio in margine annotata eſt, nempe pro פרק, מרק quod ſemel quidem Jud. VI, 19. extat, ſed a lexicographis recte per *jus*, ſ. *juſculum* explicatur, cum in lingua Arabica eandem habeat ſignificationem ab interprete Arabe h. l. quoque

que adhibitam. Atque hanc lectionem ſecuti ſunt Vulgatus, qui habet: *et jus profanum in vaſis eorum:* et Chaldaeus וּרְטַף פִּגּוּל בְּמָנֵיהֶם *et jus immundum in vaſis eorum.* Etiam *οἱ ς´*, qui tamen addunt unde jus illud fuerit, nempe ex ſacrificiis, hinc ſequens פגלים conſtruunt cum כליהם *καὶ ζωμὸν θυσιῶν μεμολυμμένα πάντα τὰ σκεύη αὐτῶν*, et *jus hoſtiarum: inquinata omnia vaſa eorum.* Syrus tantum aliam lectionem et ſententiam exhibet: *et polluunt cadaveribus indumenta ſua.* Pro פִּגֻּלִים eum legiſſe פְּגָרִים facile divino, ſed unde ܘܡܛܰܡܐܺܝܢ *et polluentes ſunt,* neſcio. Utraque lectio hebraea cum marginalis, tum textualis commodum ſenſum habet, ad quam tamen Beth ſupplendum eſt ante כליהם Quodſi ex teſtimoniis antiquiorum interpretum quaeſtio decidenda eſt, pro marginali pronunciandum eſſe, lectiones eorum allatae oſtendunt.

NOTAE CRITICAE
IN
JEREMIAM

Ad Cap. II, 20.] Secutus ſum in verſione lectionem LXX interpretum, et Vulgati, quia verba textus hebraei in ſecunda perſona legerunt: *ὅτι ἀπ᾽ αἰῶνος συνέτριψας τὸν ζυγόν σου, καὶ διέσπασας τοὺς*

τοὺς δεσμούς σου, καὶ εἶπας, οὐ δουλεύσω σοι, ἀλλὰ πορεύσομαι κ. τ. λ. Vulgatus habet: *A ſeculo confregiſti jugum meum, rupiſti vincula mea, et dixiſti: non ſerviam* etc. A Maſorethis obſervata eſt varia lectio, nempe pro לֹא אֶעֱבוֹד *non ſerviam*, alios Codices habuiſſe לֹא אֶעֱבוֹר *non transgrediar;* quam Chaldaeus explicat: *non amplius transgrediemur verbum tuum.* Sed qui ad ſeriem orationis attendit, intelliget, uti arbitror, eam facilius procedere, ſi in ſecunda perſona omnia legantur, neque lectio marginalis praeferatur. Neque tamen propterea quidquam in literis textus mutetur neceſſe eſt. Poſſunt omnes retineri, etiam Jod finale in verbis שׁברתי et נתקתי ex antiqua ſcriptione, cujus complura alia extant exempla in Jeremia e. g. III, 5. et Ezechiele, et quae ex lingua Syriaca plane poteſt demonſtrari, in qua ſecunda perſona foeminini ex regula cum Jod ſcribitur. Miror propterea Syrum interpretem hanc lectionem non expreſſiſſe, ſed legiſſe verba in prima perſona. Marginalem tamen lectionem a Maſorethis obſervatam non ſequitur, ſed textualem אֶעֱבוֹד quam ſic explicat et connectit cum antecedentibus: *dixiſti: alium Deum non iterum colam.*

ad Cap. III, 8.] In textu hebraeo legitur prima perſona וָאֵרֶא *et vidi.* Sed in tertia perſona תֵּרֶא legendum eſſe, *vidit*, ſc. Juda, docet cum membrum praecedens, quod propheta in hoc verſu

ulterius

ulterius explicat, tum apodoſis periodi in poſteriori membro hujus verſus, quae minus apte cohaeret ſi legatur אראׄ Si antiquiores interpretes inſpicimus, Syrus legit tertiam perſonam, ſed parum accurate explicat ſequentia. Vulgatus prorſus omittit hanc vocem, ſine dubio quia vidit ſermonem praecedentem immediate continuari. De graeco interprete non ſatis liquet, qui habet *καὶ εἶδον*, quod in prima et tertia perſona pluralis poteſt verti.

ad Cap. IX, 5.] Non poſſum ſilentio praeterire diverſam hujus loci lectionem LXX. interpretum, quam *Struenſee* receptae lectioni praeferendam judicabat. Nimirum apud illos interpretes ſic legitur: verſ. 5. — — *ἠδίκησεν, καὶ οὐ διέλιπον τοῦ ἐπιστρέψαι.* 6. *Τόκος ἐπὶ τόκῳ, καὶ δόλος ἐπὶ δόλῳ. κ. λ.* Planum eſt, eos primam verſus quinti vocem שִׁבְתְּךָ diviſim legiſſe et duas ejus priores literas שב ut ſeparatam vocem cum ultima voce verſus quarti legiſſe נִלְאוּ שֻׁב *intermittunt converti* ſ. *poenitentiam agere.* Cum poſterioribus duabus vocis שבתך litteris inceperunt verſum quintum תֹּךְ בְּתֹךְ מִרְמָה בְּמִרְמָה *uſura ſuper uſuram, et dolus ſuper dolum.* Sic rectius *Struenſee* originem hujus diverſitatis eruit quam *Hubigantius*, qui non intellexit, pro ſenſu, quem verbis ſubeſſe putarunt, eos שב bene junxiſſe cum verbo praecedenti נלאו et minus bene ab eo mutari in שׁיבו quod vertit:

tit: *addunt foenus foenori.* Sed miſſum facio criticum illum Gallum. Dicam tantum, quid mihi de hac τῶν ὁ lectione videatur. Primò lectio textus hebraei recepta non eſt contra Grammaticam, uti *Struenſee* exiſtimabat. Nam שִׁבְתְּךָ *ſedere tuum* eſt uſitatiſſima conſtructio infinitivi cum affixo, reſolvenda in verbum finitum ejusdem perſonae cujus eſt affixum. Igitur שִׁבְתְּךָ idem eſt quod יָשַׁבְתָּ Neque מרמה abſtractum pro concreto nimis durum videri poteſt, aliis quoque linguis frequentatum. Sic verba ſenſum fundunt contextui aptiſſimum, dum Deus prophetam alloquitur: *tu habitas inter homines fraudulentos.* — — Deinde ex lectione verſionis graecae, verbo לאה tribuenda eſt ſignificatio, quam nunquam habet, neque in lingua Hebraea neque in Chaldaica et Syriaca, in quibus ſaepe obvium eſt, et ſemper ſignificat *laborare, laſſari, defatigari,* nunquam, quod equidem ſciam, pro *nolle, intermittere* dicitur. Tertio, auctoritati verſionis graecae, quam alias non contemno, oppono auctoritatem non minorem verſionis Syriacae et Vulgatae, quae omni ex parte cum lectione recepta conſentiunt. Chaldaeus ab his omnibus diverſam lectionem exhibet valde recedentem a textu hebraeo: *Sedent in domo congregationis ſuae et narrant iniquitates ſuas in dolis.* Quam aliis dijudicandam relinquo. Ego quidem ex regula, quam mihi ipſe ſcripſi, ſemper acquieſco in lectione textus recepta, dummodo ea ſenſum exhi-

beat

beat aptum et grammaticae convenientem, quem hujus loci eſſe arbitror.

ad verſ. 6.] Poſt מפני excidit ſine dubio רע *impietas*, quod non ſolum a LXX. interpretibus et Chaldaeo lectum eſt: *ὅτι ποιήσω ἀπὸ προσώπου πονηρίας θυγατρὸς λαοῦ μου; quomodo faciam propter delicta coetus populi mei?* ſed etiam a propheta noſtro additum Cap. IV, 4. cf. Deut. XXVIII, 20. — Syrus tamen et Vulgatus illud רע non legerunt.

ad Cap. X, 11.] Hic verſus ſcriptus eſt Chaldaice. Cujus rei rationem vulgo reddunt hanc: prophetam ſiſtere ſibi populares ſuos tanquam jam abductos in captivitatem Babylonicam et inter Chaldaeos verſantem, praeſcribere propterea formulam quandam, qua uti deberent contra Chaldaeos idololatriam ſuadentes; quam chaldaice ſcripſiſſet, quoniam illi hebraice non intellexiſſent. Chaldaeus praemittit huic verſui hanc explicationem: *Hoc eſt exemplar epiſtolae, quam miſit Jeremias propheta ad reſiduos ſeniores, qui erant in captivitate Babylonis. Si dixerint vobis populi, inter quos eſtis, colite idola, ſic reſpondebitis, et ſic dicetis eis etc.* Reliqui interpretes antiqui omnes habent hunc verſum ſine ullo additamento aut mutatione, tantum Syrus in numero ſingulari habet: *Sic dic eis:* et Arabs paſſive: *ſic dicatur eis.* — — *Hubigantio* ratio allata, cur Jeremias hunc verſum chaldaice ſcripſerit, parum probabilis videtur. Sed haud

ſcio, an Critici ejus conjecturam, unde hic verſus alia dialecto legatur, probabiliorem judicent. Librarium quendam, dicit, qui Jeremiae librum transſcriberet, verſibus alternis hebraicis et chaldaicis exaratum, ut ſunt hodie quaedam Pentateuchi membranae, de verſu erraſſe, et chaldaicum verſum deſcripſiſſe, cum debuiſſet hebraicum. — — Dormitaſſe librarium illum dixerim, qui non intellexerit ſeſe chaldaice integrum verſum deſcripſiſſe, quem hebraice ſcribere vellet. Majori cum veri ſpecie *Venema* conjectat hunc verſum prorſus non eſſe a Jeremia, ſed ſcriptum ab alio quodam viro divino et textui inſertum, ut Judaei eo tanquam confeſſionis formula contra Chaldaeos uterentur. — Qui contextum ſermonem attenderit, intelliget, interrumpi hoc verſu deſcriptionem omnipotentiae divinae, quam propheta verſu decimo inceperat, et duodecimum cum illo cohaerere.

ad Cap. XI, 2.] In textu hebraeo legitur pluralis שִׁמְעוּ *audite verba hujus foederis et loquimini ad Judaeos* etc. Quae vulgo dicta eſſe volunt non ad Jeremiam ſolum, ſed etiam ad reliquos prophetas ejus collegas. Sed quis neget hanc explicationem perquam duram eſſe? Etenim ſtatim in ſequenti verſu tertio ſermo tantum ad Jeremiam continuatur. Igitur non dubitem cum Syro interprete utrumque verbum in numero ſingulari legere. LXX interpretes poſterius tantum nempe דִּבַּרְתֶּם in ſingulari legerunt, *καὶ λαλήσεις*

πρὸς

πρὸς ἄνδρας κ. λ. Sed ſic non tollitur difficultas, quam ſupra commemorabam. Verſu primo Deus locutus eſſe dicitur *ad Jeremiam*, igitur quae ſequuntur non poſſunt eſſe dicta ad plures.

ad verſ. 14.] Pro בְּעַד רֵעֶרָם Codex poſterior *Lilienthalii*, omnesque verſiones antiquae legerunt בְּעֵת quem conſenſum non putavi negligendum h. l. eſſe, quanquam lectio recepta defendi poſſet.

ad verſ. 15.] Lectionem textus hebraei in hoc verſu mendoſam eſſe nullus dubito, ſed eam ex verſionibus antiquis reſtituere difficillimum judico, quoniam ſingulae fere diverſas lectiones exhibent, quae textui poſſent accommodari. Ita vero legitur in verſione graeca, quacum arabica, uti ſemper, conſentit: *τί ἡ ἠγαπημένη ἐν τῷ οἴκῳ μου ἐποίησε βδέλυγμα; μὴ εὐχαὶ καὶ κρέα ἅγια ἀφελοῦσιν ἀπὸ σοῦ τὰς κακίας σου, ἢ τούτοις διαφεύξῃ.* Non difficile eſt ad divinandum, quae verba hebraea in illo Codice extiterint. Sine dubio haec:

מֶה לִידִידָתִי בְּבֵיתִי עָשְׂתָה הַמְּזִמָּתָה הַנְּדָרִים
וּבְשַׂר קֹדֶשׁ יַעֲבִירוּ מֵעָלַיִךְ רָעָתֵךְ אוֹ תָלוּזִי

Syrus interpres longe aliter: *Quare, o mihi dilecta, domi meae feciſti abominationem multam? ideo carnem ſacram amovebunt a te, propter crimen tuum, quod graviſſimum eſt.* Hic quidem etiam uti *ci ó* non *dilectus meus*, ſed *dilecta mea* legit, ſed in caſu vocandi interpretatur. — הרבים jungit cum praecedenti מְזִמָּתָה

 igitur

igitur illud ſine dubio הרבה legit. — Tandem pro ultima voce תעלזי *exultas* הָעֻזָּה. Vulgatus omnium proxime ad lectionem textus hebraei accedit. *Quid eſt quod dilectus meus in domo mea fecit ſcelera multa? numquid carnes ſanctae auferent a te malitias tuas, in quibus gloriata es?* In ultimo membro non legit כי et pro אָז, אֲשֶׁר ſive בַּאֲשֶׁר — — Quid igitur ex his omnibus eligemus? Primo quidem hoc certum videtur, pro maſculino ידידי legendum eſſe foemininum יְדִידָתִי ſequuntur enim per integrum verſum affixa foeminini generis. — עֲשׂוֹתָהּ poteſt retineri. Infinitivus enim cum affixo reſpondet verbo finito עָשְׂתָה. Deinde placent LXX interpretum *vota, εὐχαὶ,* propter Vau ante בשר et propter verbum pluralis numeri יעברו quod in Hiphil legendum videtur יַעֲבִירוּ. Verbum autem עבר ſequenti מ conſtructum, eſt *ſimulare, occultare.* Tandem in ultimis verbis Syrum et Vulgatum ſequor, quod eorum lectiones minus recedunt a recepta textus hebraei.

ad Cap. XV, 11.] Verbum שֵׁרִיתִיךָ non niſi duram admittit explicationem, ſive de propheta, ſive de populo verſus intelligatur. Sed genuinam vocis lectionem ſervaſſe videntur οἱ ὁ, quanquam priorum verborum hujus verſus verſio admodum inepta eſt, Sic enim habent: Γένοιτο, δέσποτα, κατευθυνόντων αὐτῶν. Pro אמר legerunt אָמֵן quod ſaepe per γένοιτο reddere ſolent; nomini יהוה reſpondet δέσποτα, ſed quo-

quomodo verba אם לא שֵׁרִיתִיךָ לְטוֹב legerint, ut verterent: *κατευθυνόντων αὐτῶν*, divinare non poſſum. Verum hoc plane certum videtur, eos loco *Reſch* in Codice ſuo habuiſſe *Lamed* et formam vocis (quaecunque illa fuerit) derivaſſe a שָׁלָה quod Cap. XII, 1. etiam per *εὐθύνειν* vertunt, atque hoc verbum contextui eſt aptiſſimum שִׁלִּיתִיךָ לְטוֹב *te plane tranquillum reddam.* Vulgatus habet: *Si non reliquiae tuae in bonum;* nempe legebat שְׁאֵרִיתְךָ ex qua lectione *Hubigantius* conjectat legendum eſſe אַשְׁרְתִיךָ et ſic quoque *τοὺς ὁ* legiſſe putat. Sed mea conjectura, niſi me omnia fallunt, facilior eſt, atque ex Cap. XII, 1. ejusdem verſionis valde firmatur. Nemo objiciat verbum שלה in prima conjugatione eſſe *tranquillus fuit,* non *tranquillavit.* Nam primo ex tribus aut quatuor locis, in quibus in illa ſignificatione legitur, *haec* ei negari non poteſt: deinde, quis neſcit multa verba habere in prima conjugatione ſignificationem tranſitivam et intranſitivam? tandem, ſi quis tamen pertinacius negaret, legat conjugationem Piel, quae ſaepe ſignificationem tranſitivam habet. — — Hac vero lectione admiſſa verſus tantum de propheta eſt explicandus et continet reſponſionem Dei ad praecedentes querelas, et promiſſionem de cura et defenſione, quam ei calamitoſiſſimo tempore praeſtare velit; quod etiam impletum legimus Cap. XL, 1 ſeqq. Nihil dico de verſione Syri, quae in hoc et ſequenti verſu valde recedit

dit a textu hebraeo, in quo tamen praeter illam mutationem, de qua modo dixi, aliam neceſſariam eſſe non exiſtimem.

ad verſ. 14.] Pro וְהַעֲבַרְתִּי *et tranſire faciam*, verſiones antiquae, (excepta Vulgata, quae ſingularem lectionem exhibet, non incommodam quidem, ſed quae nulla alia auctoritate firmatur: *et adducam inimicos tuos de terra quam neſcis.* Legit מֵאֶרֶץ) nec non Codex Lilienthalii poſterior, duo Erfurtenſes et Biblia Buxtorfiana habent והעבדתי *ſervire faciam.* In codd. citatis additum quoque fuit affixum ךָ *te*, quod vero a correctoribus eraſum eſt, neque in Bibliis Buxtorfianis legitur. Sed LXX. interpretes ſine dubio legerunt וְהַעֲבַדְתִּיךָ *καὶ καταδουλώσω σε*, nec non Syrus: *ſubjiciam te hoſtibus tuis*, Chaldaeus: *ſervietis inimicis veſtris*, atque locus parallelus Cap. 17, 4. hanc lectionem non parum confirmat et tantum non probat. Quanquam enim lectio recepta in hunc modum explicari poſſet: *irruere faciam hoſtem tuum in terram*, ex ſignificatione verbi עבר quam ſupra ad Cap. VIII, 13. obſervavi, tamen duri quid ſentio in modo loquendi: *hoſtem tuum in terram*, pro quo quisque expectet: *hoſtem in terram tuam.* Praeterea irruptionis hoſtilis iam mentio facta eſt in verſu praecedenti, non quidem explicite, tamen implicite. Direptio bonorum praeſupponit adventum hoſtium, illam vero *ſequitur abductio* in ſervitutem, non adventus hoſtium.

ad

ad Cap. XVI, 7.] In textu hebraico legitur וְלֹא־יִפְרְסוּ לָהֶם *non frangent illis ſuper luctu in conſolationem de mortuo.* Facile intelligitur deeſſe ſubſtantivum, nempe לֶחֶם *panis*, ſic quoque phraſis legitur Jeſ. LVIII, 7. Atque illud ipſum לחם *οἱ ό* legerunt loco להם cum levi quadam immutatione etiam in reliquis: *καὶ ὀυ μὴ κλασθῇ ἄρτος ἐν πένθει ἀυτῶν.* Vulgatus utrumque legiſſe videtur להם et לחם: *et non frangent inter eos lugenti panem.* Syrus vero nihil mutat: וְלָא נֶקְצוּן עֲלַיהוֹן *non frangent ſuper illis in luctu.* Fateor me dubitare de neceſſitate hujus lectionis ſ. mutationis τοῦ להם in לחם. Fortaſſe illa ellipſis ſubſtantivi uſitata fuit, ut verbum ſimpliciter poſitum idem ſignificaret quod cum ſubſtantivo conſtructum; cujus generis plures dicendi formas habemus, e. c. חָרָה אַף, הִכָּה נֶפֶשׁ Graeci vero et latinus interpretes, quoniam in eorum linguis verba non ſic dicuntur, ſubſtantivum ſupplere cogebantur. — Caeterum ritus, cujus in hoc loco mentio fit, idem eſt qui et apud Graecos et Romanos obtinuit, apud quos *περίδειπνα* et *parentalia* non minus in uſu erant.

ad Cap. XVII, 1.] Pro מִזְבְּחוֹתֵיכֶם duo *Hubigantii* Codices, uterque *Lilienthalii*, Chaldaeus, Syrus et Vulgatus habent tertiam perſonam הם — — Caeterum paucis obſervo, apud interpretes antiquiores magnum eſſe diſſenſum in quatuor verſibus prioribus hujus capitis. Oἱ ό eos prorſus omiſerant, ſed reſtituit

 eos

eos Origenes in Hexaplis ex aliis verſionibus. Quoniam vero lectio recepta textus hebraei maxima ex parte commodam admittit explicationem, alienum eſt ab inſtituto meo copioſius illum diſſenſum recenſere. cf. *Montefalconius* in Hexaplis Origenis et *Hubigantius.*

ad verſ. 2.] Male, uti arbitror, verba הֲרָרֵי בַּשָּׂדֶה initium faciunt verſus tertii et perquam coacte pro Apoſtrophe habentur, quo ſermo directus ſit ad Hieroſolymam, quae propter montem Sionem et vallem adjacentem *mons in campo* dicatur. Syrus interpres jungit haec verba cum verſu ſecundo, eaque explicat de locis, in quibus Judaei idola colebant: *ſub omni arbore opaca, ſub omni colle excelſo et in montibus et in deſerto.* Sic et *οἱ λοιποὶ* ab Origene citati *ἐπὶ βουνῶν μετεώρων ὀρέων· ἐν ἀγρῷ*, *ſuper colles ſublimes montium in agro.* Quae quanquam valde obſcura ſunt, tamen probant hos interpretes non הררי ſed הרים legiſſe. Vulgatus verſum ſic reddit: *Cum recordati fuerint filii eorum ararum ſuarum et lucorum ſuorum lignorumque frondentium in montibus excelſis ſacrificantes in agro.* Hunc igitur aeque ac Syrum apparet legiſſe בֶּהָרִים בַּשָּׂדֶה modo ut *ſacrificantes* addat, quod neque Syrus neque Graeci legerunt, et fortaſſe ſenſus cauſa tantum ab ipſo interprete additum eſt. Atque hanc veram lectionem eſſe judico, qua admiſſa omnia bene cohaerent, neque receptae lectioni nimis multae aut magnae mutationes inferuntur, quales *Hubigantius* intentavit.

ad

ad verſ. 10.] In textu hebraeo eſt: וְלַחַת Sed Vau ſine dubio eſt delendum, neque extat in tribus Codicibus *Hubigantii* et altero *Lilienthalii*, neque ab ullo interpretum antiquiorum fuit lectum.

ad verſ. 13.] Verba textus ſunt: יְסוּרַי בָּאָרֶץ יִכָּתֵבוּ quae cum quoad lectionem, tum quoad formam dicendi difficilia ſunt. Maſorethae jam obſervarunt aliquam varietatem in Codd. circa vocem יסורי quam nempe per ו loco י ſcriptam invenerant וסורי At enim vero neutra lectio, neque textualis, neque marginalis, removet difficultatem, quae eſt in affixo primae perſonae, quod non niſi ad Deum referri poteſt. Perſonarum mutatio in his tribus verbis, cum tamen propheta in antecedentibus et ſequentibus loquitur, durior videtur, ſive Keri legamus יְסוּרַי *caſtigati mei*, h. e. a me, vel *reprehenſiones meae in terra ſcribentur*, ſive Cetib וְסוּרַי *et defectores mei*. Hinc lectio antiquorum interpretum ſine dubio receptae praeferenda eſt, qui illud nomen in numero plurali legerunt וְסוּרִים Οἱ ὁ habent: *ἀφεστηκότες*. Syrus וְמָרוּדָא *et rebelles*. Vulgatus: *recedentes a te*. Chaldaeus: *impii*. Omiſſi vero Mem pluralis numeri, ſive per ſcriptionem abbreviatam, ſive ex ſcribarum errore, alia exempla paſſim a Criticis obſervata ſunt. — — Jam quod ad phraſin attinet, *in terra ſcribi*, de ſenſu ejus vix poterit dubitari, cum contextus aliam aegre admittat, quam comminationem: perdendos eſſe impios iſtos homines. Sed

illuſtratio ejus ex uſu loquendi, aut alia ſimili, nondum allata eſt quae ſatisfaciet. *Hubigantius* ingenioſam habet conjecturam, legendum fortaſſe eſſe מֵאֶרֶץ יִכָּרֵתוּ *e terra exſcindentur*, qua phraſi propheta ſimul reſpexerit ad praecedentem ſimilitudinem verſ. 6. qua impium cum arbore in terra arida plantata comparaverat, ex qua ille ſit extirpandus.

ad Cap. XXI, 14.] Pro בְּיַעְרָהּ *in ſilva ejus* legendum puto בְּעָרֶיהָ *in urbibus ejus*. Sic legerunt Syrus בְּקוּרִיה et Chaldaeus בְּקִרְוָהָא Difficilis explicatio lectionis receptae probabilem reddit hanc illorum interpretum. *Grotius* quidem *ſilvam* dictam eſſe putat pro aedibus ex cedro exſtructis, coll. XXII, 7. ubi cedrorum quidem mentio fit, ſed non ſilvae. *Venema* ſilvam figurate pro regione dici obſervat; quod tamen mihi hoc in loco non ſatisfacit. Caeterum mutationem perſonarum, quae in hac voce eſt, non attendi; praecedit ſecunda perſona, quam in verſione ſervavi. Affixum vero tertiae perſonae foeminini generis referendum eſt ad יֹשֶׁבֶת in verſu 13.

ad Cap. XXIII, 33.] Verba textus hebraei אֶת־מַה־מַשָּׂא LXX. interpretes aliter legerunt, iisdem literis ſervatis, modo alia ratione inter ſe junctis, nempe ſic: אַתֶּם הַמַּשָּׂא vertunt enim *ὑμεῖς ἐϛε τὸ λῆμμα*. Similiter etiam Vulgatus: *vos eſtis onus*. Quae lectio, cum longe elegantior ſit et genio linguae hebraeae convenientior, quam recepta, (retorquet enim

ſic

ſic propheta ambiguitatem illam, qua eum profani iſti homines ſua quaeſtione illuſerant) recte, uti arbitror, *Kennicottus, Hubigantius, Venema, Doederlein* in Additamentis ad *Grotii* Annott., *Struenſee* aliique eam ſequendam eſſe judicarunt. Nec tamen ſilentio praeterire poſſum, Syrum et Chaldaeum videri lectionem textus hebraei in ſuis codicibus habuiſſe. Ille vertit: *Dic illis* דְּמָרְיָא פִּתְגָמָה הָכַי *hoc eſt verbum domini.* Hic: *dices illis:* כְּדֵין נְבוּאֲתָא *talis eſt prophetia.* Admittunt enim verba hebraea hanc explicationem, quoniam אֵת nonnunquam etiam nota eſt nominativi. Sed illam τῶν ὁ et Vulgati lectionem meliorem eſſe, nemo linguae peritus, nec pertinacior textus maſorethici defenſor negabit.

ad Cap. XXV, 34.] In textu hebraeo forma verbi extat prorſus irregularis וּתְפוֹצוֹתִיכֶם quam Codex poſterior *Lilienthalii* analogiae nominis paullo convenientius exhibet וּתְפָצוֹתֵיכֶם quae reſpondet verſioni vulgatae, quae vocem illam ut nomen explicat: *et diſſipationes veſtrae.* Sic quoque Aquila, Symmachus et Theodotio: *καὶ οἱ σκορπισμοὶ ὑμῶν.* Syrus vertit וְתִתְּבְּרוּן *et frangemini.* Chaldaeus וְתִתַּבְּדְרוּן *et diſpergemini.* Οἱ ὁ prorſus omittunt. *Hubigantius* emendat: ותתפצותם *frangemini,* quod unde et quomodo formatum ſit, non intelligo.

ad verſ. eund.] *Et cadetis* כִּכְלִי חֶמְדָּה *ut vas pretioſum;* pro quo pluralem legerunt Vulgatus: *quaſi vaſa*

vaſa pretioſa, Syrus et Chaldaeus. Sed difficilem admittit haec comparatio explicationem. Chaldaeus addit: *qui eratis pretioſi ut vaſa deſiderabilia.* Elegantem affert *Venema* conjecturam, excidiſſe fortaſſe לֹא quod propter ſyllabam praecedentem ſimilem facile fieri potuit כִּכְלִי לֹא חֶמְדָּה *ut vaſa minime pretioſa.* Sed faciliorem adhuc lectionem exhibent *οἱ ό, καὶ πεσεῖσθε ὥσπερ οἱ κριοὶ οἱ ἐκλεκτοί.* Nimirum legebant כְּאֵילֵי *ut arietes.* Quae comparatio ei qua propheta utitur aptiſſima eſt. Nolui tamen eam in verſionem recipere, quod conſtat ſcriptores ſacros in ſervando tropo non ſemper ſatis eſſe conſtantes.

ad verſ. 38.] מִפְּנֵי חֲרוֹן הַיּוֹנָה וּמִפְּנֵי חֲרוֹן אַפּוֹ Receptam horum verborum lectionem exhibent Aquila, Symmachus et Theodotio: *ἀπὸ προσώπου ὀργῆς τῆς μεγάλης, καὶ ἀπὸ προσώπου ὀργῆς κυρίου.* Vulgatus: *a facie irae columbae et a facie irae furoris domini,* inepte quidem ſignificationem vocis יוֹנָה *columbae* huc affert, attamen apparet, eum easdem literas legiſſe: ſed *οἱ ό* habent: *ἀπὸ προσώπου τῆς μαχαίρας τῆς μεγάλης*, reliqua omittunt. Igitur pro חרון legerunt חֶרֶב. Eandem lectionem habet etiam Chaldaeus: *a facie gladii inimici*, atque negari non poteſt eam propter loca parallela Cap. XLVI, 16. L, 16. valde probabilem videri. Attamen Syrus exhibet lectionem, quae illud יוֹנָה in quo haeremus, apte connectit cum חרון et cum ultima voce אַפּוֹ cujus affixum nimis remotum habet

habet ſubſtantivum. Nimirum vertit: *a conſpectu irae domini et a conſpectu ferventis irae ejus.* Planum eſt eum pro יוֹנָה legiſſe יהוה quod quam aptum ſit, non opus eſt ut oſtendam. Propterea quoque non dubitavi eam in verſione exprimere.

ad Cap. XXVI, 10.] בְּפֶתַח שַׁעַר־יְהוָה הֶחָדָשׁ LXX interpretes omittunt יהוה quod utique abeſſe poteſt ſalvo ſenſu: *ἐν προθύροις πύλης τῆς καινῆς.* Quodſi retinetur, legendum eſt: בית יהוה Sic Vulgatus: *in introitu portae domus Domini novae,* Syrus, Chaldaeus et tres Codices Erfurtenſes citati in Bibliis Halenſibus.

ad Cap. XXVII, 1.] Pro *Jojakim,* quod eſt in textu recepto, legendum eſſe *Sedekiam,* a recentioribus Criticis abunde probatum eſt. Scribarum errorem prodebat jam initium Capitis ſequentis, in quo cum hoc noſtro conciliando fruſtra interpretes laborarunt. Sed verſio Syriaca et Arabica et poſterior *Lilienthalii* Codex habent צדקיהו ita ut de hujus lectionis veritate non amplius poſſit dubitari.

ad Cap. XXXI, 7.] Pro עַמְּךָ *οἱ ὁ* et Chaldaeus legerunt עַמּוֹ Quae lectio ſine dubio melior eſt, quam ſi ex lectione recepta vertas: *ſerva, Jova, populum tuum.* Siſtitur liberatio populi ut jam facta, non ut futura.

ad Cap. XXXIII, 24.] Pro לְפָנֵיהֶם legendum videtur לְפָנַי. Ita non ſolum eſt in loco parallelo Cap. XXXI, 36. ſed etiam Syrus interpres ita legit: *quo minus*

nus ſit populus coram me, Chaldaeus fere utramque lectionem conjunxit: *quominus ſit amplius populus miniſtrans coram me in conſpectu eorum.* Vulgatus vero habet: *et populum meum deſpexerunt, eo quod non ſit ultra gens coram eis.* In verſione graeca deeſt hoc caput inde a verſu 14.

ad Cap. XXXVIII, 23.] Pro מוֹצְאִים *educentes* legendum eſt מוּצָאִים *educti,* uti eſt in verſu 22. Sic quoque habet Codex poſterior *Lilienthalii* et verſſ. Chald. Arab. et Vulg. — — *Et hanc urbem* תִּשְׂרֹף *combures* (Sedekias) *igne.* Quod vulgo ſic explicant: tu cauſa eris, ut urbs comburatur, quod ſpontanea deditione impedire potuiſſes. Sed ſine dubio legendum eſt aliis punctis ſubjectis תִּשָּׂרֵף ut eſt in verſu 17. et alias ſemper. Forſan non intellexerunt uſum particulae את quae et nominativo praemitti ſolet, et vim habet monſtrandi, ut verſu 16. ubi male a Maſorethis expungitur. Sic quoque legitur in Codice poſteriori *Lilienthalii.* Antiquiores interpretes diſſentiunt. Οἱ ό et Chaldaeus paſſive verterunt, *comburetur.* Vulgatus retulit verbum ad regem Babylonis: *et civitatem hanc comburet igne:* ſed ſic legendum eſſet יִשְׂרֹף. Syrus tamen lectionem receptam expreſſit: *et hanc urbem* ܬܘܩܕ *combures igne.*

ad Cap. XL, 5.] In verba textus hebraei וְעוֹדֶנּוּ לֹא יָשׁוּב ſine dubio error ſcribarum irrepſit, difficulter ex verſionibus antiquis emendandus. Nam in his tan-

tantus eſt diſſenſus, quantus vix in ullo alio loco. Singulae ſingulas lectiones exhibent diverſas. Verba verſionis graecae *εἰ δὲ μὴ ἀπότρεχε* non reſpondent verbis illis hebraeis, ſed omnino textus hebraeus, quo illi interpretes uſi ſunt, ſermones ducis Chaldaei ad Jeremiam breviores exhibuit, quam is quem nos legimus. Vulgatus habet: *et mecum noli venire.* Inepte. Nam repugnat antecedentibus. Syrus: *Dixit etiam ad eum, ſi manes, commorare apud Gedaljam.* Fortaſſe verba hebraea ſic legit et intellexit: וְעֹוֶן כִּי *et adhuc ille*, ſc. dixit: תֵּשֵׁב לוֹ *ſi manes*, שֵׁב *mane apud Gedaljam.* —— Chaldaeus: *Si non vis reverti* ſc. Babylonem, *revertere ad Gedaljam.* Tunc ſcriptum eſſe deberet: אִם לֹא חָשׁוּב שׁוּב וגו״ *Montefalconius* affert verſionem graecam incerti auctoris, quae illa verba ſic reddidit: *καὶ πρὶν ἢ ἀπαλλαγῶ ἐγὼ, ἔτι ἐμοῦ οὐκ ἀποτρέψεις ἀπότρεχειν*; quae videtur eſſe duplex verſio hebraeorum verborum et duplex quoque eorum lectio. Altera quidem fuiſſe videtur: עַד כִּי לֹא אָשׁוּב Alteram ex verbis graecis, quae corrupta videntur, nolo divinare. -- Recentiores interpretes ex conjectura textum hebraeum emendant. *Vatablus* quidem et alii hunc ſenſum verborum faciunt: *cum nondum reſponderet* ſc. Jeremias: *dixit Nebuſaradan: revertere igitur ad Gedaljam.* Sic legendum eſſet יָשִׁיב nam *reſpondere* eſt הֵשִׁיב דָּבָר et duplex ellipſis verbis ineſſet: primo *τοῦ* דבר deinde *τοῦ* אמר ad ſequentia verba. *Struenſee*, ut alteram

ellipſin

ellipſin vitaret, vertit: *cum nondum iret, ſ. diſcederet* (und als er noch nicht ging, ſezte er hinzu). Sed dubito an שׁוּב ſic dicatur. S. R. *Doederlein* עוֹרְכוּ שָׁוֹ alia puncta ſubjicit, et ſic vertit: *praeda quidem noſtra* עֲרְכוּ *non revertetur*. Quicunque abducti fuerunt, non obtinebunt redeundi veniam. *Itaque tu revertere* etc. Quae conjectura, ut ingenue fatear, non tam facilis eſt, quam ſolent eſſe pleraeque aliae Viri Doctiſſimi. — *Hubigantius* pro לֹא יָשׁוּב legit לֹא יָשָׁר *non rectum eſt*, et ex ſuperiori linea repetit לְעֵינֶיךָ *in oculis tuis*. Sic vertit: *Quodſi hoc etiam non placebit, abi ad Godoljam.* — — Quanquam in tanta lectionum et ſententiarum diverſitate optio valde difficilis eſt, tamen ut illam *Vatabli* explicationem in verſione ponerem, contextus mihi perſuaſit. In verſu quarto Nebuſaradan Jeremiae inter haec duo optionem reliquerat, vel ut ſecum Babylonem iret, vel ut in Palaeſtina maneret ubicunque vellet. Igitur verba illa verſus quinti, de quibus ſermo eſt, non ſatis apte videntur explicari a *Venema* et aliis de reditu, vel regis Babylonis, vel Nebuſaradanis Babylonem, qui nihil pertinebat ad Jeremiam. Sed hunc haeſitaſſe et non auſum fuiſſe duci reſpondere, et quid optet, libere dicere, perquam probabile eſt. Quod cum Nebuſaradan intelligeret, dixit: *Redi igitur ad Gedaljam et mane inter populares tuos*, quod video quoque te ipſum malle etc. Si quis vero Syri aut Chal-

Chaldaei lectionem praeferendam judicet, contextui aeque aptam, non repugno. Nihil definio.

ad Cap. XLIV, 9.] Non commodam admittit explicationem lectio recepta נָשָׁיו *uxorum ejus.* Affixum eſſe deberet pluralis numeri, referendum ad reges נְשֵׁיהֶם quod etiam Syrus et Chaldaeus expreſſerunt דִנְשֵׁיהוֹן et נְשׁוֹתָיו Sed cum omnino rara ſint exempla impietatis commemoratae reginarum Iſraëliticarum, nec praeter Ataliam et Jeſabelem in hiſtoria ſacra extent, graecae verſionis lectio utique praeferenda videtur, quae habet *τῶν ἀρχόντων ὑμῶν*, *principum veſtrorum*, ex vocabulo admodum ſimili ei quod in textu hebraeo legitur, nempe נְשִׂיא, hoc enim malim ſubſtituere, quam שָׂר quod *Cappellus* et *Hubigantius* ab illis interpretibus lectum exiſtimant, nimis diverſum in literis, quam ut a ſcribis permutari potuiſſet. Quanquam enim illud שָׂר in ſimili contextu, verſu 17. et 21. legitur, tamen neceſſe non eſt, ut et hoc in loco legatur. Num vero ſcriptum ſuerit נְשִׂיאֵיכֶם uti *οἱ ό* vertunt, an נְשִׂיאָיו ita ut affixum ad praecedens יְהוּדָה referatur, nolo quidem definire, quanquam hoc probabilius videtur et a lectione recepta minus recedit.

ad Cap. XLVI, 8.] Pro מַיִם legendum videtur מֵימָיו *aquae ejus*, ſc. Aegypti. Contextus hoc affixum manifeſte requirit. Quod etiam in ſuis verſionibus expreſſerunt Syrus, Chaldaeus et Vulgatus. Propter

ſequens Vau fortaſſe omiſſum eſt errore ſcribarum, cujus plura exempla jam obſervata ſunt.

ad verſ. 20.] In textu eſt בָּא בָּא quae poteſt eſſe repetitio emphatica: *certiſſime veniet*, ut Pſ. XCVI, 13. Ezech. VII, 6. Sed *Hubigantius* laudat Codicem in quo alterum בא per ה ſcriptum ſit, hoc eſt בָּהּ *in eam*. Atque ita quoque legerunt *oi ó*, Syrus, Chaldaeus et Vulgatus.

ad Cap. XLVIII, 4.] Pro צְעוּרֶיהָ *parvuli ejus*, legendum eſt צֹעֲרָה *verſus Zoaram*, quod nomen urbis diſerte legitur Jeſ. XV, 5. Sed etiam *oi ó* intellexerunt *eis Zογόρα*. Indicium hujus lectionis ſupereſt in ו quod ſecundum Cetib legitur, atque a LXX interpretibus etiam lectum eſt, mutatum vero in Jod ab eis, qui pro nomine appellativo habebant. In quo tamen reliqui interpretes antiqui diſſentiunt: Syrus explicat per *pauperes ejus*, Chaldaeus שִׁלְטוֹנֵיהוֹן *dominatores ejus*. Vulgatus omnium maxime inepte: *annunciate clamorem parvulis ejus*.

ad Cap. LI, 3.] Poſterius ידרך ipſi Maſorethae notarunt in aliis Codd. non extare, neque lectum eſt ab interpretibus antiquioribus. In quatuor Codd. *Kennicotti* et poſteriori *Lilienthalii* legitur הַדֶּרֶךְ vel ex ſcribae errore, vel, quod magis probabile videtur, ex correctione, quae aliquem ſaltem vocis ſuperfluae ſenſum faceret. Quod ad connexionem hujus verſus attinet, facillima ea eſt, ſi modo obſervetur, verba ejus

priora

priora conſtruenda eſſe cum verbis כי הָיו in verſu praecedenti. *Erunt*, h. e. irruant ſ. impetum faciant, אֶל אֲשֶׁר יִדְרֹךְ pro אֶל יִדְרֹךְ *contra eum, qui arcum tendit*, quod אֲשֶׁר etiam ſupplendum eſt ante יתעל. Sic lectio recepta ſatis bene, uti arbitror, poteſt defendi. Nec eſt quod lectionem *τῶν ό* praeferendam judicemus, qui utrumque אל omittunt, *τεινέτω ό τείνων τὸν τόξον αὐτοῦ καὶ περιθέσθω ῷ ἐστιν ὅπλα αὐτοῦ.* Chaldaeus et Vulgatus pro אֶל legerunt אַל *non tendat, qui tendit arcum ſuum et non aſcendat loricatus.* Male. Sic enim haec dicta eſſent Babyloniis, cum tamen in ſequentibus ſermo ſit ad Perſas directus. Singularem hujus loci lectionem exhibet Syrus, quam non poſſum ſilentio praeterire: לא נֶשְׁלֵא מֵן דשׁדא בְקֶשְׁתא *ne deſiſtat, qui jaculatur arcu.* Nimirum legit אַל יֶרֶף הַדֹּרֵךְ בְּשֶׁתוֹ *Hubigantius* quidem aliter judicat de hac lectione et putat illum interpretem legiſſe אל ירף מדרך הדרך קשתו *Ne remittat a tendendo, qui tendit arcum.* Sic alterum illud ידרך non prorſus e textu eſſe tollendum, ſed mutandum in מדרך. At enim vero fateor, me nullum in verſione Syri videre indicium illius lectionis, quam *Hubigantius* ei ſubjicit. — — Poſterius membrum ille interpres ſic vertit וְלא נֶשְׁלַח שׁריונֵה קְרָבְתנא *neque deponat loricam ſuam bellator.* Senſu quidem non incommodo, ſi legatur אַל pro אֶל de quo ſupra. Deinde parum accurate יתעל explicatur *exuere ſe, ſ. deponere.* Etenim

עלה non eſt *tollere*, *auferre*, quod *Hubigantius* dicit, ſed in primaria ſignificatione *exaeſtuavit*, hinc in Hithpael recte ex analogia a recentioribus interpretibus explicatur, *ſuperbire, jactare ſe*, quanquam alia exempla hujus Conjugationis non occurrunt.

ad verſ. 64.] Difficilem habet verbum יִעֲפוּ explicationem. Praecedit verbum ſingularis numeri תשקע cum quo per copulam Vau jungitur, quod utique paullo durius videri poteſt. *Venema* de hoc verbo et ſimul de verſu 58. conjecturam attulit, ingenioſam illam quidem, ſed paullo audaciorem, uti arbitror. Nimirum exiſtimat verſum 58. omnino non ſuo loco ſtare, ſed ex verſu 64. in illum eſſe translatum, ſive incuria, ſive ſtudio collectoris vaticiniorum Jeremiae, qui haec verba, quoniam partem faciunt prophetiae Jeremiae contra Babelem, per modum appendicis ad illum verſum transtuliſſet. Duplici ratione conjecturam ſuam probavit. Primo quod ille verſus in illo contextu minus aptus ſit, in hoc vero aptiſſimus. Deinde verbum ויעפו illum verſum claudit, atque etiam hunc, in quo duriorem admittit interpretationem. Sed ut nihil dicam de nexu, qui durior mihi videtur, obſervo tantum teſtimonia veterum interpretum omnium eſſe pro ordine recepto verſuum, et plerorumque pro lectione τοῦ ויעפו in verſu 64. LXX. interpretes tantum hoc omittunt, ſed Syrus, Chaldaeus, Vulgatus illud habent. Etiam Aquila, lectione

tamen

tamen diverſa, *καὶ ἐςάθησαν*, num וַיַּעַמְדוּ? quod minus aptum eſſet, quam יַעַמְדוּ. *Hubigantius* legi vult וַיִּסְבּוּ et cum ſequentibus jungi: *hic deſinunt verba Jeremiae*. Sed tunc ſcribendum eſſet וְכַפּוֹ a סוּף non a יסף et propter ſequentia עד הנה prorſus eſſent ſuperflua. Equidem ex obſervatione *Schroederi* (ad Origines pag. 94.) verti *rotabit*, quae primaria verbi עוּף eſt ſignificatio, uti lapis vi in aquam projectus inter *ſidendum* (quod eſt שקע) *rotat*, donec fundum attingat.

ad Cap. LII, 20.] Quoniam ex 1 Reg. VII, 25. coll. 27. conſtat boves duodecim aeneos fuiſſe ſub lacu, non ſub baſibus, ſive lavacris minoribus, equidem non dubito quin legendum ſit אֲשֶׁר תַּחַת הַיָּם וְהַמְּכֹנוֹת Sic quoque legerunt *οἱ ὁ, ὑποκάτω τῆς θαλάσσης*, omiſſis tamen *baſibus*. Vulgatus et Chaldaeus tantum habent lectionem receptam textus hebraei, a qua Syrus longe recedit. — — Perquam ingenioſe eam cum hiſtoria ſacra conciliare ſtuduit S. R. *Doederlein* in Additt. ad *Grotium*, dum verba hebraea vertit: *et vitulos — qui baſium loco erant*. Equidem concedo verba hebraea admittere hanc interpretationem. Attamen dubito, num מְכֹנוֹת in hoc contextu de aliis baſibus, quam de lavacris illis minoribus l. c. Regum deſcriptis et hoc ipſo nomine nominatis intelligi poſſint. Nam cum hoc loco omnia vaſa templi nominentur a Chaldaeis ablata, mihi quidem probabile non videtur הַמְּכֹנוֹת *lavacra illa minora*, in oppoſitione nempe ad הים vas illud

 maxi-

maximum, omitti, quorum ſtructura non minus atque hujus artificioſa, et pondus et pretium aeris haud paullo inferius fuerit neceſſe eſt.

NOTAE CRITICAE IN THRENOS JEREMIAE

Ad Cap. I, 14.] Verbum נִשְׂקַד quod ex contextu tantum vulgo vertunt *ligatum*, ſ. *compactum eſt*, nam praeter h. l. non amplius extat, omnes interpretes antiqui, ſi a Chaldaeo diſceſſeris, legerunt per שׁ, neque in eo ſolum, ſed etiam in ſequentibus a lectione recepta valde diſſentiunt. Oἱ ό ſic habent: *ἐγρηγορήθη ἐπὶ τὰ ἀσεβήματά μου, ἐν χερσί μου συνεπλάκησαν, ἀνέβησαν ἐπὶ τὸν τράχηλόν μου*. Facile apparet eos legiſſe נִשְׁקַד עַל פְּשָׁעַי בְּיָדִי וג׳ Similiter Arabs. Vulgatus cum illis tantum in lectione τοῦ נִשְׁקַד conſentit: *Vigilavit jugum iniquitatum mearum; in manu ejus convolutae ſunt et impoſitae collo meo.* Quisque intelligit, ſenſum ex hac lectione non ſatis aptum eſſe. Neque magis placet Chaldaei explicatio: אִתְיַקַּר *aggravatum eſt jugum peccatorum meorum in manu ejus, convoluta ſunt ut propagines vitis*, (verbum nempe שָׂרַג deduxit a שָׂרִיג *palmes*, ſive de ſuo hoc addidit ad ſententiam ſupplendam,) *aſcenderunt ſuper collum*

lum meum. Aſt veram lectionem ſupereſſe putem in verſione Syriaca, quae ſic habet: *Experrecta ſunt contra me peccata mea, et manibus ejus connexa ſ. complicata ſunt* (idem verbum habet quod eſt in textu hebraeo: אֻכְתְּרֵגוּ) *juga ejus ſuper collo meo.* Nempe legit: נִשְׂקְדוּ עָלַי פְּשָׁעַי וּבְיָדָיו יִשְׂתָּרְגוּ עָלָיו עַל־צַוָּארִי Sic omnia verba apta ſunt ſimilitudini, qua ſacer poëta utitur; neque opus eſſe putem criſi *Hubigantii*, qui pro נִשְׂקַד legi vult נַעֲקַד aut נִקְשַׁר *ligatum eſt.* Nam cum *οἱ ό* et Vulgatus conſentiant in lectione literarum τοῦ נשקד (de Chaldaeo tantum incertum eſt, quid aut quomodo eas legerit) nihil quoque in eis mutandum eſſe judico; in reliquis vero lectio Syri interpretis eo magis probanda videtur, quo frequentiores ſunt hujus generis errores a ſcribis admiſſi.

ad Cap. II, 16.] Quoniam in hoc Capite, uti in praecedente, literae initiales ſingulorum verſuum reſpondent ſingulis Alphabeti literis, quaeſiverunt interpretes de cauſa ordinis hujus non ſervati in hoc verſu et ſequenti, in quibus literae ע et פ ſunt permutatae. *Hubigantius* quidem rationem hujus anomaliae tantum ex negligentia ſcribarum repetendam eſſe putat, qui in diverſis columnis ab ordine literarum aberraverint. *Grotius* vero aliique putant ordinem quarundam literarum apud Hebraeos promiſcuum ſive indifferentem fuiſſe, uti in aliis linguis, v. c. in Arabica, in qua literae Vau et He

etiam promiſcue ponuntur. Quae, ſi poſſent de lingua Hebraea aliis exemplis probari, utique ſufficerent dubitationi ſolvendae.

ad verſ. 18.] Plerique interpretes verba textus חוֹמַת בַּת־צִיּוֹן putant eſſe apoſtrophen ad moenia Sionis, quae propheta alloquatur et per proſopopoeiam lacrimas fundere jubeat. Sed quanquam non ignoro, quantum ſibi poëtae orientales in affectu vehementiori indulgeant, tamen audacior mihi haec videtur proſopopoeia, quam ut eam a ſacro poëta adhibitam poſſim concedere. Igitur putem ea conſtruenda eſſe cum praecedentibus: *Clamat cor eorum ad Dominum,* quod etiam facit ex antiquioribus interpretibus Vulgatus, qui vertit quaſi legiſſet עַל *ſupra muros filiae Sion.* Qua lectione admiſſa utique durities illa, de qua dixi, emollitur. Sed neque *οἱ ό* neque Syrus et Chaldaeus legerunt iſtud עַל. Syrus vero alia ratione illa verba jungit prioribus, nempe ut ſint in ſtatu conſtructo cum אֲדֹנָי. *Clamat cor eorum ad dominum murorum filiae Sionis.* Sic pro חוֹמַת legendum eſſet חוֹמוֹת quod etiam *οἱ ό* legiſſe videntur, qui tamen ea non jungunt antecedentibus, ſed ſequentibus: *τείχη Σιὼν καταγάγετε ὡς χειμάῤῥους δάκρυα κ. λ.* *Hubigantius* quidem faciliorem adhuc lectionem ex conjectura ſubſtituit: *Clamat cor eorum, domine, ad virginem filiam Sion: deduc, quaſi torrentem* etc. Sed cum verſiones anti-

antiquae maximam partem conſentiant lectioni textus hebraei, non putem vocem בְתוּלַת excidiſſe.

NOTAE CRITICAE
IN
EZECHIELEM

Ad Cap. III, 6.] לֹא poſt אִם non admittit explicationem, neque lectum eſt ab ullo interpretum antiquorum. Scribarum errore ex quarta voce praecedente repetitum eſt, vel cum ſequentibus literis transpoſitum, quae *Hubigantii* conjectura eſt. Quicquid ſit, verba fluunt nexu non impedito, ſi illud לֹא omittitur.

ad verſ. 15.] Lectio textualis habet וָאֲשֶׁר ſed marginalis וָאֵשֵׁב Oἱ ὁ, *τὺς ὄντας ἐκεῖ* legerunt אשׁר omiſſo Vau. Chaldaeus וְנָחֵית בֵּינֵיהוֹן *quievi inter eos*, videtur אֵשֵׁב legiſſe, ut et Hieronymus: *et ſedi ubi illi ſedebant.* Syrus haec verba omittit. Miror interpretibus pleriſque lectionem marginalem probari, quae tamen durior eſt textuali, nam ſupplendum eſt אֲשֶׁר, alias prorſus ſenſum non habet. Sed lectio textualis, omiſſa tamen litera Vau, quam et *οἱ ό* non legerunt, facillimum ſenſum ſuppeditat, qui in verſione eſt indicatus.

ad Cap. V, 7.] Secutus quidem ſum in verſione lectionem receptam, ſed fateor, me valde

 incli-

inclinare ad aliam, qua לֹא ante ultimam vocem עֲשִׂיתֶם omittitur. Quod fit in Codice Regiomontano, editione Gerſonis et Verſione Syriaca. Accedit etiam locus parallelus Cap. II, 12. ubi eadem ſententia omiſſo לֹא legitur. Sed habent negationem *οἱ ό*, Chaldaeus, Arabs et Vulgatus. Quae cum ſenſum gravem efficit et reprehenſionem ſeveram continet, retinendam eam putavi. Idem quoque S. R. *Lilienthalius* cenſuit.

ad Cap. VII, 5.] Pro אחת habent אחר Codex unus *Hubigantii* et Codex Regiomontanus necnon Chaldaeus: *malum poſt malum.* De Syrio non liquet: vertit enim *malum* חֲלִף *pro malo* quaſi legiſſet תַּחַת. Verum et illum ſenſum ejus verſio admittit. Propter has auctoritates lectionem אחר in verſione expreſſi. At enim vero non poſſum ſilentio praeterire explicationem lectionis receptae non contemnendam, quam *Schultenſius* dedit in Commentario ad Jobum pag. 251. ubi obſervat Arabibus אחת dici etiam pro *re miranda et inuſitata,* pro *caſu atroci.* Quam ſignificationem contextui eſſe aptiſſimam nemo neget.

ad verſ. 11.] Vocabulum *ἅπαξ λεγ.* נֹהַּ *Simonis* in Lexico deducit a נהה *lamentatus eſt*, hinc nomen ſubſtantivum eſſe vult *luctum* ſignificans. Sed obſtare videtur ejus forma, quae non radicem tertiae He, ſed mediae quieſcentis prodit. Igitur, donec certiora edocemur, ſequendam putavi lectionem editionis Gerſonia-

ſonianae, quae habet נִיחַ Vulgati interpretis, qui vertit: *et non erit requies in iis*, et Syri, qui ſenſum quidem longe diverſum nec tamen incommodum fecit: וְלָא אֶתְתְּנִיחַ בְּהוֹן *et non placabitur illis.*

ad Cap. VIII, 16.] Pro מִשְׁתַּחֲוִיתֶם legendum eſt מִשְׁתַּחֲוִים Illud enim eſſet forma Syriaca contracta ex מִשְׁתַּחֲוִים אַתֶּם *adorantes vos*, h. e. *adoratis.* Quod vero a contextu prorſus eſt alienum. Sed veram lectionem habet Codex poſterior *Lilienthalii*, atque omnes verſiones antiquae pronomen ſecundae perſonae omittunt.

ad Cap. XI, 7.] Pro הוֹצִיא codex poſterior *Lilienthalii* habet אוֹצִיא in prima perſona, *extraham*, quam etiam omnes verſiones exprimunt et contextus requirit.

ad verſ. 15.] Non dubito quin pro אַנְשֵׁי גְאֻלָּתֶךָ legendum ſit אַנְשֵׁי גוֹלָתֶךָ *viri captivitatis tuae.* Nam ſignificatio, quam vocabulo lectionis receptae גְאֻלָּה tribuunt, *cognationis*, ex locis illis, in quibus hoc vocabulum occurrit, probari non poteſt. Alias enim ſemper jus redemtionis ex cognatione notat. Accedit etiam auctoritas antiquarum verſionum. LXX interpretes habent: *καὶ οἱ ἄνδρες τῆς αἰχμαλωσίας σου*, et Syrus אַנָשָׁא דַשְׁבִיתָךְ Sic noſter etiam alias loqui ſolet, e. c. verſu 24. et 25. Pro lectione recepta ſunt Chaldaeus et Vulgatus.

ad

ad Cap. XIII, 5.] In textu hebraeo legitur לֹא עֲלִיתֶם בַּפְּרָצוֹת *non aſcendiſtis ruinas.* Sed *oi ο'* et Chaldaeus legerunt עֲמַדְתֶּם *ſtetiſtis.* Illi enim vertunt: *οὐκ ἔστησαν ἐν στερεώματι*, hic: לָא קֲמְתּוּן בְּתַרְעָתָא. Non jam quaeram de ratione verſionis minus bonae Graecorum quoad vocem פְּרָצוֹת cujus contrariam potius ſignificationem per *στερέωμα* indicarunt, id tamen plane conſtat eos non verbum עלה ſed עמד legiſſe. Idem etiam de Chaldaeo certum eſt. Atque hic conſenſus interpretum adeo diverſorum movet me, ut hanc lectionem receptae judicem praeferendam, quae praeterea loco parallelo Cap. XXII, 30. atque Pſalmo CVI, 23. ubi eadem phraſis extat, firmatur. Receptam lectionem quoad verbum עליתם habent Syrus לָא סְלֶקְתּוּן בְּתוּרְעָתָא *non aſcendiſtis in rupturam*, et Vulgatus: *non aſcendiſtis ex adverſo.* Caeterum haec non prophetis iſtis falſis dicta videntur, ſed principibus, qui coërcere debebant iſtam iſtorum hominum impudentiam.

ad verſ. 11.] Pro וְאַתֵּנָה *et vos*, legendum puto וְאֶתֵּן *et dabo.* Sic legerunt *οἱ ο'*, *καὶ δώσω*, Syrus, Vulgatus, *et dabo lapides praegrandes.* Chaldaeus illam vocem non expreſſit. Firmatur haec lectio verſu 13. in quo propheta pro more ſuo eandem rem clarius dicit et explicat. Apoſtrophe ex lectione recepta ad lapides nimis dura videtur.

ad

ad verſ. 20.] Prius לְפֹּרְחוֹת neque *οἱ ό* neque Syrus legerunt. Et profecto difficilem admittit explicationem. Vulgatus perquam inepte: vos capitis animas *volantes*. Sed poſterius recte explicatur ex ſignificatione verbi פָּרַח in lingua Syriaca *avolare faciam eos*, ſic enim metaphora continuatur a venatione ſumta in verbo צוּד.

ad Cap. XIV, 3.] Pro הַאִדָּרֹשׁ ſine dubio legendum eſt הֲהִדָּרֵשׁ *num quaerendo requirar ab eis*. Quem verborum ſenſum etiam antiqui interpretes exhibent.

ad Cap. XVI, 16.] Lectio recepta לֹא בָאוֹת וְלֹא יִהְיֶה ſuſpecta videtur, nec tamen audeo aliam ſatis probabilem ſubſtituere. Expreſſi in verſione ſenſum quem Vulgatus interpres dedit contextui ſatis aptum: *Sicut non eſt factum, neque futurum eſt.* Obſcure *οἱ ό, καὶ οὐ μὴ εἰσέλθῃς, οὐδὲ μὴ γένηται.* Aeque obſcure Syrus: *non ingredieris, neque tuae erunt*, ſcilicet *imagines* קְנִיתָא. Sic enim vertit בְּמוֹת טְלָאוֹת. Chaldaeus in ſenſu fere convenit cum Vulgato: *praeter fas et decorum.*

ad Cap. XVIII, 10.] In textu hebraico eſt: וְעָשָׂה אָח מֵאַחַד מֵאֵלֶּה Sed non video quam admittat *τὸ* אָח explicationem. Nullus interpretum antiquorum illud expreſſit, praeter Chaldaeum. Vulgatus habet: *et fecerit unum de iſtis.* Sic quoque Syrus. Oi ό ſenſum tantum exprimunt: *καὶ ποιοῦντα ἁμαρτήματα.*

ματα. Chaldaeus vero legit illud אֶת dum vertit: *et fecerit fratri ſuo unum ex iſtis.* At enim vero tunc ſcriptum eſſe deberet לאחיו Duplex vero ellipſis, praefixi et affixi, durior mihi videtur. In altero Codice Regiomontano omiſſum fuit, ſed in margine additum. Mihi quoque videtur omittendum atque errore ſcribae ob ſequentem vocem ſimilem proclivi inſertum. Quoad conſtructionem verbi עשה ſequente מ cf. Levit. IV, 2.

ad verſ. 17.] In voce מֵעָנִי *a paupere* putem alia puncta ſubjicienda eſſe et legendum מֵעָנֶי quod paſſive accipio, de miſeria, qua alter afficitur. Reſpondent enim haec verba verſui 8. ubi eſt מֵעָוֶל Sic etiam *οἱ ό, καὶ ἀπὸ ἀδικίας ἀπέστρεψε τὴν χεῖρά σου.* Sed Vulgatus: *A pauperis injuria.* Longius adhuc recedunt Syrus: *A paupere non avertit manum ſuam,* et Chaldaeus, iisdem verbis utens. Ex horum interpretum lectione excidiſſet e textu hebraeo לֹא. Verſus octavus non prorſus quaeſtionem decidit, quoniam propheta noſter in repetitionibus interdum quoad phraſes ſolet variare. Nec tamen ſenſus magnopere differt, quocunque modo legatur.

ad Cap. XIX, 7.] Lectio recepta וַיֵּדַע אַלְמְנוֹתָיו ex uſitatiori vocum ſignificatione non habet ſenſum probabilem, quanquam ſunt, qui eum defendant et de violatione viduarum interfectis maritis locum explicent. Atque etiam ex antiquioribus interpretibus non-

nonnulli aliam eamque meliorem ſive lectionem ſive explicationem indicant: Chaldaeus quidem vertit: וְאַצְדֵי בִּרְנְיָתֵיהּ *diruit palatia ejus:* ut legiſſe videatur: וַיָּרַע אַרְמְנוֹתָיו Oi ὁ habent: *καὶ ἐνέμετο ἐν τῷ θράσει αὐτοῦ.* Hi quoque, ut Chaldaeus, non ידע ſed ירע legerunt, quod tamen non ut ille a רעע ſed a רעה derivarunt. אַלְמְנוֹתָיו videntur deduxiſſe ab אלם quod Chaldaice etiam eſt, *fortis, robuſtus fuit.* Vulgatus obſcure: *didicit viduas facere*, ſcilicet interfectis maritis. Quid Syrus legerit, non ſatis conſtat. וְהַלֵּךְ בְּעוּשְׁנָה. *cum proficeret in fortitudine.* Quoad poſteriorem vocem videtur cum verſione graeca conſentire, ſed non quoad priorem. Quid igitur ex his omnibus eligamus? *Bochartus* quidem (in Hieroz. P. I. L. 3. C. 4. p. 760.) cui multi e viris doctis aſſentiuntur, praeferendam judicat lectionem Chaldaei, quam habuiſſe videtur, uti ſupra indicavimus. Sed nulla lectionis receptae mutatione opus eſſe exiſtimavit *Simonis* in Lexico ſub voce ידע. Nam יָדַע derivavit ab Arab. רעה دعا quod in tertia conjugatione ſignificat *demolitus eſt, diruit (Golius* p. 835.), אַלְמָנָה vero ex ſignificatione Chaldaica verbi אלם *fortis fuit, fortalitium,* ſ. *aedificium ſplendidum.* Confer dicta ad Eſ. XIII, 22. in notis criticis. Quam ſententiam vidi quoque probari *Lilienthalio* in Comment. critica. Sed ſi dicendum eſt, quid mihi videatur, equidem putem veram lectionem eſſe וַיָּרַע quod LXX interpretes in ſuo codice

dice manifeſte produnt Reſch, non Dalet habuiſſe, quanquam vocem aliter explicant ac Chaldaeus. Quod vero alteram vocem אלמנותיו attinet, utique apparet τοὺς ό, Syrum, Vulgatum legiſſe in ea ל non ר, ita ut non prorſus improbabile ſit quod *Lud. de Dieu* ad Jeſaiae l. c. adſtruxit אלמנה de aedificio magnifico ſ. palatio quoque dictum fuiſſe.

ad verſ. 10.] Equidem non dubito, quin lectio recepta hujus loci mendoſa ſit. בְּדָמְךָ *in ſanguine tuo*, quid ſibi velit, nemo cum veritatis quadam ſpecie dixerit. Sed ambigo inter duas lectiones, quas Codices ſive verſiones antiquae habent. LXX quidem interpretes habent: *ἐν ῥοᾷ, in malo granato*, legentes nempe ברמון Cujus lectionis S. R. *Doederlein* commodum ſenſum oſtendit, dum obſervat vites ſaepe ad arbores plantatas fuiſſe et ab his fultas. Atque ר illud, quod οἱ ό habuerunt, exhibet etiam poſterior Codex Regiomontanus בְּרָמְךָ *in excelſo tuo*, h. e. in ſtatu tuo felici et fortunato. Attamen de hujus lectionis veritate dubito propterea, quod affixum ſecundae perſonae in hoc contextu non aptum eſt; in tertia perſona dicendum fuiſſet ברמה *in ſtatu ſuo felici*. Supereſt Chaldaeus, qui habet: *coetus Iſraël ſimilis erat viti*. Is igitur legit vel בְּרִמּוֹן vel בְּרָמָה uti *Hubigantio* placet. — Quod antea faſſus ſum, inter hanc et illam τῶν ό lectionem dubius haereo, interim Chaldaeum expreſſi in verſione.

ad

ad Cap. XXI, 15.] Verba textus: אוֹ נָשִׂישׂ שֵׁבֶט בְּנִי מֹאֶסֶת כָּל־עֵץ, *aut gaudebimus virga filii mei, ſpernit omne lignum,* in mendo cubare, nemo niſi moroſus lectionis receptae defenſor negaverit. Nullus interpretum antiquiorum praeter Chaldaeum verba illa, in quibus ſumma eſt difficultas, אוֹ נָשִׂישׂ ſic legit, aut intellexit. LXX quidem interpretes ſic habent: *ἑτοίμη εἰς παράλυσιν· σφάζε, ἐξουδένει, ἀπόθου πᾶν ξύλον.* Recte, uti arbitror, S. R. *Doederlein* divinavit, quod *Grotius* parum feliciter tentaverat, eos legiſſe אֶל נָסִיס ſive אֶל נָשִׂישׂ quod verbum, ſive per שׂ ſive per ס ſcribatur, in lingua Arabica ſignificat *debilitari, infirmari.* Deinde pro שֵׁבֶט legerunt שְׁחט, et pro בְּנִי, בְּזִי a בזה *contemſit.* Syrus etiam uti οἱ ό verba per Apoſtrophen ad gladium directa explicat: *Te compara ad caedem faciendam et coruſcandum, compara te ad exagitandum ſtirpem filii mei et ſperne omne lignum.* Ad quam verſionem primo obſervo, Syrum interpretem verbum מרט, quod in textu legitur, neque dubiae ſignificationis eſt, neque linguae Syriacae ignotum, explicare per verbum generis: אֶתְטַיַּב *para te, inſtrue.* Mihi quidem non videtur aliter legiſſe. Deinde ultima verba verſus praecedentis וְגַם מְרוּטָה jungit cum hoc et nectit cum ſequentibus verbis, usque ad vocem ברק. Tandem מוֹרָטָּה אוֹ וגו״ iterum jungit ut alterum verſus hemiſtichium conſtituant: *compara te* לְמָרְתְעוּ לְשַׁרְבְתֵה דְבְרִי *ad exagitandam ſtirpem filii*

mei. Verbum vero מרח quod manifeſte reſponderé debet verbis hebraeis אוֹ נָשִׂישׂ *Caſtellus* explicát per *exagitavit, luxavit:* quod quoad ſenſum convenit cum verſione graeca *εἰς παράλυσιν*, ita ut non dubitem, quin uterque interpres non אוֹ נָשִׂישׂ ſed vel אֶל נְסִים ſive לְנְסִים legerit, de quo verbo ſupra jam dictum eſt. Verſio Vulgati interpretis ab illa, quae Syri eſt, quoad ſenſum non differt: *Qui moves ſceptrum filii mei, ſucciſiſti omne lignum. Hieronymus* quidem eam ſic explicat, ut ſit Apoſtrophe ad gladium Nebucadnezaris directa: *Tu es qui moves atque ſubvertis ſceptrum filii mei, imperium videlicet populi Iſraël: et omne lignum ſuccidis, univerſam populi multitudinem.* Ex quorum interpretum collatione plane apparet, uti arbitror, primo eos verba hebraei textus אוֹ נָשִׂישׂ non ita legiſſe, ſed pro או vel אל vel ל et de verbo שׂוּשׂ *gaudere* nihil eis in mentem veniſſe, ſed נסס ſive נשש quod diverſimode quidem, ſed tamen quoad ſenſum eodem modo explicarunt. Deinde apparet Syrum et Vulgatum שֵׁבֶט בְּנִי conſtruxiſſe cum verbo נשיש quod aptum et facilem ſenſum oſtendit; Populus vero Iſraëliticus ſaepe filius Dei vocatur. Et ſic correctione minime violenta, nec ſine antiquorum Codd. auctoritate, locum hunc ſane difficilem intelligo.

ad verſ. 18.] Hic locus aeque ac praecedens criſi egere videtur, quam etiam verſiones antiquae ſatis

ſatis probabilem innuunt. Nimirum et hic verſus de gladio illo agit, de quo vero genus foemininum erat adhibendum, uti ſemper in toto hoc loco. Igitur pro כִּי בֹחַן וּמָה legendum puto כִּי בְ תוֹבָה Sic *οἱ ὁ, ὅτι δεδικαίωται, ἔτι εἰ καὶ Φυλὴ ἀπωσθῇ*, ex lectione Codicis Alexandrini, et Vulgatus: *Quia probatus eſt: et hoc cum ſceptrum everterit.* Syrus quidem de re ipſa verba explicat, ſed tamen ita ut appareat, eum non בחן in activo ſed in paſſivo legiſſe. *Complodo volam*, (ex praecedenti verſu, ubi cum *τοῖς ὁ* pro יָרֵךְ legit יָדָד) *quoniam hoc jam verificatum eſt.* Sic fere *Hubigantius* quoque locum emendandum cenſet, atque *Grotius* quoque hunc ſenſum verbis ſubeſſe divinavit, quem in verſione ſecutus ſum.

ad verſ. 19.] Pro הַחֹדֶרֶת omnes antiqui interpretes legerunt הַחֹרֶדֶת *perterrebit*, quae lectio melius reſpondet *τῷ* מגורי אל־חרב in verſu 17. Attamen non nego lectionem receptam ſenſum ſatis commodum, admittere: *penetrabit gladius ad intima eorum conclavia.*

ad verſ. 21.] In textu eſt: אָנָה פָּנַיִךְ מֻעָדוֹת quae vulgo explicant: *quocunque facies tua erit converſa.* Sed recte *Hubigantius* obſervavit מעדות in forma generis foeminini non poſſe cum פנים maſculini generis nomine conſtrui. Attamen antiquiores interpretes in ſenſu reddendo, quem lectio recepta habere

 debet,

debet, non magnopere differunt. Οἱ ὁ, οὗ ἂν τὸ πρόσωπόν σου ἐξεγείρηται. Vulgatus: *quocunque faciei tuae eſt appètitus.* Chaldaeus: *quocunque facies tua eſt parata.* Eodem modo Syrus, qui tamen non פָּנַיִךְ ſed פָּנַי legit, minus apte: לְאַתְרָא דַמְטַיְבִין אַפַּי *quo diſpoſita ſ. directa eſt facies ſ. ira mea.* Igitur non inepta videtur conjectura *Hubigantii*, legendum eſſe עַמַּרְתְּ ſ. הֶעֱמַדְתְּ ſicuti phraſis legitur 2 Reg. VIII, 11. quae nihil aliud ſignificare poteſt, quam *faciem in aliquam rem convertere.*

ad verſ. 35.] Pro תַּעְרָהּ *vagina ejus*, legendum eſt תַּעְרֵךְ *vagina tua.* Sic legerunt Vulgatus et Syrus, de reliquis eſt incertum. Atque contextus quoque, qui ſermonem habet converſum ad Ammonitas, requirit affixum ſecundae perſonae.

ad Cap. XXIV, 10.] Pro הָרְקַח הַמֶּרְקָחָה *condi condimentum*, quod nullum ſenſum dat, Syrus legit רְתַח atque hoc ipſum vocabulum quoque adhibuit רְתַח לְרְתְחָא *efferveſcat fervor.* Οἱ ὁ, ἐλαττωθῇ ὁ ζωμὸς, *minuatur juſculum;* ſenſu non incommodo, uti *Grotius* eum explicat, quo ferventior enim eſt ignis, eo magis liquor in ſummam redigitur. Sed רקח non eſt *attenuari* aut *minui.* Fortaſſe רקק legerunt. Vix dubitem, quin Syrus veram lectionem exhibeat.

ad Cap. XXVI, 17.] Ultimum hujus verſus vocabulum יוֹשְׁבֶיהָ non commodam admittit explicatio-

tionem, nam non praecedit ſubjectum, ad quod affixum *ejus* referri poſſit. Vulgatus et *oi ό* omittunt poſterius יושביה et connectunt ultimum comma cum praecedenti. Chaldaeus alium prorſus ejus ſenſum fecit: *quomodo traditi ſunt in perniciem omnes ejus incolae.* Syrus vero ſingularem lectionem exhibet, quam receptae praeferendam putem: *qui timorem ſuum injecerunt omnibus habitatoribus terrae* בְּכֻלְהוֹן עָמוּרֵידֵה דַאֲרְעָא Non dubito quin legerit לְכָל־יַבָּשָׁה et ſic aptiſſima eſt oppoſitio inter יָם *mare* et יַבָּשָׁה *terram ſiccam* ſ. *continentem.*

ad verſ. 18.] Pro forma Chaldaica vocis הָאִיִּן *inſulae* hebraica הָאִיִּים legitur in Codice Regiomontano et Daventrienſi. Lectionem receptam exprimunt *oi ό* et Syrus. Sed Vulgatus habet: *Nunc ſtupebunt naves in die pavoris tui.* Atque *Hieronymus* clare teſtatur, ſic legi in Codice hebraico, eamque lectionem ei, quam apud *τοὺς ό* inveniebat, judicat praeferendam. *Conſequentius eſt*, inquit, *ſupra naves legere, ne ſecundo ponantur inſulae.* Recte. Nam ut nihil dicam de ſcriptione vocis irregulari, oppoſitio quoque membrorum eam ſuſpectam facit. Quae nulla fere eſt et plane tavtologica: *Jam pavebunt inſulae propter caſum tuum et perterritae erunt inſulae quae in mari ſunt.* Igitur praeferendam putem hoc loco lectionem interpretis Vulgati, quae tum ex teſtimonio Hieronymi eam fuiſſe Codd. hebraeorum, tum ex regulis paral-

lelifmi, majorem conſequitur probabilitatem, quam recepta ex teſtimonio *τῶν ό* et Syri. Chaldaeus quid legerit non poſſum divinare: יְזוּעוּן פַּרְוַדַיָּא *commovebuntur ſuburbia.*

ad Cap. XXVII, 27.] Pro וּבְכָל־ legerunt וְכָל־ antiqui interpretes omnes praeter Vulgatum. Sic quoque legitur in Codice Regiomontano et in editione Bomberg. 1525. Neque tamen incommoda eſt explicatio literae Bet, quam Vulgatus habet: *cum* univerſa multitudine.

ad verſ. 32.] Circa lectionem vocis בְּנִיהֶם diſſenſus eſt apud antiquiores interpretes. Vulgatus eam prorſus omittit. Chaldaeus legit בְּעֵינֵיהוֹן *in oculis eorum.* Sed LXX, Theodotion, Syrus et Arabs, Codex Regiomontanus et editio Gerſonis habent בְּנֵיהֶם *filii eorum.* Quae lectio quoque ſine dubio vera eſt. Nam quod nonnulli dixerunt, בְּנִי ſubſtantivum eſſe contractum ex בְּהִי *lamentum*, id quidem vereor, ut ex hoc unico loco ſatis probari poſſit.

ad Cap. XXVIII, 23.] In textu hebraeo legitur וְנִפְלַל quod interpretes antiqui omnes, praeter Chaldaeum, vertunt active *et cadent*, ac ſi legiſſent וְנָפַל Atque ita etiam ſcriptum extat in Codice Regiomontano a prima manu, ſed correctum eſt a punctatore in lectionem receptam. Chaldaeus tantum paſſive vertit: כַּד יִתְרְמוּן קְטִילִין *quando abjicientur occiſi.*

occiſi. Vulgaris explicatio: *et judicabitur*, ſive *judicium exercebitur*, non convenit vel uſui verbi פלל vel verbis adjectis. *Schultenſius* quidem in Animadv. philol. ad h. l. tentavit ſignificationem verbi فل arabicam h. l. ſubjicere: *rupta acie fugere*, vel *occidere.* Sed nec ipſe multum tribuere videtur huic periculo, quod fecerat defendendae lectionis receptae. Igitur ego quoque lectionem antiquiorum interpretum et Codicis Regiomontani praeferendam judicavi.

ad Cap. XXIX, 7.] Jam Maſorethae emendarunt lectionem textualem בכפך prorſus ineptam in בכף atque ita etiam legerunt *οἱ ὁ* et Vulgatus. Codex Regiomont. quoque eam exhibet, ſed mutata eſt in בכפי quod Jod vel paragogicum eſſe poteſt, vel indicium numeri dualis, uti recte judicat S. R. *Lilienthal.* Syrus quidem hunc numerum expreſſit: *cum te manibus ſuis tenuiſſent, perfodiſti manus eorum.* Sed ſic omittit תֵּרֹץ et pro כתף legiſſe videtur כַּפָּם quod ipſum etiam *οἱ ὁ* ſed ſine affixo legerunt: et pro תְּבַקַּעַת _ בִּקַּעְתָּ, vertunt enim: *καὶ ὅτε ἐπεκρότησεν ἐπ᾽ αὐτοὺς πᾶσα χείρ.* In quibus omnibus nullam video neceſſitatem, cur lectionem receptam deſeramus, quae commodam admittit explicationem, dummodo lectionem marginalem בכף ſequamur. Sed non idem ſentio de ultimo membro: וְהַעֲמַדְתָּ לָהֶם כָּל־מָתְנַיִם Nam verbum העמדת ex vulgari ſua ſignificatione non commodum ſenſum dat et

nimis arguta videtur explicatio, quam *Cappellus* dedit: *erexiſti eis omnes lumbos*, h. e. coëgiſti vel invitos incedere lumbis erectis, nempe propter pungentem dolorem, quo tu ſic confractos affeciſti, quum tu vel palmis vel axillis eorum inhaeſiſti. — *Simonis* in Lexico ſub h. v. confert Arab. عمد *gravavit, fregit eum morbus, onus* (*Golius* pag. 1645.). Sed hanc ſignificationem habet tantum in prima conjugatione, non in quarta, quae τῷ Hiphil in noſtro verbo reſpondere debebat. — At enim vero interpretes antiqui omnes manifeſte produnt aliam lectionem, quae vero illa fuerit non aeque clarum eſt. Οἱ ό et Arabs: *καὶ συνέκλασας αὐτῶν πᾶσαν ὀσφύν.* Vulgatus: *diſſolviſti omnes renes eorum.* Syrus אַרְעֶלְתְּ חַצִּידְהוֹן *concuſſiſti lumbos eorum.* *Hubigantius* conjectat Vulgatum legiſſe וַהֲמְעַדְתָּ *et vacillare feciſti*, quae quidem non inepta conjectura eſt de hoc, ſed quid de LXX interpretibus? *Caſtellio* putat eos legiſſe הֶעֱמַקְתָּ *cavaſti* h. e. *perforaſti.* Quod non placet, quoniam עמק, quod ſciam, nullibi ita dicitur. Malim legere הֶעֱרַצְתָּ quod cum רצץ ſaepe ſignificationem permutat. Illud ſaltem videor mihi eviciſſe, lectionem receptam defendi non poſſe.

ad Cap. XXX, 16.] Suſpecta videtur lectio recepta צָרֵי יוֹמָם neque interpretes antiquiores videntur eam habuiſſe. Proxime quidem ad eam accedunt Vulgatus, qui vertit: *et in Memphis anguſtiae quotidianae,*

et

et Chaldaeus: *et Memphin circumdabunt inimici quotidie.* Secundum hos legendum eſſet לְיָמִים Inepte *οἱ ό, καὶ διαχυθήσεται ὕδατα, diffundentur aquae.* Longius adhuc abit Syrus, qui pro יוֹמָם legit כְּמַיִם quod cum ſequentibus jungit in hunc modum: *Memphis in ruinam redigetur. Et ſicuti aquae erunt juvenes Mephibeſeth.* Chaldaeum interpretem in verſione ſum ſecutus.

ad verſ. 17.] Pro אָוֶן legeudum eſſe אוֹן jam *Grotius* recte ſuſpicatus eſt, uti etiam ſcriptum extat Geneſ. XLI, 45. Sic etiam *οἱ ό, νεανίσκοι* Ἡλιουπόλεως, et Vulgatus: *Juvenes Heliopoleos.* Syrus prorſus omittit vocem, uti in praecedenti nota dictum eſt. In Chaldaica paraphraſi etiam אָוֶן legitur.

ibid.] In textu eſt: וְהֵנָּה *et ipſae captivae abibunt.* Pro quo in verſione graeca legitur: *καὶ αἱ γυναῖκες ἐν αἰχμαλωσίᾳ πορεύσονται.* Quae lectio propter oppoſitionem ad *juvenes* in priori membro placet; niſi forte legendum eſt בְּנוֹתֶיהָ *filiae* h. e. coloniae *ejus*, quod eſt in ſequenti verſu.

ad Cap. XXXI, 10.] Pro גָּבַהְתָּ ſecunda perſona legendum eſſe in tertia גָּבַהּ contextus tam plane evincit, ut non dubitem hanc falſam lectionem vel ſine teſtimonio antiquorum interpretum emendare. Sermo enim adhuc eſt de rege Aſſyriae, qui cum cedro comparatur, atque applicatio allegoriae ad regem Ae-

gypti eſt demum in verſu 18. Veram tamen lectionem exhibent Vulgatus: *pro eo quod ſublimatus eſt in altitudine*, et Syrus עַל דְּאִתְתְּרִים בְּקוּמְתֵה *quoniam extulit ſe in ſtatura ſua.* Sed *οἱ ό* et Chaldaeus legerunt in ſecunda perſona. Incommode et fere ſine ſenſu, quod quisque intelliget, qui eos inſpexerit. *Hubigantius* quidem hanc correctionem non omiſit, ſed debebat quoque antiquorum interpretum meminiſſe, qui veram lectionem exhibent.

ad verſ. 11.] Pro בְּיַד אֵל גּוֹיִם duo *Hubigantii* Codices habent איל ſcriptione magis accurata. — Et pro גֵּרַשְׁתִּיהוּ *ejeci eum* Syrus praemiſſa copula legit in tertia perſona et connectit cum praecedenti: *aget cum eo pro impietate ejus*, ܘܢܘܒܕܝܘܗܝ *et perdet eum.* Incertum videtur num aliter legerit, an גרש modo explicarit per אבד — Sed lectio recepta commodam admittit explicationem.

ad Cap. XXXII, 27.] In textu hebraeo eſt וְלֹא יִשְׁכְּבוּ *et non cubabunt.* Sed particulam negandi omittunt *οἱ ό*, Syrus et Arabs. Melius ſine dubio et apte ad reliquum contextum. Etenim propheta exemplorum inductione utitur ad probandum omnes priorum temporum heroas virtute bellica famoſos, tandem tamen morti ſuccubuiſſe. Neque de ſeparato aliquo loco, in quo illi Cappadoces jacerent, aliquid in textu extat. Fingitur ille tantum a *Grotio* aliis-

aliisque, ut removerent contradictionem, quae manifeſta eſt in lectione recepta. Fortaſſe ſcribarum error venit ex eo, quod ſcriptum erat וְאֵל contracte pro וְאֵלֶּה ex quo literarum mutatione venit וְלֹא. — — Similiter in ſequentibus textus hebraei verbis נֹפְלִים מֵעֲרֵלִים exiſtimo veram lectionem ſupereſſe in verſione graeca. Nam non admittunt explicationem probabilem. Literam מ quae ex hac ſcriptione inprimis aliena videtur, omittit Vulgatus — — *cadentibus et incircumciſis*. Syrus tamen legit: *qui ceciderunt ab incircumciſis*, quocum Chaldaeus fere conſentit: *qui occiſi ſunt a peccatoribus*. Quinam ſunt illi peccatores, ſive incircumciſi? et omnino omnes quos ad inferos deſcendiſſe dicit propheta, vocat עֲרֵלִים — — Sed quis non ſtatim ad primum aſpectum probet lectionem τῶν ό, qui prius membrum hujus verſus ſic vertunt: *καὶ ἐκοιμήθησαν μετὰ τῶν γιγάντων τῶν πεπτωκότων ἀπ᾽ αἰῶνος.* Facile apparet eos pro מֵעֲרֵלִים legiſſe מֵעוֹלָם Ex quo ſimul colligitur, prophetam his verbis indigitare heroas iſtos, ſive potius tyrannos et latrones, quos Moſes deſcribit Geneſ. VI, 4. הַנְּפִלִים הָיוּ בָאָרֶץ — *hi ſunt iſti heroes* אֲשֶׁר מֵעוֹלָם אַנְשֵׁי הַשֵּׁם Mihi quidem, prophetam noſtrum ad hunc locum Moſis reſpexiſſe, maxime probabile eſt. Nam mirum fere eſſet, ſi in enumeratione heroum ſive hominum ob virtutem bellicam celebrium hos omiſiſſet, de quibus Moſes dicit, eos antiquiſſimis temporibus

magnam

magnam eſſe nominis famam conſecutos. Sed idem ille locus Moſaicus perquam probabile mihi facit, in noſtro loco non legendum eſſe נֹפְלִים *cadentes*, ſed נְפִלִים *praedones*, ſ. *latrones* iſti antiquitatis famoſi.

ad Cap. XXXIV, 16.] Pro אַשְׁמִיד *perdam*, legendum eſſe אשמור *cuſtodiam*, cum parallelifmus membrorum probat, tum verſiones antiquae, nempe *οἱ ο̅*, Arabs, Syrus, Vulgatus. Chaldaeus tantum *pingues* et *robuſtos* de impiis et peccatoribus intellexit, et propterea vertit: *eos perdam*. Sed ſanae et robuſtae oves in grege non minus curam paſtoris requirunt, quam infirmae et debiles.

ad verſ. 29.] מַטָּע לְשֵׁם Male *οἱ ο̅* et Vulgatus מַטָּע explicant *φυτόν*, *germen*. Locum indicat ubi plantatur, *plantarium*, non *plantam* ſ. *germen*, quod ex locis aliis apparet. Pro לְשֵׁם reliqui interpretes praeter Vulgatum, qui vertit: *germen nominatum*, legerunt שָׁלֹם Oi *ο̅*, *ἀνασήσω αὐτοῖς φυτὸν εἰρήνης.* Syrus נְצִבְתָא דִשְׁלָמָא *plantarium* (נצבא Syris et Chaldaeis utrumque, *plantam* et *plantarium*, notat) *pacis*, et Chaldaeus נְצִבָא לְקַיָּמָא *plantatio ad permanendum* ſ. *ſubſiſtendum*. Quae lectio praeferenda videtur, quoniam de ſecuritate et felicitate gregis agitur.

ad Cap. XXXVI, 23.] Pro לְעֵינֵיכֶם legendum eſſe לְעֵינֵיהֶם tum contextus plane docet, tum conſenſus antiquiorum interpretum, *τῶν ο̅*, Vulgati, Syri,

ri, Chaldaei, et Codd. Erfurt. Regiomont. Berolinenſ. et editionis Gerſonianae.

ad Cap. XXXVII, 26.] וְנְתַתִּים Syrus omittit, *οἱ ό* non ſolum hoc, ſed etiam ſequentia: *et multiplicabo eos.* Vulgatus explicaſſe videtur: *et fundabo eos.* Chaldaeus וַאֲבָרְכִנּוּן *et benedicam illis*, quaſi legiſſet וּבֵרַכְתִּים *Hubigantius* conjectat legendum eſſe וְנִחִתִּים *et ducam eos.* Non liquet. Poteſt ex hebraiſmo pleonaſtice dictum eſſe.

ad Cap. XXXVIII, 14.] Verbum תֵּדַע quod in textu hebraeo legitur, non commodam admittit explicationem, et tamen Syrus, Chaldaeus et Vulgatus idem ſine dubio in ſuis Codd. legerunt. Ille in ſingulis vocibus reſpondet lectioni receptae et ultimam etiam per תֵּדַע exprimit; Chaldaeus videtur explicaſſe, in quo futura ſit illa experientia תֵּדַע פּוּרְעֲנוּת גְּבוּרְתִּי *cognoſces ultionem potentiae meae.* Neque ego ſum neſcius verbum ידע non raro de poenis graviorıbus et exemplaribus dici, quod a *Schultenſio* in Commentario ad Jobum et alibi obſervatum eſt. Sed non apta eſt, ex meo quidem ſenſu, haec explicatio ſequentibus. At enim vero longe aptiorem lectionem exhibent *οἱ ό*, qui illud תֵּדַע vertunt per *ἐγερθήσῃ.* Planum eſt, eos legiſſe תֵּעוֹר *excitaberis*, ab עוּר. Atque haec lectio mihi quidem non ſolum receptae praeferenda videtur propter facillimum nexum cum ſequen-

ſequenti verſu: *et venies ex loco tuo*, ſed etiam propter uſum hujus verbi in ſimili argumento, Jer. VI, 22. ubi adventus Chaldaeorum praedicitur: *populus ingens* יֵעוֹר מִיַּרְכְּתֵי־אָרֶץ *excitabitur ab extrema terra.* Quodſi quis malit lectionem receptam ex ſignificatione allata defendere, equidem non magnopere contradicam. Neque tamen graecae Verſionis lectionem ſcribarum erroribus tribuet, qui raro ſolent eſſe contexto ſermoni valde apti.

VA1 1527454

Digitized by Google

Digitized by Google

161
α
35